MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA

SCRIPTORES.

XIV.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR
TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

MÁSODIK OSZTÁLY.

IRÓK.

TIZENNEGYEDIK KÖTET.

BUDAPEST 1876.
A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA KÖNYVKIADÓ HIVATALA.
(Az Akadémia épületében.)

BRUTUS JÁNOS MIHÁLY

MAGYAR KIRÁLYI TÖRTÉNETIRÓ

MAGYAR HISTORIÁJA.

1490—1552.

A M. K. EGYETEMI KÖNYVTÁR EREDETI KÉZIRATÁBÓL

TOLDY FERENCZ

HALÁLA KÖVETKEZTÉBEN FOLYTATÓLAG S BEFEJEZŐLEG

KÖZLI

NAGY IVÁN

M. AKAD. R. TAG S A TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁG TAGJA.

HARMADIK KÖTET.

1537-től Egervár ostromáig, 1552-ig.

A PÁPAI REFORMÁTUS FŐISKOLAI KÖNYVTÁR TULAJDONA

BUDAPEST, 1876.

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA KÖNYVKIADÓ HIVATALA.

(Az Akadémia épületében.)

Budapest, 1876. Nyomatott az Athenaeum r. társ. nyomdájában.

ELŐSZÓ.

Brutus János Mih. históriájának I. és II. kötetét még 1863—1867-ben néhai Toldy Ferencz adá ki. A boldogúlt tudós a III. kötet nyomatását is megkezdeté és abban a 160. lapig haladt, midőn más teljesebb és talán a XV—XX. könyveket is tartalmazó codexnek meglelhetése és felhasználhatása reményével kecsegtetve magát, a sajtót megállitá; azonban a szivesen táplált reményt hét évi kutatás és várakozás sem valósitá meg, a nagyérdemű tudós pedig 1875. dec. 10. napján bevégezvén földi pályáját: Brutus munkájának kiadása befejezetlen maradt.

Az Akadémia történelmi bizottsága a történetirodalom érdekéből, valamint az elhunyt nagy érdemü tudós iránti kegyeletből is, a munka mielőbbi befejezését elhatározván: annak eszközlésével engem bizott meg.

Igyekeztem a megbizatásnak megfelelni és ennélfogva számot kell, hogy adjak eljárásomról.

Toldy a kiadás eszközlésénél két csonka codexet használt, mint az I. kötetben Brutus életirásában a LXXXII. és köv. lapokon megemliti, tudniillik az általa *E*-vel jelölt m. kir. egyetemi példányt és a *D*-vel jelölt bécsi példányt. Mindkettő apograph és csonka. Utóbb, 1874-ben megnyerte a pécsi codexet is, mely azonban csak a pestinek másolata, s ezt már nem is használhatá. Nekem csak a pesti állott ren-

delkezésemre; de e miatt, — mint meggyőződtem — a munka kiadásának hitelességi fokozata semmit se csökkent, mert a jelzett mindkét codexben megvannak Brutus javító kezének nyomai; és mert mind két codex — mint azt kiadó-elődöm is az idézett helyen maga is beismeré, sőt példákkal is igazolá, - sok helyen csonka és roppantúl hibás levén, a kiadás ezen befejező husz ivénél a bécsi codexnek nélkülözése szintén nem esett a szöveg teljességének vagy tökéletesebb voltának rovására. Különben Toldy is m i n d e n ü t t a pesti codexhez tartotta magát; e szerint már az egyöntetűség szempontjából nekem is ez vált feladatommá. Teljes hűséggel ragaszkodtam a szöveghez épen úgy, mint elődöm, — s hol teljes biztossággal a hiányt vagy hibát megoldanom és kiigazitanom nem lehetett: őszintébb eljárásnak tartottam azt kipontozással feltüntetni és másrészről a nyelvbeli hibát is inkább bennhagyni, mint a conjecturalis tapogatózások terére tévedezni.

Kiadó-elődöm Brutus II. kötetének előszavában részletesen kiterjeszkedik azon hiányokra, melyekkel kiadásközben küzdenie kellett. Bizonyára még inkább panaszos leendett vala III. kötetének előszava, mert a X. könyv második lapjától kezdve (itt ezen III. kötet 78. lapján előforduló *frigoris* szótól kezdve) az eddig a codexben elő nem fordúlt, igen nehezen olvasható irással kellett volna bajlódnia. Ezen nehéz irású kéztől van a codexben a X. XI. könyv egészen, vagy is e kötet 275. lapjáig; azontúl egy másik, majd egy harmadik ismeretlen kéz folytatá a codexet e könyv 340-lapjáig, a hol azután ismét Brutus irnokának, a Toldy által a kőnyomatú táblán *d* alatt jelzett irásával találkozunk, mig azt egy másik csinos

és jól olvasható irásu kéz váltja fel és folytatja végig. A legnehezebben olvasható és legkevésbé correct szöveget tehát a X. és XI. könyv nyujtja; de azért a XIII. és XIV. könyv is (Brutus irnokától), daczára, hogy a lapszéleken sok helyen javitva van, hemzseg a hibáktól. Igy például a 460. lapon (hol, valamint az előbbi alapon a codex felső csücskei eltépvék) a 16. sorban a *Duodecim* szótól a *succonbentium* szóig tartó zárjel közti passus kétszer ismétlődik, mi itt is a szigorú hüség szempontjából a szövegben maradt. Kiadó-elődöm nyomain járva, elkövettem a lehetőt, hogy a kiadás mennél hibátlanabb legyen; de kitoldásokat, elhagyásokat a hüséghez ragaszkodás nem engedhetett meg.

A mi a szöveg teljességét illeti, — mint már a fennebbiekből kitünik, — itt sem lehettem szerencsésebb kiadó-elődömnél. Mint itt a 415. 419. és 463. lapokon megjelölve van: a XIII. könyvnek vége, a XIV. könyvnek eleje és vége is hiányzik. Az utolsó hat könyv szövege pedig eleddig nem került elő, és igy ismételhetem kiadó-elődömmel, hogy három századi hányatás-vettetés után Brutust (csak) csonkán és nem ritkán az érthetetlenségig hibásan van szerencsénk birni; ámde igy birni is a történet-irodalom érdeke követelte.

Elődöm a munka e III. kötetében Brutus magyar érdekü leveleinek kiadását, valamint név- és tárgy lajstromot is igért. A bizottság által meglévén határozva e kötet terjedelme, nekem ezekre kiterjeszkednem ez okból sem lehetett, azonban a fölmaradt téren szintén elődöm terve szerint még itt közleni Brutus XV—XX. könyveinek töredékeit, kivonva Berthlen Farkas históriájából, czélszerünek tartottam.

Ezen hat darab töredék Bethlen Farkas históriájában a következő helyeken található, ugymint az I. számú az I. köt. 528—578. lapokon; a II. az I. köt. 559—560. l., a III. ugyanazon kötet 578—582. l. IV. szintén azon kötet 609—610. l., valamint az V. is ugyanott 626—627. lapokon; a VI. töredék a II. kötet 130—133. lapjairól van átvéve.

Hogy ezen töredékczikkek Brutusnak napfényre eddig nem került historiájából valók: azt nem Toldy, nem én állitom, hanem maga Bethlen Farkas bizonyitja. Ez mondja az I. töredék végén: »*Haec refert Brutus*«; a II. töredékben irja: *Brutus autem addit, quod* stb«, a III. töredék végére jegyzi: »*Haec Brutus*« a IV. töredékben mondja: »*teste Bruto*«; az V. töredékben áll: *De qua Brutus et Annales Transylvanici sic perhibent*«; végre a IV. töredék végén olvassuk: »*Scribit Brutus.*« E töredékek közlésének czélja nem lehetett más, mint mutatványilag bizonyságot nyujtani Brutusnak elveszett könyveiről és épen azért, hogy vajon e töredék szövege szórul szóra Brutus tollának fogalmazatai-e? vagy csak ezen adatok merittettek eddig fel nem lelt XV—XX. könyveiből? — erről czéltalanul vitatkozni nem lehetett a kiadás folytatójának feladata.

Szóval igyekeztem jóemlékezetü kiadó-elődömhöz, — ki Brutus iránt kiváló szeretettel viseltetett, — hasonló pontossággal és lelkiismeretes hűséggel eljárni a szerző szövegének kiadásában.

Budapest, nov. 1. 1876.

NAGY IVÁN.

IO. MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBER NONVS.

LIBER NONVS.

Belli exitus Germanis infelix, in cuius expectationem erecti populorum animi, facilem atque explicatam viam ad pellendum regno Turcam atque illius potentia nitentem adversarium Ferdinando ominabantur, Ioanni initium fuit, quod diu moliebatur animo, ingentium malorum pertaesus, quibus procul a salutis spe patria fluctuabat, melioribus suis rebus de compositione agendi, qua de re non ita multo ante, per utriusque regis legatos erat actum in Posnaniensi conventu a Sigismundo Polonorum Rege indicto, qui se medium inter affines reges componendis controversiis ferebat. Quo vero magis speraret se rem effecturum, opportune cum Ferdinando agebat de collocanda filia Sigismundo Augusto, unico eius filio, per Georgium Saxonum ducem, qui ob eam caussam quoque suos oratores Posnaniam miserat. Quo cum esset item Ferdinandus legatos missurus: Regi optimo opportuna occasio visa discidii tollendi, iam fesso praesertim utroque rege belli diuturnitate, cuius exitus et victo pariter, et victori, id quod neutrum eorum fallebat, esset pestem atque exitium allaturus. Ita enixe eo contendente, et Ioannes Rex quoque eodem legatos misit, atque adeo, quod esset argumentum fidentis aequitate caussa, cum liberis mandatis, Franciscum Frangipanem Colocensem Archiepiscopum, Ioannem

Laskium Vesprimiensem designatum, Stephanum Verbetium regni cancellarium, et Andream Strigoniensem praepositum, summae prudentiae homines, atque eximiae in Ioannem fidei. Qui cum post longam disceptationem nihil se aequi impetraturos sperarent, negantibus Ferdinandi legatis, se de iis, quae Ioannes Rex postularet, quidquam certi habere in mandatis, discesserunt, prius testati Sigismundi, et Georgii ducis legatos, quominus per aequas conditiones discederetur ab armis per Ioannem Regem non stetisse, cum illud addidissent, satis liquere e duorum regum legationibus, cuius melior caussa haberetur: Alterum nulla cum exceptione potestatem suis fecisse, quibus visum esset conditionibus cum adversario transigendi; ita animatus, ut esset de suo iure decedere paratus: praescripsisse suis alterum, quousque suos progredi agendo placeret. Si quid inde incommodi reipub. eveniret, gravissimo imminente a Turca bello, eius rei culpam in eum reiiciendam, qui in mala caussa non aliorum modo, sed suorum arbitrium etiam potestatemque subterfugeret. Ac cum de ea re Sigismundi legati cum Georgii oratoribus essent questi, media quidem mandata legatis a Ferdinando data responderunt, quod fere soleret in iis iudiciis agi, quae arbitrii essent, et cum esset instituta actio de tollendo discidio, usque eo suo minuendo iure esset descensurus, ut pateretur Ioannem honesto aliquo ornatum titulo in regno manere; ut toto concederet regno, quod vix pateretur sibi extorqueri, ubi summo iure experiretur, sibi vero minime persuaderi passurum. Quae tametsi alium eventum essent sortita, quam quem sibi Sigismundus pollicitus esset, non desistendum tamen Ioannes incepto arbitratus, cum non mala coniectura crederet Ferdinandum durioribus suis rebus pas-

surum aequiore animo de compositione agi; eundem Frangipanem mittere in Hispaniam ad Caesarem decrevit, ita fratris caussam tuentem, ut si daretur optio, mallet illum parte regni potiri, amico Ioanne Rege, quam de totius summa cum Solimano dimicare, qui, quae Ioannis caussa erat semel accepti in fidem, suam fecisset: vix autem fieri posse credebat, ut sine insigni rerum motu et magno Christianae reipub. discrimine, bellum adversus Solimanum hostem gereretur non odio infestum magis Christianis regibus, quam viribus timendum, cuius rei non semel iam superioribus annis esset periculum factum. Erat vero ita Vngaris proxima Germania, ut nihil vero proprius esset, quam si quid illis durius accideret, quo incendio arsisset Vngariae regnum Germaniam conflagraturam. Atque haec quidem quae verisimile erat Carolo V. venire in mentem, praesentem rerum statum respicienti, quae tum Ioannes Rex cogitaret; fore sperabat, ut pro sua aequitate fratri iam bellis gerendis fesso suaderet, quae in praesentia salutaria haberent. Nam, et ipse sua sponte, per multos iam annos perfunctus bellis gravissimis, in dies magis senescentibus viribus, aliquid de animi contentione remittebat. Accedebat ingens alia curarum moles, quae anxium animum exitu rerum torquebant. Sive enim pergeret de regno disceptare armis, non ignorabat ad Turcam esse confugiendum, ex cuius nutu intelligebat beneficiarium regnum a se administrari oportere: cuius rei invidiam ita ad eum diem sustinuisset, ut minime posset recusare, quin contumaciae gravem notam tuendo pertinaci incepto apud suos atque exteros subiret: sive abhorreret ab armis, id quod videri volebat, haud eundem fugiebat, Ferdinando destitutum barbarorum auxiliis se praedae futu-

rum. Iam ut suis viribus fretus superior in contentione esse, consultum Vngaris volebat a Turca perpetuo hoste imminentem tempestatem, per victi et victoris Regis exitium, quod necesse esset accidere in salutis et regni discrimen ruituris, Ergo Frangipanes, Caesare in Hispania convento, cum illi legationis caussam exposuisset, homo cumprimis et tractandis regum ingeniis callidus, et suadendis, quae vellet disertus: ea, inquit, Caesar est Ioannis Regis opinio de tua gravitate et sapientia, ut nemini mirandum sit, cui illa sit perspecta, eum in suscepta controversia de regno cum Ferdinando Rege, id quod non nunc primum tentavit, te iudice illius fratri disceptare paratum esse. Cum vero illi duae certae caussae sint huius suae fiduciae gravissimae, quarum altera in sua gravitate et constantia, altera in caussae suae aequitate posita est: sui iuris immemor, cuius te esse memorem novit, se tibi totum permittit, una tua iustitia confisus, rogatque maiorem in modum, si quidem id pateris, assuetus tua sponte agere, quae digna te sint, magna ac reipub. salutaria, cum te praestes, cuius, si Rex frater se similem praebeat, id quod non desperat futurum, si tanti tua apud illum auctoritas est, quanti esse debet, brevi sit futurum, ut respub. in tranquilliorem statum redacta, diuturna pace ac beato otio fruatur. Neque ille vero esset gravatus, si declarandae suae in patriam pietati hoc necessarium duxisset, per me tibi, quam rationem maxime idoneam crederet tam pertinacis controversiae tollendae, significare, nisi existimasset, vix id a se posse fieri sine tuae virtutis et sapientiae, suae modestiae offensione. Ita enim te tua virtus, sapientissimorum hominum iudicium loco excelso reipub. collocavit, ut qui te de iis monere velit, non

aliter fateri videatur, atque is, qui se credat, in meridie, clarissimo ac nitidissimo coelo, soli lumen posse addere tenui face. Vnum mihi in mandatis dedit, quod in procuranda (rati)one de pace et per eam de statu reipublicae procurando, pro tua vetere consuetudine agendum statueres, tibi hoc, nulla cum exceptione, sponderem illius nomine se ratum firmumque habiturum. Cuius insignia monumenta fidei, iustitiae, constantiae ita multa habet Christianus orbis, ut non possit dubitare, quin in tota hac caussa agenda, quid se, quid te deceat, ob oculos habeas, inprimis quod a te munus respub. requirat, cuius moderandae tibi deus immortalis tradidit habenas. Cum ita perorasset, Caesar multis verbis et prolixis collaudato Rege, qui consilium suscepisset summo honore, quem gereret, dignum, pollicitus est, se operam daturum, ne quando sui iudicii consiliique poeniteret, quod liberum sibi iudicium de iis controversiis permitteret, quae illi cum Ferdinando fratre intercederent. Nihil vero sibi ad hominum existimationem potuisse accidere honorificentius, quam hanc de sua aequitate et constantia opinionem manare apud exteras gentes, haec Ioannem Regem de se statuisse, non sanguinis coniunctione, non fraterno amore atque indulgentia prohibitum iri, quo minus ex sua fide atque integritate de re tanta iudicaret. Cum hoc responso legato dimisso, non ultra differendam arbitratus salutarem inprimis actionem Christianis populis futuram, virum spectatae prudentiae atque usus, Lundensem Episcopum oratorem ad Ferdinandum Regem misit, qui simul illum de Ioannis Regis animo doceret, ad meliora consilia propenso, simul adhortaretur suo nomine, ut quod, salua existimatione posset, animum induceret, aliquid de summo iure remittendo,

quod raro a summa iniuria abesset, cum adversario transigere per eas pacis conditiones, quae ipsi quoque ubi pateretur veteris odii flammas deflagrare, quibus arderet Christianus orbis, quam aequissimae viderentur. Satis diu experiundo cognovisse tantae controversiae dirimendae, quid vis, quid arma possent; quibus quando appareret, multum domestico dolori indultum, cuius voluptas magno empta, tot gentium et populorum cladibus, tot excidiis urbium, populationibus, incendiis, nihil ad rei summam adtulisset, cuius caussa itum esset ad arma, aliquando experiendum ecquid possent mitiora consilia, digna certe iis regibus, qui magno populorum et gentium consensu Christianae reipub. praeessent. Has fratris adhortationes minime Ferdinandus aversatus, quem et fratris auctoritas moveret, et sua sponte taederet tot malorum, quibus populi in medio positi misere iactati vexatique essent, serio cum suis agere de pacis conditionibus constituit, secundiore hominum fama per contraria studia suorum otio et securitati prospecturus. Ita cum, advocato consilio, de iis quae a fratre acceperat, retulisset: omnibus eodem consensu perniciosi belli finem respicientibus decernitur, ut Lundensis Caesaris orator ad Ioannem Regem profectus, qui tum Varadini esse ferebatur, de ratione conciliandae concordiae agat. Aptissimus vero tantae rei procurandae credebatur, tum insitam animo prudentiam, tum ob Caesaris auctoritatem, quam ita eius legatus repraesentabat, ut quae diceret non secus, atque ex illius ore acciperentur. Ergo Lundensis ad Ioannem profectus, totum aestatis tempus consumpsit munere legationis obeundo, cum quidem eundem malorum finem duo reges sperarent; qua ratione ad eum finem liceret pervenire, non aeque facile in medium consulentibus, appareret, quamquam

multa ultro citroque ferrentur, novis difficultatibus veteribus suborientibus, quibus bene per se affecti, ab eo, quo consilia tenderent, avertebantur. Erat quidem difficillimum iis persuadere, ut volentes carerent regno, de quo tanta cum hominum invidia armis undecimum iam annum dimicassent, et nisi sibi id persuaderi paterentur, nemini dubium erat, quin inanis tota de pace actio, certe difficillima transactu esset. Quid vero Lundensis ageret, ubi illi cum iis regibus res esset, qui e philosophorum scholis et sapientum hominum praeceptionibus in regiam essent evecti? ita enim dicerent se certum ius regni habere, ut regni legitima possessione pelli per summam iniuriam, iniquissimum esse contenderent. Nam, hoc quidem sapientes censent omnibus iniuria abstinendum. Nullae leges aut divinae, aut humanae vetant, quae quis probet legitimo ad se iure pertinere, ubi minus iure liceat, repetere armis. In scholis enim philosophorum speciosa disputatio de regnis atque imperiis contemnendis, et vera adeo: sed in usum educta eadem, atque in theatrum, ubi omnia ex multorum opinione, non ex vero iudicantur, despecta et deserta ab omnibus in eadem otiosorum gymnasia, pulcrum obiectum argumentum de virtute disserentibus cogitur sibilis et convicio remigrare. Extorsit tamen sive necessitas ab invitis, seu a volentibus virtus et constantia, ut paterentur se ad vitae conditiones tolerabiles perduci. Adiuvit quidem in Ioanne, per hanc facilitatem, oblata occasio minuendae invidiae qua ingenti laboraverat, omnibus magno consensu credentibus id quod negasse non poterat, ab eo accersita in Vngariam Turcarum arma, quibus, impar suis viribus, regnum quod sibi deberi legitimo iure contendebat, vindicaret: adiuvit in Fer-

dinando rege, multis persuasum iniuria ab eo, mandatum adversario regni ius invadi armis, cum primus Ioannes more maiorum, et principum ac populorum suffragiis creatus esset. Ita vero convenit, ut Lundensem subsecuti Viennam Ioannis legati, pacis foedus solenni ritu et caeremonia, praesidente, cum principibus Rege in publico consensu, atque astante populo sanciretur. Quae cum ita acta Varadini essent, Ioannes Rex Budam profectus tres legatos, ut convenerat, eundem Colocensium pontificem, Stephanum Brodericum Vaciensem, et Stephanum Verbecium cancellarium Viennam ad Ferdinandum misit. Per eos legatos his conditionibus foedus paxque firmata, ut quamdiu viveret, Pannoniae Rex, eo iure, quo quis optimo, iis regni populis gentibusque imperaret, in quas tum obtineret imperium: eo mortuo liberis, si quos suscepisset, Ferdinandus restitueret quaecumque ante partum regnum pater a maioribus tradita in ditione habuisset: ii decederent de ea regni parte, qua esset ad eum diem pater potitus; atque ita hoc quidem, ut regni integrum ius ad Ferdinandum posterosque eius pervenisset. Ita inter duos reges Iovius foedus ictum ait, ab Vngaris dissentiens, qui ita convenisse affirmant, ut Ferdinandus ad paterna bona Transilvaniam adiiceret, quam legitimi Ioannis heredes possiderent. Quod quidem caput in foedere fuisse adiectum res ipsa postea declaravit. Nam in controversiis de regno, quae Ioanne mortuo Ferdinando cum vidua Regina intercesserunt, numquam de Transilvania est mentio facta, et Solimanus Buda potitus, tanquam in paternum regnum, cum filio matrem in Transilvaniam deduci imperavit. Atque hoc foederis postremum caput, quod apparebat minus aequo animo Solimanum laturum, cuius maxime offensionem Ioannes verebatur, placuit in arcanis haberi; cetera

usque eo Solimanus non improbavit, ut ultro ipse ad pacem et foedus sit Ioannem Regem adhortatus, revocante animum a rerum Pannonicarum cura Parthico bello, quod ab hoste acerrimo magnis viribus instauratum, moram cunctationemque minime patiebatur. Visum vero praestare, quasi mancum regnum tolerabili conditione Ioannem obtinere, quam possidere integrum Turcae beneficio: qui meliore suo tempore, ubi visum esset, suis armis partum, Rege deiecto, iuris sui et ditionis esset facturus. Ita fore, ut sublevatus Turcarum armis, ea regi inimico adimeret, quae nullo suo, nullo posterorum compendio, insigni cum Christianae reipub. clade, essent communi hosti futura praedae, qui numquam magis, quam cum specioso nomine amicitiae falleret, esset infestus hostis. Hanc certam crescendi viam, quae late semper nostrorum discordiis maioribus patuisset, Solimanum persequi, ut medius inter dissidentes duos, plausibili nomine defendendi alterius, cuius caussa esse aequior videatur, alterum armis victum perdat, suo beneficio victorem alterum sibi obnoxium reddat: ut meliore conditione intelligat, sibi fuisse regno carendum, quam per adeo praeposteram rationem regnum obtinere. Quod vero foedius servitutis genus, quam alterius nutu atque imperio servire, eundem et regnare, et vivere et mori? Eandem iniisse Othomanum viam, qui primus regnum ex ea gente occupasset; ut hinc serendis inter suos discordiis, hinc alendis, dum per speciem fovendi alterius, alterius opprimendi, utriusque saluti insidiaretur, per utriusque ruinam sibi aditum ad iniustum patefaceret principatum. Nam Amurathem, qui tertius ab illo regnasset, cum Byzantii duobus fratribus de regno disceptantibus, alteri roga-

tus auxilio affuisset: in utrumque mox destitutum viribus, quas intestinum bellum hausisset, arma convertisse. Inde occupatam Gallipolim, opportune ad Propontidem sitam urbem inhianti Europae imperio, et magnam Thraciae partem, quae Baiasetae filio aperuerit aditum ad invadendum Graeciae imperium, obtinuisse. Ad haec, quae suadebat ratio, Sigismundi Regis auctoritas accedebat: qui ita medius inter duos reges de minuendis controversiis agebat, ut cum esset aeque cum iis affinitate coniunctus, quin optima fide ageret dubitari haud posset. Nam quo magis sibi uterque obtemperandum statueret recta monenti, longo usu rerum parta opinio sapientiae, apud suos aeque atque apud exteros efficiebat, ut nostrae aetatis magno gentium omnium consensu sapientissimus regum omnium in Europa haberetur. Certe, ut tantum eius nomen apud posteros esset, partim felicitatis fuit, cum eos homines haberet in consilio, quorum prudentia munitus tantus esse videretur; partim ingenii, qui cum sibi conscius minus suae prudentiae confideret, ut alienae inniteretur, a quo multi refugiunt maximis imperiis administrandis, animum inducere posset. Ergo cum Ferdinando Rege foedere icto, Ioannes Rex, quod unum primum omnium agi oportebat, constituendis publicis rebus, quas diuturni belli vis labefactarat, animum intendit, cum alia, quae reficienda instaurandaque variis perfunctus belli casibus cognovisset, tum inprimis regiam urbem munire aggressus, quae iam inde a Ludovici Regis morte perpetuis fere erat cladidus eversa. Haec autem omnia tanta omnium expectatione inchoata, ut in magnam spem animi erigerentur, ubi vitae diuturnior usus contingeret, nihil illum sibi reliqui facturum, quod praesens aetas, cum ad urbium ornatum et magnificentiam, tum ad pri-

vatorum opulentiam, exterarum gentium commercium, agrorum ubertatem, maiorum gloriae felicitatique invideret. Vnum hoc quidem semper versabat animo aestu gloriae incenso, quibus rationibus elueret inustam nomini maculam, per accersita in Vngariam Turcarum arma, quorum posse invidiam redimere vix magnis in rempub. meritis atque illustribus sperabat, una cura imprimis anxius, ut amplius regnum atque opulentius, quam a suis accepisset, posteris relinqueret. Hoc quidem ubi esset assecutus, non modo qui ante se fuissent, sed qui post se essent futuri reges, magnitudine animi et rerum gestarum gloria se superaturum sperabat. Neque vero in tanto moderando regno aut materia ingenio, aut ingenium materiae defuisset contendenti ad summam gloriam, nisi per adversam fortunam, infelicibus auspiciis capessentis regnum, animum fortuna maiorem vires defecissent. Hinc aliis solutus curis, passus est primum secum de propaganda prole agi, a qua re ad eum diem abhorrere visus erat: non solum quod per adversos multos casus iactatus, uteretur inbecilliore valetudine, quam ut aptus propagandae proli haberetur, sed quod animo etiam praesagiret, liberorum, si modo susceptos superstites relinqueret, nomine modo regnum, re Solimani futurum, cuius concessu, quamdiu is rerum status esset, liberos intelligeret regnaturos. „Potiri vero regno cui ea conditione permitteretur, ut rex serviret ei quidem necti aureas catenas, sed catenas tamen, atque adeo quibus saepe arctius, quam ferreis vinciretur.“ Valere enim regiam fortunam in tanta calamitate non ad levandum animum malis, sed ad calamitatem illustrandam, quae quo lateat obscuriore loco, eo qui ea afflictent afficiat minus, in regiae luce cum fallere

hominum conscientiam insignis aerumna non possit, eo habere sensum acriorem, quo plures fere sint, qui contemnant regum fortunam, infimis invisam quamdiu secunda flat, quam qui misereantur. Dedit hoc suis tamen Ioannes Rex, id enixe ab eo contendentibus, ut induceret animum de propaganda prole cogitare: cum illius studiosi homines Stephani patris manes excitarent, viri clarissimi, qui non procul a regia maiestate tum fortuna, tum meritis in rempub. amplissimis regnum omnium iudicio esset promeritus: cuius virtutis et gloriae imaginem per filium regem transmitti ad posteritatem, non familiae Scepusiae solum, sed universae etiam Pannonum gentis, cui illa semper splendori fuisset, permagni interesse contenderent. Praeposterum enim videri, cum pater Sarmatis reginam, Pannonibus regem dedisset, filium regem pati in se decus familiae splendoremque interire. Hoc maiores postulare viros amplissimos, a quorum virtute haud aequum esset illum degenerare, hoc regnum Pannoniae universum, ut sibi persuaderi pateretur, amplissimae familiae gloriam iam pridem illustris affinitate regii sanguinis, mox adeptam regii nominis maiestatem, per eum ipsum, qui primus illam partam haberet, ad posteritatem propagari. His victus Ioannes ex eadem regia, in qua nupserat Barbara soror, Sigismundi Isabellam filiam, quam e Bona Regina susceperat, duxit; et suis aliis lactis, quibus mortuo caelibe rege, spes omnes fortunarum et dignitatis praecidebantur, anxiis aliis, qui decendente Rege sine liberis, sibi principatum animis spondebant: populorum quidem omnium magno plausu, Pannonum inprimis, qui non regem solum e suis, sed ex eo regni etiam heredem quaerebant. Missi in Poloniam legati duo Stephani,

Brodericus et Verbecius, qui cum Sigismundo per novas filiae nuptias de confirmanda affinitate agerent: a qua quidem minime aversus Sigismundus iam pridem sua sponte in Ioannis caussam propensus, quibus placuit conditionibus, Isabellam illi filiam natu maximam despondit. Inde Brodericus cum collega reversus, a Ioanne laeto Sigismundi responso iussus est in Poloniam redire, additis collegis Petro Perennio et Stephano Homonajo, qui cum amplissimo comitatu novam nuptam in Vngariam deducerent. Albae Regali celebrati nuptiarum dies solennes; cum eodem tempore sancta maioribus caeremonia nova nupta, acceptis regni insignibus, clariores nuptias insigniores-que reddidisset. Tulisse hoc unus Ferdinandus iniquissimo animo fertur, cum haud esset dubitandum, quin nato Ioanni regni haerede, quidquid ille de suo iure, foedere feriundo decessisset, vetus controversia de regni successore instauraretur: cum quidem per Pannonum leges, designare Ioanni viventi regni haeredem, ne filium quidem liceret, aut de iure successionis cum exteris pacisci, non magis quam Ladislao olim licuisset; cuius auctoritas Vngaris non obstitisset, quominus, indictis more maiorum comitiis, eundem sibi Ioannem Regem crearent, quem quidem mirandum erat, immemorem patrii iuris, cuius fuisset acerrimus propugnator, ad suas conditiones, secutum Ladislai exemplum, Vngaros alligare: verisimile quidem hoc tempori dedisse, praesertim cum sua non interesse, sed Ferdinandi intelligeret, ita foedus iniri, ut spes esset apud posteros tenere. Nam, cum uno Ferdinandus, post Ludovici mortem, innixus, se regni haeredem ferret: facile animadvertit, nisi peteret subsidium ab armis, inferiorem se

gratioso adversario in contentione futurum, cui mores et iura regni faverent secundis suorum studiis dignitatem regiam adepto: ut mirum videri possit tantum regem, cum haec non ignoraret, passum esse perduci se ad eas conditiones, in quibus quam parum sibi praesidii fuissent olim petenti regnum, esset expertus: poenituisse quidem eum consilii, quod temporis vis magis quam certa ratio ab invito extorsisset, ea quae postea sunt consecuta docuere. Per idem tempus Solimanus expeditionem in Petrum Moldaviae regulum parabat, cum ob alias caussas illi infensus, tum quod male sua sponte affecto persuasum erat, Grittium ab illo proditum, atque a Transilvanis caesum ad Meggesium; quod ita esse secuta mox filiorum caedes declaravit: accedebat ad augendam offensionem amissa militum delectorum manus, qui una cum Grittio ab efferatis unius caede Transilvanis erant interfecti; ut nihil longius Solimano videretur, quam a tam scelerato homine expetere poenas. De quo homine propter fortunae atque humanorum casuum varietatem, quorum in hoc uno exstitit per ea tempora memorabile exemplum, aliquanto quam ceteri fusius dicendum videtur; quod ipsum tamen haud plane ab illius munere abesse credimus, qui Vngarorum res suscepit scribendas, quorum imperio perdiu Valachi superiorum regum tempore paruerunt. Apud hos Petrus summo loco natus in Draculam gentis principem originem referebat, qui avorum memoria, fama iustitiae, et prudentia inclitus, belli dissuasor fuit, quod funestis auspiciis Ladislaus Vngarorum et Polonorum Rex, Eugenio IV. Pontifice Maximo Christianos reges concitante ad arma, adversus Amurathem Turcarum imperatorem gessit. Quo quidem in bello Dracula, ne

minus strenuus gerenda re, quam disertus dissuadendo bello videretur, memorabili illo ad Varnam proelio, Ladislao Rege caeso, industrie se in primis atque impigre gessit. Valachos credit Aeneas Sylvius, qui creatus Pontifex Maximus Pius Secundus est dictus ea loca incolere, quae quondam Getae tenuere, quibus, pulsis Romanorum armis, colonia deducta sit a Flacco proconsule, a quo parum detorto nomine, sit Valachia tota provincia appellata. Sed quis hic fuerit Flaccus, aut quo tempore adversus Getas rem gesserit, coloniamve deduxerit, non tradit. Diu quidem Romanorum provinciam fuisse lingua fidem facit, qua ad hunc usque diem Valachi utuntur, adeo prope accedente ad antiquam Romanam, ut qui eam calleat, haud sit interpretem inter illos hospes desideraturus: id quod nobis contigit, cum in Dacia aliquot abhinc annis ageremus: qua in regione, soli ubertate et coeli clementia nobili, frequentes Valachorum pagi habentur. Gens vero tam procul abest a vetere Romanorum disciplina, quam prope abest a lingua: ut mirari satis non possim, hoc, doctos alioqui homines scriptum reliquisse, disciplinas, mores ac leges easdem, quas olim Romani, acceptas a maioribus Valachos retinere. Tanta quidem gentis barbaries, adeo rudes atque impoliti mores, ut cuiusvis potius, quam sui memores, ne se esse quidem homines norint, quae communia modo homines cum bestiis habent consectantes. Vna quae posset excolere barbaros mores, et tetra, atque immania ingenia, aliorum omnium religio potens, corrupta graeca superstitione, ut imbuat errore animos, non liberet. Inertia, socordia, somno, torpore languentia membra usque eo, ut quae in bestiis industriam excitat, rerum omnium egestas, quae sunt necessariae alendae hominum vitae, vix

possit stolidos homines excitare a languore et somno, ut quod vulgo agros colant, et pecora alant, quorum fructibus vitam tueantur, non ab illis extorqueat suorum caritas, sed nobilium hominum in illos ius, quibus addicti, tamquam ad hastam empta mancipia serviunt; ubi utrumvis liceat, insidere publica itinera, atque in silvis vitam latrociniis infamem traducere quam labore atque agrorum cultura malint. Itaque Saxones, potior et uberior Transilvaniae pars, non patiuntur temere eos in iis urbibus pagisque, qui sui iuris et ditionis sunt, coalescere: suis enim agros colendos (delegant), quos in opere assidui, et sua sponte industrii atque experientes, cum ad hominum solertiam soli bonitas accedat, opimos inprimis et feraces reddunt, ut nulla fere gens sit, quae aut uberiores suae industriae fructus legat, aut viliore frugum annona omnis generis utatur: saepe quidem accidit, ut tantum tritici nummo aureo Vngarico ematur, quantum alendis per annum quatuor hominibus bene valentibus, sex nonnunquam atque eo amplius sit satis. Aeque vero ut tritico, abundant vino, pecore, aliisque omnibus, quae venatu piscatuque e circumiectis silvis et saltibus, piscosisque amnibus et lacubus parantur. Iam et illi ipsi pagani homines exculti ad omnem humanitatem, atque in hospites benigni et effusi, ultro citroque peregre euntes hospitio accipiunt, ac laute et copiose habent. Verum ut eo, unde est digressa oratio revertatur, Dracula ante bellum salutaris sententiae auctor, Ladislao caeso, Ioannem Huniadem, qui se ad Valachos Transalpinos cum reliquiis victi exercitus receperat, quaecunque fuerit inconstantiae caussa, dolo captum redegit in potestatem, certa spe, ut apparet, ingentem gratiam ab Amurathe victore ineundi: non enim ignorabat unum omnium maxime

illi hominem invisum, qui maximas clades Turcarum genti superioribus annis intulisset, cupiditate ulciscendi incenso munus multo gratissimum futurum. Quae illi perfidia exitio, et posteris fuit; sive enim levitas ingenii ab animi dubio, sive infamiae metus mutationem consilii expressit, multis onustum donis atque ingentibus missum fecit: quae placando irati animo, tam gravi iniuria lacessito, et amiserunt gratiam, et vehementius implacabiliusque semel saucium oblata perculerunt: memoria iniuriae raro, nulla munerum gratia in ferocioribus ingeniis exolescente, certe, eo magis invisa, quo magis creditur ad obliterandam eam ipsam iniuriae memoriam obiectam: ut duplici nomine, et propter hospitii ius violatum, et quod dignum Huniadem censuisset, quem per ludum et iocum fallaci commento ludificaretur, dignus videretur, qui ultimo supplicio admissum scelus expiaret. Itaque post Ladislai mortem, quoad puer Rex adolesceret, Huniades prorex gentis decreto renunciatus, nihil prius habuit, quam ut coactis copiis in Draculam moveret, specioso titulo sceleris poenas a proditore expetendi, qui subnixo hospiti pacis atque amicitiae foedere per summam iniuriam, et deorum penatium violata sacra, vincula nectere veritus non esset. Ergo cum iusto exercitu superatis Alpibus, e Transilvania in Moldaviam descendit, atque omnia longe lateque incendiis et populationibus vastando hosti infesta facit, gravi bello atque adeo, quo resistendi ratio difficilior esset, nec opinato oppresso. Ita armis provincia occupata, Draculam vivum in potestatem redactum ultimo supplicio affecit, insigne futurum in posterum ad extremum vitae discrimen conservandae fidei exemplum, innoxiis liberis puniendis barbarum in morem,

iura humanitatis egredi visus, ex iis maiore natu, cum patre capite mulctato, altero effossis oculis eiecto, atque in Draculae locum, qui provinciae praeesset, novo homine suffecto. Eiusdem gentis Draculam Matthias Rex Huniadis filius aliquot postea annis opem poscentem liberavit, oppressum Turcarum armis, et mox (quibus de caussis non traditur) adductum secum Budam, decem perpetuos annos in carcere habuit, cum antequam e Transalpinis decederet, tertium eiusdem nominis Draculam provinciae praeesse iussisset, iam a Turca, eiecto altero, praefectum.

Creditur Matthias Rex adductus populorum querelis, quibus propter crudele atque immane imperium esset Dracula invisus, etiamsi reducendum eum sibi in regnum statuisset, eo honore habitum indignum secum abduxisse. Feruntur de eo quidem trucis ac barbari ingenii insignia documenta multa, quorum hic unum aut alterum tradere ab instituta navatione non erit alienum. Cum adeuntes illum Turcarum legati leniter, demisso capite de more venerati essent, iussos superbo ingenio capita aperire, quae longo volumine lintei tenuissimi tecta obvolutaque haberent, et pertinacius recusantes, cum non esse moris Turcarum dicerent, ne imperatori quidem detegere caput, pileos illis ternis clavis adactis, capiti affigi imperasse. Eundem cum una amicis discumbentibus convivium iniret, inter potandum, teterrimo supplicio carnificem Turcas afficientem, cum palo per sedem adacto, ultimos cruciatus per celerem mortem deprecarentur, laetis oculis ac vultu hilari spectasse. Alias egentes homines cum cura conquisitos sive inertia, corporis contracta labe, sive quo alio duriore casu deplorata valetudine mendicare stipem cogerentur,

lauto convivio excepisse: inde cum epulis et vino oneratos sensisset, septo inclusos subiectis ignibus cremari vivos iussisse, in eo, ut credebat, non inscite cavillatus, insigne beneficium habendum iis vitam eripere, quibus expetenda mors, vindex malorum, solatio et levamento esset. Iam illud haud minus truculentum, solitum spectare torquentem Turcas carnificem cum pedes sale aspersos, direpta cute, lambendos capris praebere cogerentur, ut ex linguae asperitate, et salis acrimonia morsus doloris et cruciatus acriores perferrent. Neque mitius in suos paullo gravioris maleficii, et sceleris convictos animadvertebat, suo ingenio gentem indomitam, et liberalioris cultus, ac disciplinae omnis expertem, qua spes esset insitam feritatem animis posse emolliri. Hanc vero saevitiae caussam, quam iniuria sibi approbari contendebat, aiunt Draculam obtendere solitum non barbarae immanitatis, sed iusti animi indicem, atque una maxime cura laborantis, vindicandi infestam provinciam latrociniis, quam patefieri nationibus exteris ad commercium volebat, non mortis metu barbaros, quam contemnerent, sed genere supplicii ab iniuria et maleficio deterrente. Semel quidem usu venisse aiunt, ut Florentinus mercator, qui illac iter haberet, cum postulasset, ut loco tuto liceret cum alias pretiosas merces, olosericam, atque auream telam varii generis, tum inter illas conditos pecuniae loculos (reponere), iussus relinquere per noctem vico medio, mane intacta omnia, non secus ac si ipse custos asservasset, retulerit, rem monstri ac portenti similem in tanta barbarie admiratus. Huic Draculae tamen, aliquot postea annis Matthias restituto regno paterno duo oppida ad veterem ditionem Cziczo et Chüküllum adiecit, qui postremo Thracio bello a Tur-

cis caesus finem simul vivendi et regnandi fecit. Huius stirps Petrus Moldavus praeferoci turbulentoque vir ingenio, exorta olim cum Sigismundo Rege controversia de finibus, quidquid intra duos amnes, Tyrum et Hyerassum Moldaviam attingeret, postulabat: Neque his contentus, medius inter duos positus, dum Ferdinandus Rex et Ioannes de regno dimicabant, ad maiora indies adiiciens animum, Transilvaniae imminebat; haud dubia spe, si quid durius Ioanni accideret, nobilitatis parte largitionum magnitudine traducta in sententiam, se res novaturum. Obtulit occasionem fortuna undique captanti, non semel a Ferdinandi ducibus Ioannis copiis deletis, atque eo ad Sigismundum Regem, deplorata spe suis umquam viribus recuperandi regni, confugere coacto. Incitabat per se ferocem animum duo oppida tuendi, atque ingens cura, quae a Matthia Rege, ut iam diximus, Draculae avo erant attributa; tum forte arma late per Transilvaniam circumferentibus, hinc Petro Perinnio, hinc Valentino Terekio, qui Ferdinandi duces, cum magna principum parte a Ioanne Rege defecerant, oppidorum recipiendorum caussa, quae in illius ditione habebantur. Ferdinandum porro Regem, et suis, et Caroli fratris opibus praefidentem horrebat; cum minime dubitaret, quin quae oppida Ladislaus et Ludovicus Reges armis repetentes acerrime oppugnassent, iam confirmatis Vngariae rebus, multo maioribus viribus esset aggressurus. His curis anxius, acceptis nunciis, Ferdinandi duces omnis metus expertes impune, tamquam in pacato per Saxonum sedes vagari, ut nunc vulgo vocant, de improviso eos in campis Coronensibus adortus (nobilissima Saxonum urbs est, sita in extremis Transilvaniae finibus) ingenti clade affecit, aenea

tormenta quae secum ad urbium oppugnationem avexerant, relinquere coactos. Rei praeclare gestae fama Ioannem Regem in spem magnam erexit, Moldavo belli socio ascito, regni cuius iam spem abiecerat recuperandi. Itaque missis ad eum legatis, qui magnis pollicitationibus eum elicerent in belli societatem, enixe rogat, ut coniunctis secum armis, communi consilio gerere bellum pergat, non in eo sibi solum, sed Solimano etiam, qui strenue rem gerentibus haud defuturus sit, rem gratam facturus. Superbum barbarum, et qui laetis rebus inflatus afflicti atque ciecti Regis fortunam despiceret, ita missa legatio non movit, ut, unde spes extorri affulgeret bene gerendae rei, ipse victor fiduciam et spiritus sumeret ad eum ipsum, qui illius fidem atque opem imploraret, et e Transilvania pellendum, quae adhuc illius imperio parebat. Iam magna spe fretus rem ex sententia successuram, ad Bistriciam, unam e Saxonum sedibus copiis adductis, oppidanos urbem dedere, atque imperata facere coegit, iam antea nonnullis arcibus et pagis belli terrore circumlato in potestatem redactis. Interea Ioannes Rex usque adeo sua spe frustratus, uti ab eo, quem sibi futurum belli socium sperabat, ea parte imperii qua potiebatur, spoliaretur, obsecundandum tempori arbitratus, cuius opportunitate usus ferox hostis infestus Transilvaniae imminebat, missis legatis, qui de iniuriis expostularent, amice monendum curavit: videret quo elatus imperandi cupiditate, violando amicitiae iure progrederetur. Quae mala ne Solimanus suos pateretur, per unius reditum imminentia, horrere, supplicibus per dei immortalis sanctissimum nomen, cuius vim infestam sceleratis, unus regum maximus referret in terris, se etiam atque etiam orare. Legatorum orationem eleva-

bat fama minime dubia eorum, quae in Moldavia acta essent, certari inter multitudinem, et nobilitatem partium studiis, neque qui iure legitimo, aut gentis moribus, sed qui viribus, et armis pollerent, superiores in contentione haberi. Hinc fieri, ut nullius esset diuturnum in Moldavos imperium, quae superior factio armis esset, sive eius iusta, sive iniusta caussa haberetur, deiecto per vim, principatu, qui regnaret, e suo corpore deligente, quem mox altera emergens regnantem pelleret, ac deiiceret loco. Neque Petrus interea sibi decrat, ita cupiditate ingenti incensus ad principatum repetendum, ut oblatae occasioni non esset imparem animum et vires allaturus. Adire ministros regios, prensare, negare legitimis suffragiis, gentis more atque instituto Alexam creatum, natum obscuro loco hominem, et imparem regno, per paucorum coitionem ab exilio revocatum, quibus non liceret privatam rem, nisi eversa publica, tueri: Delegisse non quem principem agnoscerent, quam magistratum gerentem, et ius dicentem populis, sed per quem regnantem nomine, intolerabilem privati in suos dominationem exercerent. Ex horum ordine delectos, qui apud Solimanum imperatorem sibi repetenti principatum adversarentur, privatorum libidini publicam caussam obtendentes. Scilicet conscios domesticorum scelerum, unum se horrere eorum futurum vindicem, quae scelerate in deos, in homines admisissent, assueti homines ita in promiscuo licentiam habere, ut nemini parcerent, nisi per quem aditus sibi ad ea pateret, quae non ferenda legitimo potienti imperio flagitiose, et nefarie in eum per omne genus contumeliae atque iniuriae molirentur. Scire principe se, abstinendas manus privatis a pecunia publica, a maleficio, et iniuria in omnes, a

caede, a rapinis, a sacrilegiis temperandum; quibus vitam contaminatam dilapidata privata re, tueri scelatissime cogantur. Haec dicentem, ut aequioribus animis regii ministri audirent, inimicorum nimis accelerata ratio efficiebat, principi mortuo novum sufficiendi, cuius declarandi praerogativam ad Solimanum pertinere arbitrabantur, in cuius se fidem tradidissent: temere fecisse, quod praecipere sibi ius summum imperii ausi essent, cuius dandi atque adimendi potestas non penes deditionem esset, sed penes eum cui se dedissent: quo quidem inconsulto nihil iis quidquam novandum, quod pertineret ad summam rempub. censebant. Laesam ab iis imperatoris maiestatem, qui principatum, quem esse illius beneficium non ignorarent, cui visum esset detulissent: ut etiam, si maxime dignus principatu haberetur, cui eum honorem habuissent, uno hoc nomine quod in eo honestando violata a Moldavis maiestas summi imperii esset, eo videretur abdicandus. Cuiusmodi tamen eum non esse, illud haberi argumenti loco, quod de eo non ausi essent Solimanum appellare, cui intelligerent neminem posse probari, quem non certa iustitiae, et sapientiae fama fidem faceret futurum administrando imperio parem. Ita moesti legati ad suos literas dant, quibus quam angusto loco sint eorum res, docent. Praeoccupatam a Petro per regiorum studia ad Solimanum gratiam, quorum animos sibi aut magnis muneribus, aut maximarum largitionum spe haberet devinctos, ut nemini dubium esse posset, quin primo quoque tempore Turcarum armis in regnum reduceretur. Alio esse confugiendum, qui eo rerum potiente se parum tutos futuros arbitrarentur: praecisam enim spem omnem quidquam aequi a Turca impetrandi, qui uni faveret maxime, a

quo ipsi essent maxime aversi. Quibus illi cognitis, specioso quidem consilio, sed parum tempori apto, quod praesens subsidium requirebat, legatos ad Carolum Caesarem mittunt, et ad Ferdinandum Regem viros spectatae prudentiae, qui doceant magnam occasionem ostentari adversus communem hostem Turcam rei bene gerendae, modo oblatam agnoscentes expedire arma, et ferre opem poscentibus, quorum res arcto loco laborent maturent. Moldavos a Turca gravissimis de caussis alienatos ad defectionem spectare: atque adeo, ut quominus id primo quoque tempore agant unus potentia atque opibus par ad quem deficiant desit. Si equitum X millia subsidio mittantur, cum ipsi equitum delectorum XL millia habeant in armis: ubi et iam congrediendum sit cum Turcarum immensis copiis, se de belli eventu minime dubitare. Properato modo opus esse, occasione non ferente moram, quae ut subito, et praeter spem non expectata adsit, ita e manibus horae momento neglecta effluat. Dari in praesentia optionem, Turcarumne an Ferdinandi et Caroli V. Caesaris Moldaviam fieri accessionem virium malint, regionem ferocissimam atque equis virisque abundantem: se quidem Turcae sua sponte infensos, quo vis fas, religio suadeat quam sancte colant, ad eos inclinare, quorum numquam in Christi religionem principum intelligant viribus aequari. Cum his mandatis dimissi legati quo facilius inimicos se passim observantes fallerent, per Turcarum praesidia iter facientes mutata veste, et uno modo atque altero comite contenti, qui duces simul itineris essent, proficisci iubentur. Speciosa re magis legatio, quam ullo orationis apparatu, instituta alieno tempore, quo uno suscipiendae consultationes de rebus gravioribus maxime in-

digent, neque usui fuit, duos fratres reges intestinis Germanorum discordiis a respiciendis aliis rebus avocantibus, et quod necesse fuit, plurimum etiam obfuit. Nihil enim eorum, quae a Moldavis agerentur, regios ministros Byzantii fugiebat, Petrum suarum partium hominibus de iis eo litteris crebrioribus certiorem facientibus, quo eos magis celatos inimici vellent, cum quidem vitio humani ingenii in multorum numero, qui se videri studiosos adversariorum partium vellent, non esset satis tuta fides. Eo vero Solimanus in Moldavos incensus vehementius, quo ad Ferdinandum confugissent maiore cum sui contumelia; se facile passus Petro per suos reconciliari, receptum iterum in fidem, iurare in verba, et sacramento de more adigi iubet: mox Himbrecurtio, impigro homini et rei militaris perito, negotium dat, ut contractis copiis det operam, ut primo quoque tempore Petrum, redactis inimicis in potestatem, reducat in regnum. Quae cum in Moldaviam fama minime dubia allata essent, trepidi Boierones, quo res praecipites temeritas egisset, novo scelere, ita e praesentibus malis emergere sperantes, semel admissum scelus cumulare pergunt, atque Alexam incautum adorti interficiunt. Inde mortui caput Petro advenienti ad placandum irati animum tradunt, Turca duce sceleris immanitatem detestante. Quos Petrus eludendos pari fallacia arbitratus, in praesentia collaudat, ac sequi se, et deinceps, obliteratis offensionibus, de se omnia bene sperare iubet. Mox Suchaviae in regia collocatus, vir, ubi cetera paria essent, in omni fortuna admirabilis, muneribus amplissimis ducem, militem donativo liberaliter prosecutus, dimisit. Inde converso animo ad res constituendas, quae per insignem varietatem temporum, non facile defervescente

irarum aestu fluctuabat, e Boieronibus, quos principes coniurationis fuisse, et desertionis auctores constaret, iussos caussam dicere, rapiendos damnatos ad supplicium, et plectendos capite curavit. Interea Ioannes Rex audit in Transilvania, coniuratione principum facta, nova adversus se consilia iniri. Praecrant tum provinciae Stephanus Mailatus et Emericus Balassa, quorum fides maxime erat Ioanni Regi probata, fallaci spe decepto, Mailatum, quamquam ille animi impotens, et superbo ingenio uberiora praemia posceret egregie navatae adversus Grittium operae, Transilvaniae praefectura contentum futurum, quam et ipse ante initum regnum, et semper, maiorum memoria, clarissimi viri, et dignitate atque auctoritate principes, administrassent. Cupiditate enim regnandi incensus, quae illi mox pesti atque exitio fuit, missis ad Solimanum literis, tentabat per eorum gratiam, quorum erat maior in regia auctoritas, regnum deiecto Ioanne occupare, cuius beneficio, praeter honorem provinciae, ex infimo loco ad summum gratiae locum (evectus est): mox ea spe deiectus, Ferdinandum Regem multis pollicitationibus et prolixis incitatum, cum illi spem faceret brevi per suarum partium homines totius regni adipiscendi, sibi conciliare studebat: Sperabat vero regem Ioanni minime aequum, deiici se Transilvaniae praefectura haud passurum. Sed Solimanus, cum ob Gritti caedem pridem Mailato infensus, qui eius interficiendi fuisse auctor ferebatur, tum suo ingenio, ut nemo alius magis a proditoribus fovendis alienus, quas Mailatus ad se literas miserat, Ioanni Regi cum fide curavit reddendas, adiectis aliis suis, quibus illum amice monebat: Videret posthac, quousque progrederetur suis credendo. Non ita multos in regum consilio haberi; in quibus insignis pru-

dentia inesset, aut fides; vix unum aut alterum, in quo esset cum summa fide par prudentia coniuncta. Si altero carendum esset, nudam fidem, tectae calliditati praeferendum. Nam, quae imperia unius consilio minus munita starent, posse alieno fulciri interea in rerum moderatore probitate industriam excitante; quae raro esset, magnis etiam gerendis rebus, atque arduis infelix; quo enim quisque sui conscius sibi fideret minus, eo adversus omnes insidias cautiorem vigilantioremque esse: consilium, quod non probitas fidesque moderaretur, ut in occulto hoste latentia arma, aut in poculo dilutum venenum, quibus usui esse deberet, exitium afferre. Hoc esse functum officio Solimanum in Ioannem Regem ne Iovius quidem inficiatur, eorum immemor, quae paullo ante dixisset: Incitatum Barbarum a Laskio Ferdinandi legato, cum quae acta cum Ferdinando essent, illi omnia aperuisset, in Ioannem Regem, maximum atque inexpiabilem odium suscepisse. Non eadem moderatione animi usum Ferdinandum fide sua in Ioannem exsoluenda acerrime accusat, quasi per Thomam Nadasdium, cuius soror Mailato nupserat, cum alio largitionum genere, tum spe provinciae maximae Mailatum delinitum in partes traducere conatus esset, concepta fallaci spe, per illius auctoritatem cum alias Transilvaniae civitates, tum qui Saxonum sedes appellantur, ad voluntariam deditionem perducendi. Germani enim origine, haud tacitis studiis, ubi utrumvis liceret, Vngaro Ferdinandum Germanum regem praeferebant. Ab eodem ait Emericum Balassam, quem Ioannes collegam Mailato dederat, cum ad defectionem sollicitatum, magnitudine largitionum, mox in sententiam traduxisset, conatum esse populos, per se iam ad defectionem spe-

ctantes, ad arma excitare, id facile futurum coniicientem, quod iam civitatibus tributis exhaustis, pecuniae, iniqua aestimatione, non habita fortunarum, non census ratione, viritim imperarentur. Neque ratio temporis populorum querelam minuebat, quibus prospicere, et tueri simul publicum otium, non facile, volenti etiam maxime, licebat, Byzantii Solimani ministris, alterum iam annum Ioannem Regem vectigalem pecuniam debere: ut magno consensu negantibus esse unde soluerent, opportuna occasio ad alienandos a Ioanne Rege animos oblata videretur. Quibus de rebus Ioannes, ut diximus, certior factus, iusso milite Budam ad signa convenire, in Transilvaniam movit, celeritate sui adventus coniuratorum consilia, quae non ut facile iniri, ita facile conloqui, atque explicari possent, oppressurus. Ac quo opinione clementiae sibi provincialium animos conciliaret, iussis suis a maleficio temperare, ita edicendum curavit, se ita armatum adventare, ut salutaria suis arma nemini, qui non in ea ultro incurreret, essent incommodo futura. Esse enim suum consilium, ut quae seditiosi homines ad perturbandum quietum provinciae statum, falsis rumoribus dissipatis molirentur, suo adventu disiiceret, atque ita hoc tamen, ut ne iis ipsis quidem quidquam ... esset timendum, quorum scelere factum esset, ut invito et detractanti adeo essent necessario sumenda arma. Principum conventu indicto, evocaturus ad caussam dicendam, qui capita seditionis haberentur, interposita publica fide, omnia iis tuta a vi atque ab armis fore: quidquid de iis, cognita caussa, principes statuissent, eo se contentum, neminem violari armis passurum. Ita conventus in certam diem Tordam indicitur, nobile Transilvaniae oppidum salis emporio, cuius est tota regio feracissima. Mox

datis ad coniuratos literis, quibus, parentibus imperio a capitis periculo cavebatur, se iudicio sistere ad praescriptum diem iubet. Quae dum ita a Ioanne Rege administrantur, Stephanus Mailatus, ex sceleris conscientia, deplorata veniae spe, se Fogarasium recepit, oppidum suae ditionis, cum loci situ, tum operae munitissimum. Hinc collecta tumultuaria militum manu, quo praesidio tutus adversus regia consilia atque omnem casum esset: illic, qui exitus eorum esset, qui ad diem affuturi ad dicendam caussam dicebantur, exspectare constituit. Interea Ioannes Rex Balassam aggressus, infesto agmine populabundus, in eius ditionis agros atque oppida excurrit: in his Almas et Diodum omni belli clade vastata redigit in potestatem. Quo cognito Balassa, omni alia spe salutis abiecta, de amicorum sententia, pulla veste indutus, quod indicium resipiscentis animi et admissum scelus agnoscentis esset, ultro in Regis castra proficiscitur, atque ad pedes proiectus, et totus perfusus lacrymis, infimis precibus, quae indicio essent diffidentem suae caussae in unius laesi Regis clementia et misericordia omnem spem positam habere, veniam poscit: Inductum se atque impulsum Mailati fraude, quo minime aequum esset; posthac se daturum operam, ut contrariis officiis multis atque illustribus in Regem optimum atque praeclare de se meritum admissum scelus et flagitium sarciret. Ne pateretur insitam animo clementiam, cuius aeque laetis atque adversis rebus illustria semper dederit documenta, suo scelere vinci, dei immortalis placabilem iracundiam, non inexorabilem, non diu obluctantem, non occludentem benignitatis aures miserorum precibus aemulatus ita, ut omnium oblivisceretur, quae humano errore non animi contumacia, non superba nu-

minis contemptione Regis clementem et misericordem animum ab instituta consuetudine ignoscendi supplicibus avertisset. His Rex delinitus, cum amicorum preces accederent, quos reus aut amicitiae aut propinquitatis necessitudine habebat devinctos, facile condonatis offensionibus omnibus, passus est secum in gratiam redire, duabus modo arcibus retentis, quas vi expugnatas in potestatem redegisset. Quibus cognitis rebus, unus e principibus coniurationis Franciscus Kendius, cum frequenti conventui et ipse sistere se esset iussus, ad preces caussa diffisus Balassae exemplo, omni alio effugio intercluso, se convertit. Ita vero culpam agnoscebat, ut magna eius parte in Mailatum derivata, probabili coniectura, cuius contumacia in incepto perstantis culpam augeret, facti veniam, atque impunitatem a mitissimo Rege se impetraturum non desperaret. Brevis quidem regis oratio fuit: Cum ipse, cuius maiestatem rei laesissent, quamquam caussa superior, et armis legitimo gentis more ius suum persequi constituisset: Non facturum se, ut iis praescriberet, quorum ius moribus et legibus regni de his pronunciandi esset, quominus ex sua fide in maiestatis convictos, atque ultro crimen fatentes animadverterent. Nihil sibi proclivius, quam ignoscere implorantibus suam fidem, ubi privata sua caussa, modo non reipub., ageretur. Sed non hos ad sese pertinere, qui posuissent privatam personam, cum regiam suscepissent: Neque enim eos in Ioannem Scepusium coniurasse, sed in Ioannem Scepusium Pannonum Regem: qui nisi muneris et nominis maiestate inter suos tutus esset, tum de communi omnium salute videretur desperandum, quae ex unius regis salute penderet: quemadmodum enim secto capite totum corpus interire necesse est,

ita esse necesse everti regnum, rege, quasi capite, de medio sublato. Nam si quaereretur quae caussa olim legislatori fuisset animadvertendi in maiestatis reos severissime: haud dubium fore, quin unam hanc caussam secutum apparet, quod in laedenda regis maiestate simul violari gentium ius, divinas atque humanas leges omnes, dei immortalis maiestatem inter homines existimaret, cuius personam rex in terris referret. Quid vero aliud agere illos, qui non agnoscerent regem, quam perturbare hominum vitam, cuius tuendae caussa esset regia potestas instituta, velle regnare vim atque arma, pessundari leges, iudicia everti, communia gentium iura exstingui? quae cum in principio male vita hominum desideraret: in urbes receptum quaeri esse coeptum legislatorem, magistratum, regem: cuius auctoritate repressa, ni, in eadem aequabilitate homines, pari iure agentes continerentur. Non se invasisse regnum armis, non malis rationibus quaesisse, non haereditario iure, non corruptis suorum animis largitionum magnitudine; non iniquis pactionibus: ante se expetitum regem populorum votis, plausu, acclamationibus, quam creatum suffragiis: quod raro alii apud exteras gentes (abesset verbo arrogantia), numquam in Pannoniae regno cuiquam evenisset. Ita vero multa adversa suos esse passos, se evecto ad regnum, ut una iis caussa honestissima fuerit, non regem solum tuendi, sed etiam regni iura, patria instituta, mores, leges, quas exteri reges, per pactiones nuptiarum et privatae coniunctionis iura labefactare atque evertere conati essent. Innocentiam quidem suam, eximium studium et pietatem erga patriam, quo mature minus sui perspectam haberent, adversa sua tempora potuisse efficere: minime exstinguere, aut delere potuisse: quo

infestior iis esse deberet, qui quo tempore speraret, hunc iudicii sui fructum referre, ut patriae aliquando, quae sibi summum honorem in terris habuisset, parem gratiam referret; pacis atque otii perturbatores de prodendo exteris regno scelerata consilia agitarent. Quae quamquam ita essent, mitius tamen se cum iis acturum, quam eorum scelus postularet, tum ut ingenio suo indulgeret, cui non posset pati vim afferri severius agendo; tum, ut aequi, atque iniqui cogerentur fateri, quam nullo suo merito in suum exitium scelerati homines conspirassent, quem non literis solum, et testibus, sed sua confessione etiam convicti, tanto leviorem mitiorumque essent suo merito experti. Secundum Regis orationem, et Kendio, et aliis excedere iussis, qui cum eo coniurasse dicebantur, sententiae rogari coeptae, quae quidem, nullius variante, capitis damnandos, atque ultimo afficiendos supplicio censebant, adiecta proscriptione bonorum, ut ne feminis quidem, quod raro accidit, publicatis proscriptorum bonis caveret, eodem calamitatis genere cum viris comprehensis: sive enim depravatis odio animis, sive assentandi studio Ioanni praesenti, qui mos in regia viget, nulla religione obstrictum Regem iis contendebant, qui maiestate Regis violanda, leges omnes et iura violassent. Quibus Rex minime assensus, ne vindicando scelere, quod longe abesse a tam augusta persona deberet, videretur ipse immemor suae constantiae fuisse, missos fieri iussit. Inde ad principes et civitatum legatos conversus, gravi imprimis atque accurata oratione, de praesenti rerum statu agere coepit. Quo maiorem semper in se pietatem rebus suis adversis esset expertus, eo se angi vehementius, quo tempore cogitari aequum esset de illa sublevanda et recreanda a praesentibus malis, tempore id extorquente ab invito sibi

novo incommodo esse afficiendam. Orare enixe, quando cum sua caussa esset coniuncta publica salus, haud acriore studio crederent se moveri privatae sui rei, quae sine publica salua esse non posset, quam reipub. cura. Si cordi esset otium, securitas, pax, qua nihil in terris haberetur amabilius; ea quidem esse rei familiaris iactura, sed quae esset tam perexigua, redimendam: quam ipsam, si id fieri ullo modo posset, suo ipse sanguine esset redimere paratus, culpam quidem (si modo ea culpa esset,) non usque eo gravius incommodi quod intelligeret suis esse subeundum, se a suis deprecari, quamquam illam temporis, non suam, minime a se praestari aequum esset. Ignorare, quae tempora requirerent, qui vim temporum et procellam parum nossent: quae cum eadem semper in magno fluxu rerum et vicissitudine esse non possent: haud mirandum videretur, si quae paullo antea iniusta, foeda, non ferenda haberentur, paullo post non solum nullo cum dedecore, sed magna etiam cum laude ab aliis, loco et tempore alio susciperentur. Quid immane, tetrum, truculentum magis, quam a parentibus interfici liberos? at unam rationem temporum, in Romana olim civitate effecisse, ut L. Brutus, idem patriae vindex, Tarquiniis exactis, idem liberis securi subiectis, immortali cum sua gloria suorum civium libertatem sanciret. Ita Virginium filiae pudorem sua manu interfectae servasse integrum a flagitii labe; ita T. Manlium militarem disciplinam filii supplicio, adolescentis magnae indolis, et per maiorum vestigia contendentis, ad summam gloriae constabilisse: eandem rem saepe honori aliis, dedecori aliis fuisse, vexasse tyrannos patriam, cum civium bona suam praedam facerent, cum hastae subiicerent innocentium domos, agros, fundos, quorum memo-

ria iniusta sempiternis maculis ad posteritatem propagata esset. At exegisse eadem a suis, tempori obedientes optimos reges, et quorum eximia esset in patriam caritas, egregia voluntas, neque pecunias immanes modo, sed quae necessaria etiam ad vitae cultum haberentur, exegisse, quibus quidem quando ea redimenda essent, quae liberi homines longe vitae praeferrent, pax, otium, libertas, qui ea a se posci cum usus requireret, recusarent, eos ne videri quidem nosse, qui verae esset vitae, qui libertatis fructus, sine qua qui possent iucunde vivere, in iis, sub hominis persona pecudis ingenium latere: ubicunque de collatione tributi ageretur, tria haec inprimis spectari consuevisse, et quibus esset tributum imperandum, et qui imperarent, et quae temporis vis esset, cum ad confectionem tributi conferri oporteret. Quae omnia si expendantur a suis sedato animo, et repressa ad tempus cupiditate, qua interdum plus aequo efferantur, seditiosorum vocibus incitati: tum intelligant nihil sibi loci ad iustam querelam relinqui, contra esse, quare Regi suo gratias agant, qui per hanc rationem populorum saluti et securitati consultum velit. Nam ut a tempore inciperet esse tum eum rerum statum, ut aut iactura libertatis, pacis, otii, aut census perexiguae partis facienda esset: in quorum altero esset certum compendium, et quaestus; exitium in altero: recusantibus enim pendere tributum, impendere tristis ac funesti belli metum, eorumque malorum omnium, quae barbari hostes inveherent gerentes infesta arma, caedium, populationum, raptus in servitutem parentum, coniugum, liberorum, incendiorum, aliarum cladium, quae sero, et cum poenitendi nullus usus esset, redempta iactura omnium fortunarum vellent: contra sentientibus omnia, quae ab hominibus

maxime in vita expeterentur, speranda sua exspectatione uberiora, pacem, otium, liberum commercium cum finitimis gentibus, agrorum culturam, vilitatem annonae, quaestum, subolis propagationem: quibus rebus beatae civitates, atque opulentae ad multam felicitatem coalescerent. Quam vero rationem eorum esse, qui adversus tempora pugnarent? dubiumne iis esse posse, quin superbus hostis, et qui utatur ad iniuriam immensis viribus, stipendiarium populum detrectantem imperium sit bello, igni, ferro persecuturus? ut neminem iam fugere deberet (consilium), quod secuti scelerati, (multitudinem a) tributi collatione deterrendam censuissent: si enim ea vera essent, quae commemorasset, tum neminem non videre illud necessario sequi, ut cum nulla ratio ab iis iniri posset, quam scelerato incepto obtenderent, fateri cogerentur, specioso titulo et plausibili sublevandae multitudinis oppressae, in Regem innocentissimum eius rei invidiam quaesisse: quasi id esset molitus (si superis placeret) ut collatam stipem a suis ad pacem, atque otium provinciae tuendum, avarus rex, immanis, crudelis, in privatum usum converteret. Qui si posset sibi persuadere, hanc de se opinionem suorum insitam animis, ut publica re privatam haberet potiorem, non minore constantia, quam accepisset, per tot annos tutatus esset multis acceptis illatisque cladibus, esset ultro regni insignia positurus. Ita certe se habuisse semper vitae rationes exploratas, ut diu obiectus adversae fortunae telis, iactari vexarique potuerit; nullis potuerit flagitii sordibus contaminari, ab omni fortunae impetu, dei immortalis benignitate animo erecto ad decus, et gloriam, invictoque ab iis omnibus, quae indigna rege, ac vero principe essent, praestitisset. Ac quando satis munitum pectus haberet in-

nocentia, adversus inimicorum maledicta, quod obiectum scutum calumniis et criminationibus omnibus esset impenetrabile: se haud pluribus, quam constantia sua requireret, de se acturum; tum ne ultro sibi ipse iniuriam faceret, ubi apud suos indigere defensione, in caussa iustissima videretur; tum ne sui tam male de se existimari quererentur, quorum semper eximia studia in se voluntasque extitisset, ut apud se tamquam reum caussam dicere Ioannem Regem, Mailato accusatore paterentur. Iam, de eo nolle se longiore oratione uti, quod primo loco dictum esset, spectari oportere, quinam ii essent, quibus Rex tributum imperaret; quando ex descriptione census satis apparet, 'quanta aequitate et moderatione in eo ministri regii usi essent. Datam certe operam esse, ut nemo merito posset queri, sibi iniustum onus impositum', et suis viribus maius. Nam, quo alacriore animo quisque sibi onus imperatum ferret: datam operam esse, ut nemo eius immunis expresse esset, non principes, non Regem eximium habitum; cum quidem aequum videretur, in quibus esset facultas maior, divitiae, copiae, ut iis in iuvanda sublevandaque patria imponerentur principes partes. Irent, diis bene iuvantibus, ita comparatis animis ad ea exsoluenda, quae eorum requireret fides, ut patriae, cuius caussa natos se, atque in lucem susceptos meminissent, et vitam, et liberos, et fortunas poscenti, a qua accepissent, essent reddere parati. Hac habita oratione conventum, dimittit, copiarum parte alia ad occupandas Kendii arces, Fogarasium alia adversus Mailatum praemissa: ipse Sazsebesium concessit, oppidum peramoenum, quo secessu crebro uti solebat unico miliari a regia urbe, cum ob salubritatem coeli, tum ob aquarum copiam, atque ubertatem Sebesio flu-

vio planiciem placide ac leni cursu adlabente, in quo sita urbs est. Fuisse eius consilium, ipsi a loci incolis audivimus, ampliare urbem latiore ambitu; cum magna ex parte subiectam planiciem complexus, tum frequentia aedificiorum, tum commercio finitimarum gentium, brevi celebrem se redditurum speravit, quo id facilius assequeretur, statis anni temporibus mercatu provincialibus indicto, qua in sententia dicitur filius fuisse, qui florenti aetate altae indolis adolescens, ac spei summae Albae Iuliae occubuit. Neque ita multo postea correptus gravi morbo, vir in omni consequenti aetate futurus memorabilis, certe qui secundis adversisque rebus habitus semper esset praesenti fortuna maior, minime opportuno suorum tempore interiit, anno eius seculi XL. XI. Kal. Augusti. Ferunt graviter aegrotanti, dum vehementius oppidum Fogaras oppugnaretur, laetum nuncium Buda allatum, ei Non. Iuliis filium natum. Quo accepto nuncio, cum Rege omnibus in magnam laetitiam effusis, tum qui Sazsebesii erant, tum qui in castris Fogaras obsidebant, tubarum clangorem et tympanorum ac tormentorum strepitum natalicius pueri dies militari more concelebratus est. Quod quidem gaudium ne solidum esset, filii ortum secuta patris mors excepit. Cum enim inter duos nobiles Transilvanos orta controversia apud Regem, qui eius dirimendae sibi partes sumpsisset, vehementius uterque suum ius tueretur, fessum Regem altercantium importunis clamoribus, Vngarica lingua, non sine gravi iracundia et stomacho exclamasse fertur: Enimvero hoc ius est. Inde cum plura dicere volentem et lingua simul et animus liquisset, in interius conclave a suis reductus, et vivendi simul, et regnandi finem fecit, filio relicto cum vidua matre, per

utriusque fortunae varios casus insigni exemplo posteris rerum humanarum inconstantiae futuro. Variat Iovius tota hac re narranda ab iis, qui rei gestae interfuerunt, quorum adhuc nonnullos nobis licuit per otium percunctari, qui eodem consensu rem ita esse gestam, ut ipsi tradimus, affirmant. Nam et principum conventum Cibinium indictum tradit, et Regi convalescenti e morbo, atque adhuc imbecilli viribus nuncium allatum de nato filio: cuius rei caussa, instructo convivio, apparatu magnificentissimo, epulis interfuerit, coactus militum gratulantium vocibus, qui hilariter traduci tam laetum diem, atque accumbente cum suis Rege aequum censerent, quibus cum elatus gaudio, vino effusius indulsisset, iterum quasi redivivo morbo correptus exstinctusque sit. Iam ante Ioannis Regis mortem, Georgius Varadiensis Episcopus, cuius maxime fide et consilio in regni administratione utebatur, erat ad Solimanum Byzantium legatus ad tributum ex foedere pendendum; qui cum adhuc in itinere nuncios de regis morte accepisset: tum viduae reginae, tum pupilli permagni interesse arbitratus, se illi tam necessario tempore adesse, ex itinere Budam est reversus. Inde alia legatio ad Solimanum decreta, delectis, qui munere legationis fungerentur, Stephano Verbocio cancellario regni, et Ioanne Ezekio Quinqueecclesiensium pontifice, quorum imprimis Regi fuerat magnis gerendis administrandisque rebus spectata prudentia et fides. His datum negotium simul, ut tributum Solimano afferrent, quod, ut diximus, alterum iam annum sibi deberi, aequissimo animo esset passus; simul postularent, ut infantem Regem in suam tutelam receptum, in demortui locum surrogari iisdem conditionibus, quibus pater pridem regnum obtinuisset, pro sua

vetere in parentem indulgentia et aequitate pateretur: cum quo quidem fide, studio, observantia filius esset erga optime de se meritum principem certaturus. Ad tributum adiecta munera luculenta, paterae X e solido auro, argenteae inauratae centum, ex oloserica veste tum purpurei, tum punicei coloris tunicae quadraginta, in quibuserant lati clavi auro distincti, omnes ad morem Turcarum conformatae. Eodem tempore placuit, ad subitos casus, arces validioribus praesidiis firmari, suspecta multorum fide, qui cum fortuna mutare studia et consilia consuevissent. Inprimis urgebat Ferdinandi metus, quem nemo ignorabat, ob recens foedus cum Ioanne ictum, eo mortuo regnum repetiturum armis, quod tutores, nisi freti maioribus viribus, plane se posse tueri diffidebant. Ita vero ad Solimanum confugientibus affuturas vires sperabant, ut non dubitarent, ubi his uterentur, quin inde esset initium futurum ingentium malorum; quae brevi postea Pannoniae regnum involuerunt. Iam sub Ioannis Regis mortem, regii duces Fogarasii arcem receperant, spe veniae Mailato facta, atque adeo Daciae praefecturae recuperandae, quam gessisset: cum arcta obsidione circumsessum neminem adire passi essent, qui de Ioannis morte, qua de re permagni illius intererat primo quoque tempore certiorem fieri, illi nuncium afferret. Quae dum ita ab his administrantur, translatum Sazsebesio Regis cadaver Albam Regalem, prosequentibus funus exterorum regum legatis, ac principibus regni, apparatu magnificentissimo effertur. Inde, si Iovio credendum (nam Vngarici, a quibus percunctati sumus, negant), actum de puero regiis insignibus honestando, quem quidem sacra corona de more ornatum, adhuc Perinnio manente in fide, penes quem insigne sacrum

asservabatur, Regem appellarunt: neque ita multo post is ipse Petrus Perinnius, Franciscus Bebekus, Stephanus Raskaius, et alii nonnulli, sive nobiles et potentes homines Georgium non ferrent, novum hominem summum gratiae locum apud viduam Reginam obtinentem, sive in puero aetate, sexu in femina, in parente aeque et in filio orbitate contempta, fortunam florentem prostratae atque afflictae praeferrent, ad Ferdinandum transierunt; ex quibus Perinnius summus Vngariae cancellarius, ut vulgo appellant, creatus, Agria insuper et Thata duabus arcibus munitissimis donatur. At apud Reginam ita summa rerum penes Georgium erat, ut summo in honore duo essent, quorum alter nobilitate, alter praeterea regia affinitate conspiciebatur: Valentinus Terek, praeter nobilitatem, cumprimis rei militaris clarus, et Petrus Petruicius, cum magni usus et consilii homo, tum fidei et virtutis spectatae, quam ad extremum usque diem, magna cum constantiae laude, in tutelae administratione retinuit, Georgio datus, collega. Ita autem erant diversae partes, ut arces, urbes, regni vectigalia, aerarium inprimis Georgius cum Regina administraret, callide augusto nomine objecto, ad invidiam declinandam; Terekius parum Georgio aequus, et in arcanis consiliis, quae separata a viduae et pupilli caussa iam animo agitabat, opportunus occurreret per honestam caussam e regia ablegandus rei militaris procurationem armorumque tueretur. Nam, quo minus Georgius offenderet, ad regiam potestatem ex infima fortuna evectus, singularis tum de illius virtute opinio faciebat, neque enim cum apud Ioannem amicorum primus habitus, maximis in rebus administrandis fidem suam Regi prudentissimo probasset, temere factum videbatur, ut eum praecipuum tutorem nato filio, cum Petruicio, cui plurimum tribue-

bat, destinaret. Ita vero principes, adhuc vivente Rege, illius ferendo imperio assueverant, ut is de suo iure decedendo, honorifice appellando, ultro obsequendo efficeret, ut hoc ipsum minus in dies gravate ferrent, superbum nobilitatis titulum, quando nulli usui esset, non invito sordido homini et infimo loco nato submittebant. Insignis enimvero virtutis fuit, exterum hominem, obscuro loco natum, eius ordinis desertorem, quem a primis annis professus esset, longe iis potentia antecellere, qui splendore generis regiam proxime attingerent, et suis, et maiorum meritis clari: nulla certe gens habetur, apud quam sit honestius et magnificentius nobilitatis nomen, quam apud Vngaros; nulla, apud quam tantam rerum omnium licentiam atque impunitatem nobiles homines obtineant, ut qui posset non invita nobilitate regnare, atque eius studia cum imperii maiestate retinere, nihil domesticis tenebris officientibus, vir plane dignus videretur habendus eo loco, quo raro secunda fortunae aura homines sine insigni offensione provexit. Nihil illi ferunt eorum defuisse, quae in magno homine, ut conspiciatur inter multos, videatur requirendum, ubi illi fidei et nominis potior cura, quam regnandi fuisset, qua, ut nemo umquam alius magis, vasta atque immani exarsit, peracre ingenium, et qua id moderaretur, prudentia summa, ut cum capesseret sua fortuna maiora, haud maiora tamen sua virtute aggrederetur. Idem summus artifex inter incundum et explicandum consilium de magnis rebus, tum observandi et captandi temporis, tum recte utendi, cuius momenta, ut recte succedant quae homines agimus, non saepius in nostra sunt quam aliena potestate. Ita ne praeceps ferretur in agendo ingenium, maturitas consilii (effecit), eam(que), ne mora retardaret gerentem

rem, ingenii par alacritas consequebatur. Hinc illa digna summa laude: ut adversus fortunae vim, qua usus esset parum secunda, et natus (eo loco) qui quam longissime abesset a summo, et educatus; subsidium a virtute petens, qua illa duceret, victa fortuna magnitudine animi, ad summa contenderet se digna: ut vere dici possit, uni illum suae virtuti omnia, nihil fortunae debuisse, quo liceret ad summam contendenti vivere. Tum enim magis eminet virtus, cum emergentem fortuna deiicit, ac demit magis. Mira quidem res, et quae accidat perraro: a primis annis iners vitae genus sectatum, et in quo plane virtus sopita languet, insitam vim animo potuisse retinere, praesertim duratum iis obeundis ministeriis, unde artes omnes exsulant, quae dignae principe viro habentur: nemo certe, qui summo loco natus, in aulae splendore altus educatusque esset, potuit altius efferre animum, quam ipse in sacra veste, et cucullo, saepius everrere areae sordes, quam canere sacra carmina assuetus. Nam ubi primum se dedidit Ioanni Regi, nondum delinitus dulcedine imperandi, tamquam non ex hominum fece, sed ex regia prodiret, ita visus est afferre secum regios mores, consilium, virtutem, animi magnitudinem, fiduciam sui, atque haec quidem, quae usui essent in adversis rebus, beatus futurus, si par moderatio, quae efficeret, ne efferretur in secundis, non fastidium non arrogantiam, non superbam sui ostentationem prae se ferret: quam virtutem secundae fortunae diu expertes homines, raro provecti ad summos honores, nisi freti maiore virtutis robore, aut retinent ante partam, aut nondum adepti consequuntur. Ita quidem se postremo gessit, ut faceret fidem non a fortuna homines, sed a natura conformari ad gerenda atque administranda magna regna

atque imperia. Nam, cetera callidus aeque et tectus, ut neque falli ipse facile, et fallere, ubi usus esset, alios posset, simulandi pariter, et dissimulandi egregius artifex. Iam in uno non alios modo, sed vincere est visus ipse se, ut ad tempus se in omnium formam verteret, aeque et in cultu sacrorum, gravitate et religione, cum captantem popularem auram, religionis opinio adiuvaret, et comitate atque hilaritate inter militares homines conspiciendus: ut nemo vulgo acceptior esset qui vitam semper in castris traduxisset. In sermone prae se ferre gravitatem, quae deceret personam cum in familiari convictu, tum in regia maxime: ut cum tristitia abesset, atque effusus et dissolutus animus, quasi intra hos fines virtutis decus moderatio retineret. Harum virtutum documentis multis Ioannes Rex captus, cum eas in convictu interiore propius spectare liceret, ad Varadiensem pontificatum hominem evexit, sacerdotium peropulentum et praecipuae dignitatis, quo erat Cibacus functus, quem Gritti imperio ad Brassoviam interfectum commemoravimus. Qua in fortunae commutatione, cum sibi maiora sponderet, ita habebat animum in potestate, ut in magnis opibus, quo demitteret magis exsultantem et efferentem se, eo insignior existeret modestiae laus, quae aliquamdiu simulata magno mox adiumento ad principatum viam affectanti fuit. Nam in regni administratione vectigalibus locandis, portoriis, auri fodinis, argenti, salis, ita in redemptorum turba conspiciebatur, ut cum eius ordinis nullus peritus magis haberetur, ludus illi regnorum administrandorum, non disciplina sacrorum, et cultus fuisse videretur. In huius viri virtute mortuo Ioanne, quamdiu imperare animo licuit cupiditate regnandi elato, regi puero regnum stetit; concidit idem, ubi Georgius cum

fidei et constantiae laude spem regni commutavit, sive ille ita expedire reipub. existimavit, id quod video nonnullis placere, sive minus potens imperii animus, qui morbus alios multos perdidit spectatae virtutis et sapientiae homines, succubuit victus. Sed haec partim ex eorum testimonio, qui de illius ingenio, moribus, institutis scripserunt, partim ex illius rebus gestis, quas accurate observanti difficile non est ad illius artes et interiora consilia omnia penetrare. Ipse de sua origine, a parentibus exorsus epistola ad Antonium Verancium scripta, cuius apud nos exstat exemplum, ita paucis disserit. Quamquam, inquit, neque patriam, neque parentes meos tibi esse ignotos puto, brevi narratione tamen statui his literis complecti, quae de his te non ignorare magni tua interesse existimo, qui Vngaricas res scribendas susceperis. E nobili, et antiqua familia, quae aliquamdiu principatum in Croatia obtinuit, sum oriundus: patria Kamichatium, quod est oppidum insigni arce nobile. Pater Gregorius Uthysenich, mater Anna, ex vetere aeque et nobili genere. Octo annos natus, cum relicta patria ad Ioannem Corvinum deductus essem, principem regii generis, et qui longe lateque in Illyrico imperabat, ab eo sum in arcem Huniad, quae est arx sita in finibus Transilvaniae, missus. Illic per XIII annos aulicae vitae miserias perpessus, ad amplissimam et clarissimam feminam, Ioannis Regis matrem me contuli, ubi nihilo mitiora aulae mala atque incommoda exsecratus, in Heremitarum sacrum collegium me adlegendum curavi: quoquidem potitus, quatuor annos in eorum numero egi, qui quoniam sunt literarum imperiti, in coetu viliora ministeria obeunt. Inde cum opera Heremitae eruditi hominis nonnihil in literis profecissem, sum per sacro-

rum ordinum gradus omnes ad sacerdotium evectus, atque inde sacris collegiis aliquot non sine auctoritate praefui. Pater, dum fortiter pro patria dimicaret, manu Turcarum occubuit. Tres fratres habui iisdem parentibus nátos; ex his Nicolaum, rei militaris peritum hominem atque impigrum; Matthiam alterum, opinione omnium non infeliciter in literis versatum; quorum uterque naturali morte est functus. Tertius Iacobus fuit magni animi vir, et qui praestantis virtutis et fortitudinis laudem in Nandoralbae propugnatione castri, Belgradum appellant, insignem est adeptus: cum enim anno XXI. a Solimano imperatore arctissime urbs obsideretur, et illi tuenda turris data esset, quam Vngari Kerrles vocant, repente puluere tormentario muris eversis, quem hostes clam per cuniculos summiserant, ea animi virtute atque praesentia fuit, ut inter strati muri ruinas medius eminens, nec metu loco cedens, versatili hasta longe a se Turcas in se incumbentes arceret, quousque pixidis globo ictus interiit. Aliae vitae meae rationes fuerunt. Ludovico enim Rege in Mohacensi clade exstincto, cum Ioannes Rex omnium ordinum suffragiis in demortui locum esset suffectus, me, tempore in oppido nomine Thad (Lád) agebam, ad se evocavit, ut mihi pretiosa quaeque ex regia gaza daret asservanda: quae ego recipere recusavi, neque deserui tamen a suis destitutum. Namque, et in Poloniam, quo se receperat victus, sum secutus, et ultro citroque saepe in Vngariam pedibus profectus, liberalitate principum, qui tacitis studiis eiecto, ut credebant, per summam iniuriam, favebant, illius inopiam, egestatemque sustentavi. In eorum numero Stephanus Somlius (is Stephani pater Polonorum Regis), Iacobus Tarnalius, Paullus Artandius, alii nobilitate atque au-

ctoritate principes multi, quos ego continui in fide, ut animum inducerent ad Regem regno exsulantem, officii caussa in Poloniam proficisci, cum mox repetenti regnum ire obviam comparata non contemnenda militum manu non dubitarent. Interea Ferdinandus, acceptis nunciis de Ioannis morte, quamquam ita cum eo de foedere egisset, ut de iis conditionibus, in quas foedus convenisset, nihil esset transactum, antiquo tamen iure subnixus, sperabat adversario acerrimo de medio sublato, nullo negotio se ad totius regni imperium perventurum, maiore nobilitatis parte cum eo sentiente, quam cum aliis rationibus in partes traduxerat, tum maxime iustitia et clementiae fama, qua inter omnes Christianos reges, inprimis suo tempore, excelluit. Vnum verebatur, quod votis obstabat, ne Solimanus, cuius beneficio Ioannes erat in Vngaria rerum potitus, summa (nagy hézag) condendo habita sacrarii loco fuisset, ut nonnullis creditum est tristi omine regni finem atque imperii ad Germanos transferendi Vngaris portendente. Inde Albam Regalem itum, iniecta a Perinnio spe urbis recipiendae; cum id quidem multis verbis in consilio persuadere esset conatus. In magno enim rerum novarum metu nutare multorum fidem, quam Ioanni Regi acceptis gravissimis belli incommodis per tot annos exsulis caussa armis tuenda crederent se pertinaci studio cumulate exsoluisse. Manere eosdem animos, vires quibus eas partes, quas probarent, defenderent, longa serie malorum fessos defecisse, quorum iam pridem vindicem quaererent animis aversis, non a vidua Regina, sed a tutoribus, in quorum potestate esset, qui quidem animorum inpotentes acerbe multa, atque avare imperando, ut oppressis per summam iniuriam esset vindex quaerendus, effe-

cissent. Audiri enim modo pupilli infantis nomen iactari, cuius nullus sensus imminentis mali esset: re tutorum (causs)am agi: qui per alienam invidiam, quasi culpa malorum cadere modo in infantem natum posset, regnare beati homines expertes curarum omnium ferrentur. Iam pridem Vngaros perpessos aerumnas et calamitates omnes, quas diuturna bella invehant, caedes, populationes, exustiones agrorum, caeteraque, quae ultima populis essent, nihil, quo ulterius saevirent, hostibus reliqui fecisse. Vnum eos manere reliquum fortunae adversae perfugium, ut si modo omnibus amissis propter quae esset homini vita expetenda, satis gravis cuiquam ulla vivendi caussa relinqueretur, deserta patria, quae suis esset tam diu infelix, solitudines, quas colerent, et deserta loca peterent. Rideri a callidis hominibus, quorum spes foverent Turcarum arma, quae de Christianorum regum conspiratione in sacrum bellum, de exterorum auxiliis ferrentur, quae, quo crebrius iactari consuevissent, eo fere semper tristior eventus quanti essent facienda declararent: brevi visum ire terram exercitibus, classibus strata maria, quibus Byzantium exscindendum, e terris profligandam tam tetram luem, quae magnam terrarum partem depopulata esset, ut aliquot antea seculis sibi Christiani homines sponderent: copias modo proprius ad urbem admoveret: simulatque viderent infesta Ferdinandi signa ferri, certatim claves obviam ultro oblaturos. Ita Perinnii oratione motus Velsius, propius Albam progreditur, eo ipso Perinnio, qui autor consilii erat, cum expedito equitatu praemisso, ut civium animos, si daretur facultas, per occulta colloquia tentaret. Atque in principio quidem quidvis illi passuri, quam ut se dederent, videbantur: mox ut non admissus Perinnius

frustra omnibus aliis tentatis consiliis ad vastandos populandosque agros cum solito effusius ad inferendum oppidanis terrorem hostilia omnia ostentaret, victa animorum pertinacia illi portas aperuerunt. Inde qui praesidio essent equitibus Perinnianis relictis, cum semel orta seditio inter Germanum et Vngarum ita in dies increbresceret, ut militari imperio valentior reprimi nullius autoritate et consilio posset, nequid inde gravioris incommodi acciperetur, appetente praesertim hieme et milite avidius stipendia poscente, dux copias reducere in hiberna constituit. Semel quidem a contemnendo principio, iurgio orto, iis utrinque studiis concursum ferunt, ut frustra ducibus commune exitium deprecantibus, et nunc iis, nunc illis pectora opponentibus, cum nihil proprius factum esset, quam ut res ad extremum adduceretur casum, vix proelium dirimi potuerit, Perinnio ictu lapidis saucio, Velsio vulnere non contemnendo in crure accepto. Iam ab Alberti Caesaris tempore, ut alibi commemoravimus, qui Germanus Vngaris imperavit, exortum odium inter utramque gentem adeo invaluit, multis novis offensionibus, per varias occasiones recrudescens, ut non dissimulent Vngari, nisi Christiana pietate prohibeantur, ubi data optio sit, subire se Turcarum iugum, immanium hostium, quam acceptam referre salutem Germanis malle: contra Germani, se cum coniugibus et liberis, sacris profanisque locis, quaeque in vita carissima habeant, eadem incendii flamma conflagrare citius passuri sint (quam) Vngarorum copiis atque auxiliis restingui. Iam quo maturius in hiberna miles dimitteretur, Velsii valetudo effecerat, qua tum parum commoda ex militari labore contractis renum doloribus utebatur. Quod quamquam ita esset, antea tamen placuit Pestum validioribus prae-

sidiis firmari, quo tanquam freno regiae urbi iniecto, Budenses ne quid novi soluta obsidione molirentur, facilius continerentur in metu; minime vero haud dubia fama sublevabat anxios pupilli tutores de eventu belli a Turcis, qui propinqua loca praesidiis ponebant, ex finitimis populis copias cogi, quibus instructi, nihil minus Germanis expectantibus, primo quoque tempore, subsidio regi pupillo adversus Ferdinandum irent. Georgius enim, cum infirmae essent domesticae vires, nulla iniusta arma arbitratus quae pro iusta caussa susciperentur, quamquam illa a Christiani nominis hoste subministrata, illos conciverat ad bellum, cuius esset finis, per insigne Christianae reipublicae illatum vulnus, recepta insimul patria Vngaris pestis. Fama quidem auxiliorum, ut res docuit, in praesentia vana, ad frenandum hostium impetum ad tempus usui fuit, et ad ea declinanda incommoda, quibus perferendis per tot annos Vngari defessi aliquem animis respicerent finem. Iam illa ipsa passim confirmabantur minime variis rumoribus de Christianorum regum consiliis bellum adversus Turcam magno consensu decernentium, quae necessariam deliberationem de accersendis Turcarum auxiliis pupilli tutoribus facerent, tanta cum eorum invidia, ut ne ratio quidem temporis, quae oppressos subita belli mole cogeret ad extrema consilia descendere, eam elevaret. Non discedere a parentis instituto filium, tot malorum autoris, quae ab eo tempore, quo funestis auspiciis iniit regnum, perpessa patria sit: qui quidem vix natus, ut appareret Ioannis stirpem esse, ad Turcam confugeret, quem mallet Vngaris imperare, certo cum populorum exitio, quam reddere debitum Christiano regi, cuius esset insignis religio, sanctitas, eximia in Vngaros pietas. Neque ta-

men Ioannis haeredi Turcae vernae, Budam Vngarici regni sedem, sed Solimano asservari, scilicet ut magno cum ludibrio nobilissimae gentis, barbari mancipium, leges populis, et iura describat. Quae quamquam magna cum invidia de tutoribus et Regina vidua ferrentur, non illi sibi deerant tamen, culpam in eos derivantes, qui effecissent iniusto bello Reginae illato, quae nondum lacrimas a viri funere abstulisset, ut statuerent sibi eo confugiendum, unde maxime refugerent sua sponte aversi. Praeerant tum Illyrio fortissimi Turcarum duces, et ob res praeclare adversus Venetos gestas superioribus annis, magnam apud Solimanum gratiam consecuti. Nam Venetis Nadina et Laurana ademptis, Clissam urbem munitissimam, quae Ferdinandi imperio parebet, caeso Petro Crosticio, oppidi praefecto, tumultuaria pugna per vim acceperant, qui quamquam crebris literis a tutoribus solicitati, Regina ad infimas usque preces descendente, ut ferre auxilium oppressae Germanorum armis ne cunctarentur, ita perplexe respondebant, ut cum quaestu functuros officio et Solimani munificentiam et liberalitatem venalem habituros appareret: legibus severe apud Turcas sancitum, ne duces et militum praefecti, qui praesidiis praeessent, expeditionem ullam extra imperii fines iniussu imperatoris susciperent, atque adeo certa etiam cum spe rem praeclare gerendi. Habere Reginam apud Solimanum legatos, quos quidem non esset desperandum, quin a iustissimo principe et fortissimo pro pueri caussa, quem semel recepisset in fidem, inplorantes opem atque auxilium impetrarent. Namque ut maxime vellent in praesentia illi esse subsidio, anni tempore se excludi a facultate rerum gerendarum, appetente iam hieme, quae demissis locis, et imbribus opportunis, qua esset exercitus du-

cendus, gravis impedimentis praesertim et reliquo belli apparatu, infesta itinera efficeret. Haec, quae avaris animis obtenderent, a Solimani ducibus Reginae responsa relata, ut tradunt, magnis largitionibus a Laskio delinitis, qui ex praesenti rerum statu facta coniectura eos Reginae literis ad opem ferendam sollicitari, Georgii consiliis sibi per hanc rationem occurrendum statuerat. Iam Hadrianopoli cum impedimentis familia relicta Byzantium pervenerat, serius omnino, quam Ferdinandi Regis rationibus expediebat. in quem absentem Ioannis Regis oratores spatium liberum nacti agendi pupilli caussam, magnam invidiam conflaverant. Iovius morae caussam in Laskii morbum refert, quem quidem, cum de celeritate remittere, mali vi urgente, cogeretur, praemisisse Ptolomaeum ait, Ariminensem medicum, fidum sibi hominem et cognitae fidei, qui per Luphtibeum, unum ex regiis praefectis, cui plurimum confidebat, de suo adventu imperatorem doceret. Intercedebat vero Laskio iam pridem cum Luphtibeo amicitia et consuetudo, qua fretus magnam spem conficiendae ex sententia rei, cuius caussa erat a Ferdinando legatus, animo conceperat, non ignarus, quo gratiae loco apud Solimanum Luphtibeus esset. Equidem miror, si hoc fuit, cum querenti Laskio de missione legatorum Ioannis Regis, quibus praesentibus disceptari de tota Regis caussa aequum censebat, uno alteroque verbo mora et cunctatio obiiceretur, neque morbi illum, neque praemissi a se Ariminensis medici mentionem ullam fecisse, cum quidem iustissimam morae excusationem adversa valetudo haberet. Nam quicquid egit toto legationis munere obeundo, quicquid dixit, quicquid obiectum a Regis praefectis, quicquid contra a se responsum sit diluendi caussa, ita exacte scripto

complexus retulit in Ephemeridem, ut quod unum plurimum ad tollendam morae offensionem conducere videretur, non fuerit praetermissurus prudentissimus vir, et Turcarum moris haud imperitus. Quaecumque illi caussa cunctandi fuerit, pridie Kal. Novemb. Byzantium pervenit, tertio mense a Ioannis morte regis, cum is decessisset XI. Kal. August. Occurrit Laskio advenienti Ianus begus, unus e Regis ministris, quos Visirios vocant, haud praeclaram iniisse gratiam apud Imperatorem praefatus, quod tamdiu in itinere moratus esset; nihil verius esse, quam quod proverbio ferretur, occasionem oblatam ubi semel facta sui potestate e manibus cunctantibus evolaret, seram poenitentiam sui loco relinquere, quae per amissam agendi opportunitatem, male suis rebus consulentes, nullo cum usu torqueret. Consultius fuisse facturum Ferdinandum, si armatus et iusto exercitu instructus in Solimani Imperatoris ditionem irrupisset, quam eo tempore de pace mittere legatum, cum nihil sibi integri ad spem pacis consequendae apud Imperatorem reliquisset: iusta enim iracundia elatum ob ea quae gesta in Vngaria ab illius ducibus ferrentur, vix esse sperandum ulla ratione posse placari. Nam ubi primum per regios nuncios certior factus sit a Ferdinando conscripto exercitu bellum pupillo Regi illatum, principum defectionem, cum aliorum tum Perinnii eum motum rerum secutam, cuius fidei obsidem filium haberet; viduam Reginam, destitutam omni auxilio, propediem nisi quis illam respiciat... praedae armato hosti futuram: perinde atque aequum esset rei indignitate commotum confestim Regis oratoribus advocare iussis, cum iis foedus atque amicitiam iunxisse, puero in fidem recepto, et Rege appellato, iis conditionibus, quibus

Ioannes pater regnum olim obtinuisset. Hinc perhonorifice dimissos legatos prosecutum muneribus amplissimis literas ad provinciarum praefectos, qui fines Vngariae attingerent, dedisse, quibus imperasset, ut Reginae imploranti opem ferrent, ac iusto exercitu conscripto Ferdinandi militem, ni ab iniuria et maleficio abstineret, vi atque armis e finibus regni propulsarent. Ad haec Laskius paucis: non negare se contractas a Ferdinando copias, post Ioannis mortem ad Budam repetitum regnum missas, tum quod induciarum tempus exiisset, quae essent superiore anno pactae, cum quod ita convenisset inter Ferdinandum et Ioannem Reges, ut si prior Ioannes decederet, exercitum Ferdinandus Budam mitteret ad accipiendum regnum, quod Turcae perpetuis excursionibus qua Ferdinandi ditio pertingeret, urendo, populandoque a nullo maleficii genere temperantes foedarent. Accessisse Reginae iniuriam, quae de suorum sententia seditiosorum hominum, et turbulento ingenio, immemor eorum, quae essent inter duos reges acta, negaret se conventis staturam. Quae quamquam ita essent, ita tamen a regiis ducibus rem administratam, ut Ferdinandus ab iis abstineri iuberet, quae in ditione imperatoris haberentur ad ultimos usque Croatiae atque Illyrii fines, ut non Ferdinandum verius inferre pupillo iniuriam quam propulsare a pupillo illatam dicendum; qui amice agere atque ex iuris aequitate volentem quae una illi reliqua ratio esset, superbe responsi contumacia confugere ad arma coegisset. Hic barbarus interpellans: enimvero, inquit, hoc ferri non potest, te haec commemorare audere, qui non semel acceperis e sacro ore Imperatoris Augustissimi, (iisdem verbis refert Laskius usum Ianus begum) quae sententia illius tum de Buda,

tum de universo regno sit, quasi refert permagni, cum Vngariae regni summum ius penes unum Solimanum sit, utrum ignobilia Illyrici castella, an regiam Vngariae urbem Ferdinandus oppugnet armis. Equidem quae mea est in te benevolentia, non semel (neque tamen Ferdinandi caussa, sed tua) pro vobis in arcano consilio pugnavi: neque tamen, quamquam sedulo atque enixe egerim, quod volui effeci, usque adeo est Imperator in vos incensus, hoc adeo importuno a vobis conflato bello. Si me audies, ubi primum tibi fiat potestas cum praefectis regis agendi, ad deliniendos eorum animos tibi datum esse in mandatis affirmes, ubi visum sit, scriptis literis ad copiarum duces, ut exercitum iubeas primo quoque tempore dimitti. Id nisi agere inducas animum, magno in discrimine versaberis, et existimationis quam apud nos opinione insignis partam virtutis habes, et vitae adeo amittendae. Haec primo congressu acta. Inde ad Luphti Bassam admisso eadem repetita: qui convincere vere atque ex animi sententia Byzantii de pace agi et in Vngaria eodem tempore bellum geri? nihil contrarium magis, quam hic peti otium et pacem, illic classicum cani, inferri arma, expugnari urbes, provincias depopulari. Tum Laskius eadem de Ioanne et Ferdinando Rege respondit, quae etiam superiore anno legatus a Ferdinando, quorum dicebat eum ipsum omnium maxime posse meminisse, in his quod pupilli tutores inficiari non auderent: et Ioannes et principes regni omnes sanctissimo iureiurando adactos ita foedus sanxisse, ut caussa tollendi discordias omnes inter ordines regni, nec Turcae nacti vacuam praesidiis urbem occuparent exercitu, si quid humanitus Ioanni Regi accideret, paratum idem ipse Ferdinandus ad fides haberet, unam esse summam postulatorum,

ut qua Solimani imperatoris ditio pateret, iisdem legibus imperator permitteret regno Ferdinandum potiri, quibus Ioannes pridem esset assecutus. Nam quantum ad regni principes pertineret, ut ex foedere convenisset, magnam eorum partem suae religionis memores, cuius pueri tutores nullam rationem haberent, Ioanne Rege vita functo ad Ferdinandum transiisse. Ita cuius rei certum mandatum a Rege haberet, maiorem in modum postulare, ut Reginae legatis redire iussis quos verisimile esset non longe progressos, coram his de Ferdinandi iure disceptari liceret; non desperare se, quin iustissimus imperator pro sua aequitate cognita caussa actum eum, quem gentium iura, religio, fasque tueretur, esset pronunciaturus. Id se credere aequum esse et maxime ex Imperatoris Solimani maiestate. Rogare enixe, ut praeoccupatae illius adversariorum calumniis aures, quibus exulceratam optimam aequissimamque caussam in magnam iniuriam adducere conati essent, Ferdinandi Regis legato paterent, non minus parato eorum maledicta et criminationes refutare, quam illis insontem Regem atque innocentem criminari, nemine eorum maledictis respondente licuisset. Qui quidem si adessent, facile intelligerent, quam difficile esset mendaciis innitentibus adversus ius atque aequitatem stare. Quibus ille auditis: vereri se, inquit, ut fiat illi potestas adeundi Imperatorem, cum quidem et illud dicere audivisset, fecisse callide Ferdinandum, qui ad se Laskium legasset, vidisse enim, quisquis esset praeter eum unum, qui munus hoc legationis obiret, haud temere impetraturum, ut incolumi ad suos redire liceret. Tum Laskius: se securo hoc praevidisse animo, et ab amicis adeo deterritum esse, ne triste munus legationis susciperet, cuius, ut sibi parum laetum exitum

sponderet, Reginae legati fecissent, qui multis calumniis invidiosam apud Solimanum Ferdinandi caussam, multa mentiendo, affingendo veris, false dissimulando nonnulla, redidissent. Non recusasse tamen se legationis onus, memorem quae superiore anno de reditu suo in Augustam urbem pollicitus esset. Hinc pervectus Luphtibei comitate eadem de revocandis viduae legatis repetivit, cum interroganti, quid inde commodi censeret accessurum Ferdinandi rebus, illa addidisset: Imperatorem fide habita legatorum orationi cum qui refelleret nemo pro Ferdinando adesset, regnum infanti puero concessisse, (cum) quidem multi dubitarent, an vero Ioannis filius esset (usque eo progressum se, iusto dolori indulgendo vir alioqui gravissimus habitus et moderatissimus fatetur), alioqui Ferdinando assensurum, cum quidem aequissima essent quae postularet, atque eorum ipsorum testimonio et adeo qui nunc quae acta transactaque essent, rescindente foedus quo nihil certius clariusque essent, in dubium revocarent. Vbi vero daretur facultas coram cum legatis disceptandi, multa allaturum se, quae ita pro Ferdinandi caussa essent, ut omnes intelligerent non minus eadem ad imperatoris commodum existimationemque pertinere. In eandem sententiam atque iisdem verbis fere apud Rostanem, Solimani generum, tum gratia et auctoritate in regia principem, postridie iactata: qui tantum unus inexorabilis maxime Ferdinandi caussae adversabatur usque eo, ut iratus iracundia, per omnia conviciorum genera in sanctissimum Regem bacchatus, ferum, barbarum, immanem appellare ausus sit, unius sui iuris memorem, aliorum violatorem, nullum agnoscentem deum, quem coleret, exaequantem iura divina atque humana omnia libidine regnandi. Nam illi praecipua et quae maiore

cum stomacho atque iracundia prolata maxime augendae invidiae essent: infantem puerum innocentem, vagientem in cunis, matrem Reginam orbatam viro, omni destitutam praesidio, ultro armis petitum isse, in imbelles modo fortem et iniuriae opportunos, inbellem in viros. Vnus illi aequior Luphtibeus cum placandi Solimani sibi partes sumsisset, et egisset accuratius de revocandis legatis, nihil potuit impetrare: idem enim illum urgere, nullum esse indicium apud Ferdinandum pacati animi et a belli consiliis abhorrentis, qui armatus, vi ab invito extorquere conaretur per summam iniuriam, quod iure se assequuturum haud speraret, cum eodem tempore, quo nihil impudentius esset, de pace ederet postulata et gereret iniustum bellum. Alienum censere a summi imperii maiestate, eum, qui superior caussa et iure, viribus etiam esset, accipere conditionem ab hoste armato, utique, ut Solimanus tantus imperator coactus metu videretur ad iniquas conditiones descendisse, quo non esset sua sponte perventurus. Cum magna invidia tota Ferdinandi caussa laboraret, neque ulla ratio iniri posset, iracundia elatum animum placandi: nuncius qui illum vehementius commoveret, a Belgradi praefecto de his disceptantibus supervenit, qui doceret duas arces iam a Ferdinandi ducibus per vim captas. Quo accepto nuncio prae ira fremens frendensque iubet continuo accersitum Laskium interrogari de re, haud semel iam acta et quae tractata recrudesceret magis, quae caussa fuisset Ferdinando, Byzantium legatos mittendi, cum ferri posse negaret ausum mittere eundem legatos pacem petitum, eundem per suos duces eodem tempore, quum esset qui resisteret nemo, armis regni arces occupare? Eadem a Laskio repetita, non esse a Ferdinando susceptum bellum

adversus Turcam, a cuius ditionis oppidis obstineret, sed adversus foederis et iuris gentium violatores. Nam si id, quod verius esset, liceret effari, ne caussam quidem regis sed tutorum agi, qui elati cupiditate dominandi per tutelae speciem, quo eorum esset gravius scelus, ad regnum malis artibus adspirarent. Nam quod infantem pupillum, viduam Reginam iuvenem oppressam armis iactarent, eodem pertinere. In hoc unum enim spectare eorum consilia, ut ius suum Ferdinandum Regem prosequentem, atque ea repetentem armis, de quibus ex foedere Ioannis haeres decedere debeat, hoc artificio oppugnent quasi in controversiis, quae sint de gravioribus rebus, adversum ius, cui nemo, qui se esse hominem meminerit, non cedit, debeant pupillorum lacrimae, viduarum orbitas, sexus, aetas, non caussa valere. Iniisse Reginam adversus Ferdinandum perniciosa consilia, neque adhuc finem facere in eum tum exteros reges alios, tum patrem Sigismundum inprimis concitandi. Neque tamen suae humanitatis Ferdinandum oblitum, non paucis rationibus perspecturum; non solum enim illi patrimonium paratum restituere, quod opulentissimum atque amplissimum sit, sed et Transilvaniam addere, quae magna pars regni sit, et honoribus etiam aliis commodisque augere. Id cum illius ingenio convenire, quo nihil mitius sit, tum personae, quam sustineat, maiestati. Nihil regios Laskii oratio movit, cum unum illud modo urgerent, eam esse Imperatoris sententiam, ut non secus de Budae oppugnatione statueret, ac si, Ezecchum Ferdinandus oppugnaret, aliamve urbem, oppidum, arcem, quae Solimani ditionis, Turcarum praesidio teneretur. Itaque omni reiecta mora praemittendum per dispositos equos, qui literas de missione exercitus regis ducibus afferret, et si iam esset miles

Budam adductus, continuo, soluta obsidione, dimitteretur. Hanc unam certam rationem esse reliquam de pace agendi, si vere eam Ferdinandus, ut videri vellet, ex animi sententia expeteret, certe quam expetere aequum esset, recte rebus suis consulentem. Laskius id unum enixe postulare, ut adire Imperatorem liceret; a quo quidem non dubitaret quin cognitis aequissimis Ferdinandi postulatis esset passurus a se de induciis, quod in praesentia satis esset, impetrare. Sperare vero, hac una impetrata re, facile de ceteris conventurum. Ast Luphtibeus longe dicere eum falli, si ita crederet: ita enim esse Imperatorem a Ferdinando averso animo, ut ne passurus quidem esset a se impetrari, ut eius legatum audiret, quod raro unquam, postquam esse homines coepissent, in medio ardore belli quantumvis fero atque immani hosti negatum esset. Nam, ut legato parceretur, non Ferdinando hunc honorem sed Laskio habitum, quem voluerit eius legationis munus obire, in quem esset insignis Solimani Imperatoris indulgentia; nihil enim sibi certius esse, quam ad eam horam capite temeritatis poenas persoluturum fuisse, quisquis esset, cui hoc munus esset mandatum. Iussit idem tamen et in praesentia bono animo esse, et in posterum de se meliora sperare. Inprimis monuit, cum postridie esset illi apud Bassas de postulatis regiis agendum, apud se omnia recte constituta explicataque haberet: ne in respondendo, percunctationibus aliis super aliis oppressus, capere consilium e re subito cogeretur, quod cavere viris etiam prudentissimis difficillimum esset. Interea se operam daturum, ut contra atque alii adniterentur, illi ad imperatorem aditus pateret, quae cum ultro citroque dicta repetitaque essent, collecta mentio de Caroli Quinti Caesaris iniecta, quem

haud dubia fama erat primo quoque tempore in Germaniam venturum, iam conventu principum Ratisbonam indicto, quod indicio esset, de gravioribus rebus acturum, in quibus nemo dubitaret quin una omnium haberetur gravissima de Vngarico bello consultatio, sedulo agente Ferdinando, ut cum alia externa auxilia adversus belli casus praesto haberet, tum opponeret Solimani viribus Caroli fratris nomen, cuius felicitatem et virtutem Turcae formidolosam esse non ignoraret. Neque vero Laskium fugit barbarorum consilium, et quo spectaret facta Caesaris mentio, cum ita Ferdinandi caussa ageretur, ut haud dubie cum eadem esse Caroli Caesaris caussa coniuncta crederetur. Itaque adiuvandam occasionem arbitratus: accepisse vero se, inquit, multorum literis propediem Ratisbonae Carolum Caesarem affuturum eo consilio, ut si minus Ferdinando fratri cum Imperatore Solimano conveniret, illi adversus vim omni subsidio esset, ita tamen animo affectus, ut ubi salua dignitate utrumvis liceret, non esset a pacis consiliis aversus futurus. Inde, ut appareret barbarorum animos ea cura tangi, qua in Germaniae regione censeretur Ratisbona? Laskius rogatur, et quam procul abesset Vienna, tum illud, cur, cum proxime inter Caesarem et Franciscum Gallorum Regem convenisset, ut Carolus Mediolani principatum Gallo restitueret, res tam diu procrastinata, non esset perducta ad exitum? Nam quid novi discidii ortum, quae discidii caussa, et qua de re? Ad quae omnia facili responso Laskius: foederi, inquit, quo de pace convenisset, fuisse adscriptum, ut quoad filia Caesaris adolesceret, quae uni ex Francisci liberis desponsata esset, in Caesaris potestate maneret. Legitimo nuptiarum tempore una cum filia dotis nomine Gallo Insubrium regnum contributum iri. Hoc

responso barbarus tamquam nova re perculsus, et praeter suam omnem expectationem, Antonium Rincone, Francisci Regis legatum, advocari iussit, qui paullo ante Laskii adventum ad eum venerat Regis literis ex Gallia allatis, in quibus nulla de ea re mentio fiebat; permagni vero interesse Solimani existimabat scire, an, manente cum Francisco Rege amicitia Carolo Caesari, animum aliis curis vacuum Vngariae rebus, quo maxime propendere credebatur, intendere liceret; neque se potuit continere, quin de eo ipso sollicitus anxiusque Laskium percunctaretur, in hanc unam curam laborantem ut tempori obsecutus ex animi illius sensu, quem, ut erat suopte ingenio apertus, aegre poterat dissimulare, responsum aptaret. Ita vero de eo rogatus respondit, ut negaret quidquam se posse certi afferre: unum se non ignorare: famae celebritatem per Christianum orbem universum vagatam, Paullo VI. pontifice autore iunctos regum animos novo affinitatis vinculo arma adversus Imperatorem Solimanum sumturos. Quam recte vero in utrumque conveniret, cum ex aliis, tum ex eo coniici licere: licuisse Carolo inermi, et cum exiguo comitatu per interiora regni ad ultimos usque Belgas penetrare, qui a Caesare defecissent, Gallo Rege eum accipiente in sinum, cum medius inter Francisci liberos Lutetiam regiam urbem prope triumphantis in morem, et quasi devicta Gallia esset invectus. Atque haec quidem Laskius, quamquam non ignoraret paullo post Carolum Francisci Regis beneficio Gandavenses, quae magno consensu de Insubrium principatu acta essent, in dubium vocare, ita magna Galli offensione, qui ita prolixe atque amanter cum illo egisset, ignaro aperuisset hostium consilia, in regiam urbem Augustam, regni sedem, accepisset omni-

bus hospitalitatis officiis et summi amoris prosecutus esset, ut ab iis, qui auctores fuissent illi transitum per Galliam dandi, in dies alienior et e regia ablegaret, cum principem auctoritatis in regia antea obtinuissent. Inde luculento munere legationis Bassae Ferdinandi nomine donati, singuli vestibus duabus ex holoserico villoso purpurei coloris auro distinctis, totidem pictis Damasceno opere, et zibellinis pellibus, quas nonnulli certis adducti coniecturis putant Ponticorum murium esse. His impetratum, ut ubi esset cum Bassis de toto munere legationis, deque his, quae in mandatis haberet, collocutus, ad Solimanum admitteretur. Ita qua convenerat hora, ad eos postridie ingressus, brevem orationem habuit, non ignarus moris Turcarum, non temere longiorem orationem ferentium (haud quidem malo consilio, ne sui consilii per dicendi artificium circumveniantur) de re praesertim iam ultro citroque satis agitata: venisse petitum pacem, cuius maxime interesset eam sancte et religiose coli, vere atque ex animi sententia Ferdinando Rege postulante, simul ut eius studium atque observantiam in fortissimum imperatorem et iustissimum declararet, simul ut ageret de Vngariae regno, et ex foedere icto cum Ioanne Rege ad Ferdinandum transferendo iis legibus et conditionibus, quibus iam pridem ab Imperatore esset Ioanni Regi delatum, quae de re saepe superioribus diebus actum esset. Quae cum dixisset, scribit Laskius, se fuisse a Luphtibeo interpellatum, neque vero novam rem, neque semel repetitam, quando certiora deessent, quae obiecta refellerentur, incultante: Id sive ut Solimano absenti se vendicaret, fuit ut tegeret occultum studium in Ferdinandum, ne nimis apertum cui consultum vellet, obesset: cuius rei Laskium etiam admonuerat: enimvero,

inquit, non ferendam videri hominis impudentiam, qui speciosa oratione turpem rem et flagitiosam tegendo, speret se posse persuadere, studiosum Imperatoris, et otii amantem esse, qui vi atque armis oppida arcesque oppugnet, quae sint in Turcarum ditione populetur, agros vastet, urat: mox Rostanes eodem usus genere assentationis: quid aliud est, inquit, de pace gerentem arma, quam velle emere pacem, amore metu ab imbelli, et qui minus possit? Inde totum illud colloquii tempus iurgio consumtum, cuius momenta omnia persequi operae pretium non duximus, cum praesentis instituti et muneris non sint. Ergo cum Bassis hilariter ut licuit epulatus, ad meridiem, quae illi erat destinata hora, ad Imperatorem admissus ingreditur; mox de more manum venerabundus deosculatus, paucis quae ad illum mandata adferret explicavit, quae, ut ipse in suis monumentis scripta reliquit, ordine complexus, simul quae ad ea Solimanus responderit, deinceps commemorare pergam. Summa quidem orationis, quae ut temporis ratio postulabat, tota erat ad superbum et tumidum barbari ingenium efficta: Iussisse Ferdinandum Regem Imperatori maximo et felicissimo incolumitatem et prosperam valetudinem gratulari, tum gratias agere, et quod se facilem superiore anno praebuisset induciis paciscendis, quod indicium magni animi fuisset atque erecti ad summum gloriae decus; et quod propensum in se animum, blanda et prolixa oratione subsecutus pollicitus esset, se filii loco comiter, ut par esset, amicitiae iure, novaeque institutae necessitudinis colentem inposterum habiturum, ut quod inter cetera fortunae insignia sibi duceret honestissimum magnificentissimumque in omni posteritate futurum. Ac ne male collocasse tantus imperator adeo insigne

animi studium in se ornando augendoque videretur, misisse munera, quae amoris et grati animi signa hilari vultu laetoque ut acciperet, enixe rogaret, rei gratiam potius, quam rem sibi spectandam arbitratus, quae perexigua et multo infra suum animum esset. Daturum quidem se inposterum operam, ut quod filii locum, apud se maximum imperatorem, Ferdinandum Regem obtinere voluisset, numquam eum instituti poeniteret. Eo animo cum esset, magnopere rogare, quando per suos oratores saepius illi curavit significandum, quod ius haberet in Vngariae regnum, iam inde olim a Friderico, Maximiliano, Ladislao Rege, ex cuius Anna filia haberet susceptos liberos, tum proxime a Ioannis Regis morte, qui volens et prudens, sibi post mortem regno concessisset, sua et principum fide per iusiurandi religionem obstricta, pateretur aequo animo vicinum regem per eas conditiones, quae honorificae danti pariter et accipienti essent, integro regno bona cum venia potiri. Hic cum ulterius progredi volenti silentium imperatum esset: Solimanus iratus: memoria tenes Laski, inquit, quid a me tibi superiore anno responsum sit, cum de hac ipsa concordia ageretur. Imo optime memini, respondit. Tum iussus dicere: non licuisse, inquit, Ioanni Regi quicquam de regno non suo constituere, cum eius regni summum ius esset cuius id beneficio obtineret. Quae Solimanus incensus iracundia excipiens: Et haec ipsa, inquit, Ferdinando Regi retulisti? Diserte vero et clare Laskius pro sua fide et constantia se retulisse, ut debuit, ac totidem verbis. Tum ille: Cur igitur, cum sciat Ferdinandus regnum meum esse, id subito contractis copiis apertus hostis armatus infestis signis per summam iniuriam invadit, cur, inquam, usque eo nos ludibrio habet, apud quos se obtinere filii lo-

cum tantopere glorietur, ut eodem die pacem postulatum mittat, et a quibus pacem postulet, lacessat bello? Video quid spectarit iam autumno exacto, appeterit hiems, haud satis aptum anni tempus rebus gerendis, hoc animos facit, hoc fiduciam atque audaciam auget. Nihil a vobis potuit callidius excogitari, qui nos stipites, truncos, statuas, vafri et versuti homines ducitis. Sed ver aestatem, aestas autumnum, is hiemem excipiet immutabili naturae lege et temporum vicissitudine, quam moram eo aequiore animo feremus, quo maior et certior spes est, ni animum vires deficerent, fore, ut quando non secus de nobis existimatis, ac de hominibus barbaris et in quibus nihil simile homini sit, discatis aliquando non temere contemnere, quos intelligitis multis partibus esse vobis meliores. Mox patria lingua conversus ad regios praefectos, multa superbe et contumeliose barbara arrogantia et fastu elatus in Ferdinandum Regem, multa in praesentem Laskium dixit, qui adstabant deiicientibus ad terram oculos, quasi homini mortali figere oculorum aciem in iratum numen haud liceret. Secundum haec de Carolo eadem et de illius ac principum adventu Ratisbonam percunctatus, quasi eius rei cussam, sui metum agnosci vellet, eadem illa usurpavit, autumnum in exitu esse et hiemem sequi, sed ver et mox aestatem autumnum atque hiemem excepturum, non obscure aut per ambages, bello arma retinentibus denunciato. Mox cum ira vehementius excandescens, contumeliosis verbis minas misceret: iussus est legatus de salute anxius, ne verbo quidem addito facessere, et se in hospitium referre, cum iratus barbarus nullum finem faceret in Ferdinandum aeque, et in Carolum Caesarem fratrem, per immanem linguae intemperantiam bacchandi: ita profecto Laskio, cum per

trium horarum spatium in consilio fuisset, audente nemine adversus irati sententiam verbum efferre, bellum adversus Ferdinandum decernitur, et ut Imperator Hadrianopolim se conferat, inde conscriptum exercitum in Vngariam ineunte vere adducturus. Quibus rebus ita administratis, Laskio imperatur, ut se cum omni familia contineat domi, poena capitis imposita, si aut ipse, aut e suis quisquam egredi, et sermonem cum ullo mortalium serere audeat; iam et illud actum, ut hospes domo sua eiiceretur, ne esset per quem aut perferrentur foras Laskii mandata, aut ad illum ferrentur aliorum, appositis custodibus, qui cura attentiore, quae diceret, ageret, omnia observarent. Quod tum ad extremum placuit reservari. Quae ita administrata magnum Laskio metum iniecerunt, minime inscio, quo progredi barbarorum immanitas adversus sua iura retinentes constantia consuevisset; privatim tamen, quo a metu animus respiraret, accipit eius munera Imperator, Ferdinandi reiectis, generosas aves ex accipitrum genere, quas vulgo falcones vocant, iisque mirifice oblectatus, male evenisse aiit viro imprimis scito atque eleganti ingenio, qui Germano regi serviret, insito genti odio in nobilissimam nationem affectus, quam viris, equis, armis, copiis florentissimam, se simulat contemnere, horret animo, unam pares vires, ubi alto somno expergiscatur, quo sopita languet, in contentionem de summa imperii allaturam. Neque postea Solimanus destitit per suos hinc praemiorum ingentium spe, hinc imminentis exitii metu, eum a Ferdinando avertere, cum altissimo mari demerso (his ad hominis constantiam labefactandam utebatur) nullam spem aliam enatandi diceret, nisi induceret animum ad Solimanum transire; quoad haec omnia sunt Laskii virtute et constantia dis-

cussa, negantis sibi aut nulla vitae commoda, aut eam ipsam vitam, cuius potiorem partem integram a labe flagitii transegisset, sua dignitate, atque existimatione esse cariorem. In magno discrimine positus, ut salutis spem omnem abiiceret, novi nuncii Buda allati perfecere: Ferdinandum Posonium profectum secundo flumine Budam exercitum misisse. Nequid tamen timendum esset, in urbe cumprimis validis munitionibus firmata, ad sex millia delectorum militum haberi, pabuli, frumenti, vini, et cibariorum omnis generis copiam parem: ut satis videri posset X annorum obsidionem tolerandam: copias, quibus aperta vi spes esset hostem vinci, longe numero superiorem, deesse. Hoc decus fortissimo Imperatori reservari: cui uni deus immortalis in terris dedisset, ut cum tantum posset, quantum alius nemo regum maximorum, ea modo vellet, quae agere regem iustissimum et sanctissimum deceret. Haec iam per se saucium Solimani animum, cum nulla esset sanandi spes, multo vehementius in Laskium incenderunt. Omnia vero, sive casus, sive quid aliud hoc efficeret, in deteriorem partem accipiebantur: id quod solet iis evenire, quorum animi suspicioni patuerunt, semel offensione in aliquem graviore suscepta. Et missus exercitus Budam et Caroli Quinti Caesaris in Germaniam adventus, cuius gravior subesse caussa credebatur, quam quae vulgo Germanis ferretur, et Byzantium legatus eodem tempore Laskius, qui de pace ageret, ita inter se consentientia minime sui potentem movebant, ut aut crederet, aut se credere simularet, his se artibus et fallaciis peti, quo magis dandam sibi operam statueret, ne de improviso imparatus opprimeretur. Sive autem a legato obiiceretur Ioannis Regis foedus, praesto erat qui ita refel-

leret, de eo regno quod bello partum Solimanus sui iuris fecisset, non licuisse Ioanni Regi beneficiario cum ullo pacisci: sive idem contenderet licuisse Ferdinando armis tueri ditionis suae fines, at non continuo licuisse cum aliorum iniuria, multo Turcarum minus, ad quos bello impar supplices legatos mitteret pacem petitum. Nam illa iniquissima et vere Solimani et Turcae: postulabat enim, ut qui pacem posceret, arma poneret, tum ut Carolus V. e Germania decederet, quo nihil aut fingi aut dici foedius poterat. Nam pacem nemo ea lege petit, ut ponat arma, quasi quando fides eius labatur, a quo sit petita pax, ad propulsandam, non ad inferendam iniuriam necessaria habeantur. Retinenda vero arma, quae ita subsidio sint adversus iniuriam, ut nemini sint infesta, qui non in ea ultro et volens incurrat. Cur autem Carolus e Germania discederet, Solimani imperio, quem hoc uno nomine, ne illi obnoxius viperetur, manere in Germania oporteret? Etsi enim ab eo qui pacem dat, non ab eo qui accipit, sunt leges pacis dicendae, non erat tamen Carolus Caesar ita in fratris potestate, ut ex illius praescripto, ubi esset barbaro assensus iniqua imperanti, aut sibi manendum aut discedendum, quo Solimano visum esset, statueret.

Nam quod Ferdinandus posceret pacem armatus, ita arma retinebat, ut uteretur adversus negantem pacem, quae aequa atque ex dignitate potentis esset, ponendae eadem ubi non necessaria redderet eius, qui pacem daret, tum aequus et prolixus animus, tum iustitiae multis documentis spectata fides; non enim minus necessaria arma tuendae paci, quam propulsando bello. Sed inanis omnis disceptatio, ubi est pro lege unius voluntas, et quidem quam non ius atque aequitas, quam nullam novit qui mancipiis imperat, sed inexorabile odi-

um et conscientia maiorum virium moderantur. Nam illud unum urgebat domestica potentia et viribus inflatus, quod altero quoque verbo usurpabat: Non esse Solimani, accipere ad alterius praescriptionem, pacis leges, qui orbi universo leges daret, quem regum regem, imperatorem omnium maximum, potentissimum, populi gentesque omnes in terris venerarentur. Atque hic non videtur praetereundum, id quod in sermone Luphtibeius Laskio, cum verbis contumeliosis minas misceret, dixisse fertur: Videret Carolus, quo progrederetur nimia dominandi cupiditate elatus: videri enim hoc velle: cum satis gloriae Solimanum ex Ferdinando victo maneret, magnam gloriae accessionem victori ex se se devicto adiicere, insequi tuta consilia, quam speciosa mallet. Id Sultano Syriae Campsoni Gauro aliquando accidisse, adversus Persam Selimo Imperatore, huius ipsius Solimani patre, exercitum ducente. Cum enim ille ad Alepum armatus constitisset, quae Syriae urbs creditur veteribus Antiochia fuisse, in omnem occasionem, Persae adversus Selimum ire auxilio paratus, cuius potentiam suspectam habebat: semel atque iterum monitum, ut retro signa Damascum referret, non pateretur a se pietatis iura violari, qui aetate verendum et maiestate imperii semper patris loco sancte coluisset, pertinaci consilio retinentem arma vita simul, atque imperio spoliasse, immortali gloria, longe lateque propagatis imperii finibus parta. Neque Solimano Selimi filio aeque paternae gloriae aemulo ut virtutis atque imperii haeredi, aut animum, aut vires ad persequendum Carolum armis, quantuscumque ille sit, defuturas, atque adeo, ut ne recuset quidem si opus sit, ad honestandam suo adventu Ratisbonam et celebrem illum principum conventum, qui

summum ius sibi tribuunt terrarum orbi imperatorem dandi, ducere exercitum armatum. Atque haec quidem barbarus iactabundus aliaque in eandem sententiam multa, quae neque erat locus refellendi, et homini non aeque erudito ad blandiendi artificium, et quem sui sensus dissimulatione redimere spem vitae oportebat, devoranda erant. Vna enim illa cura torquebat anxium de salute animum, qua ratione laboranti in vitae discrimine evadere e manibus liceret: cum una illi optio daretur, aut vitae aut dignitatis iacturam faciendi, cuius ut esset immemor, non erat passurus sibi persuaderi. In his rerum angustiis versanti denunciatur, iubere Imperatorem, captivum Byzantii manere, quoad diligentius explorata legationis caussa, certius de eius missione consilium atque ex ratione temporis liceat iniri. Quam moram Laskius enixe deprecatus, et sua caussa, et vero imperatoris orabat, ut fieret sibi potestas, euntem ad bellum in exercitu sequendi. Iam famam haud dubiam emanasse, coniectum se in vincula, Ferdinandi de pace legatum, a Solimano Imperatore augustae maiestatis principe violatum gentium ius, cuius se vindicem atque assertorem ferat, ut nemo exterorum regum, nulla inposterum libera civitas sit futura, quae legatos Byzantium ulla de re graviore mittere audeat. Scire eam esse in Solimano magnitudinem animi, ut non minus ab odio, iracundia, animi impotentia, quam a vi atque armis sit invictus. Nullam vero victoriam, quae parata de externis hostibus, magnis regibus, et belli ducibus, aeque conciliet hominum studia, quam ea, quae de interioribus hostibus, cupiditate, odio, immanitate comparatur, quibus qui victi dant manus, longe absint a Solimani constantia, quae minime in eo esse possit, qui patiatur in tu-

endo gentium iure a se iustitiae et clementiae partes desiderari. Haec quamquam vere a Laskio dicta, atque ex ratione temporis, ut minus aequis auribus audirentur, effecit novus invidens casus minime Laskio in eo statu rerum opportunus.

Advenerat per eos dies Byzantium Christophorus quidam Zampheius, homo improbus, ut videtur, atque egens, et parum Laskio aequus, qui quod Solimani praefectis quatuor ignobiles arces dediderat, a Solimano, quod esset perfidiae praemium DC florenorum stipendio erat auctus. Is Laskium arguebat, quod belli suasor fuisset, uni praecipue ei mandatam a Ferdinando classis et Danubii praefecturam. Inde non uno in loco Danubio ponte iuncto, et naves exstruxisse multas, et Savi navigationem tentasse, quo exploratiora omnia bellum gerenti essent: ut non solum belli auctor, sed administrator etiam acerrimus haberetur. Haec per se satis incensis regiorum animis, tamquam subiectae faces aridae materiae, exitio Laskio fuerunt. Quae, ut scripta ab illo notataque sunt, placuit cum fide referre: cum nihil caussae sit, cur minus fidem habeamus de se scribenti viro gravi, et suae constantiae, ad vitae usque et salutis discrimen, non immemori. Iovius quidem affirmat, offensum Solimanum nimis crebro a Laskio usurpata commemoratione Caroli V. Caesaris, cum plus aequo et illius potentiam, et Germanorum auxilia, quasi metus iniiciendi caussa ostentaret (ita enim regii ministri interpretabantur), inclinasse animum ad bellum, assentationibus suorum tumentem, et minime vana ostentatione sui, quo perfugere, ut minus Laskio cauto homini et inveteratae prudentiae necesse esset, Ioannis oratores perfecerant, quorum erant certiores partes, ad irritandum barba-

rum animum haec amplificandi: postulabat enim viduae reginae et pupilli ratio, quo maiore in discrimine posita, citius ad misericordiam flecteret, sua sponte infensum Ferdinando, inimici vires augere, qui fratris potentia subnixus, quo nihil esset facilius, puero ad exitium et matri immineret. Neque cuiquam verisimile fieret, quod viderit Iovius, Laskium ignorasse: cui non semel insignem prudentiae laudem idem ipse Iovius tribuit: cum praesertim, ut nulli umquam alii magis, illi essent Turcarum mores et Solimani ingenium longa eius consuetudine perspectum. Neque vero, cum barbarus ultro eius rei mentionem fecisset, debuit Laskius, quando desperaret, quidquam se aequi ab eo impetrare, qui haberet plane aversum animum a pacis consiliis, illius suspicionis caussas elevare. Non enim illi dubium erat, quin Solimano Caroli Caesaris potentia esset suspecta, cuius periculum facere, superioribus annis, cum licuisset, non esset ausus.

IO. MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBER DECIMVS.

LIBER DECIMVS.

Dum haec Byzantii parum secundis Christianae reipub. auspiciis a Laskio administrantur, Illyrii praefecti, acceptis a Solimano litteris, quamquam anni tempore minime idoneo ad res gerendas, certo die militi dicto, quo die ad signa convenirent, naves e propinquis amnibus, Dravo et Savo, in Danubium deduci, atque tormentis, commeatu, caeterisque rebus necessariis ad bellum, inprimis sociis navalibus, et navigandi aeque, et nandi peritis, magna adhibita celeritate instrui iubent. Quae quamquam ab his impigre administrarentur, iam hieme appetente, magnum a Turcis incommodum detrimentumque acceptum, amne gelu concreto, ut minime navigationem appeteret; quod semper fere per hiemem accidere consuevit, magno ad rem gerendam accelerantibus futuro impedimento; exorta enim subito frigoris vis incredibilis, cum hominibus aeque et iumentis infesta et vires, pariter, et animos torpentium rigore fatigare in labore fatiscebat, cum vix flectere artus, nimio frigore nervis obrigentibus ad necessaria ministeria obeunda possent. Quae hiemis saevitia omni subsidio ac perfugio maior, pertinacius Septemtrionibus tenentibus haud facile pote-

rat superari. Ita cum alia pecora, quorum magna copia erat ad belli usum comparata, tum equi imprimis, et cetera iumenta, quibus necessaria subveherentur, passim torrida frigore, foede interibant, magno militum incommodo, qui his ad belli usus carere non possent. Ac duces quidem et militum praefecti, quique honestiores militiae ordines ducebant, ut ratio temporis postulabat, in utraque ripa tabernaculis positis, facile frigoris vim, quamquam in dies acrius ac vehementius invalescentis, ferebant: vulgo milites ex arundinibus temere congestis, parva tentoria, aut ex centonibus, aut ex pellibus, quarum facultatem pecore abundans regio subministrabat, sibi exstruebant, sed ita levi compendio, ut cum crebri ignes passim fierent, ne ita quidem frigoris vis omni humana ope violentior, omnia qua ambiret gelu immani adstringente coelo, posset arceri: ad hunc maxime modum traductam hiemem ver excepit, cum magna hominum strage iumentorumque edita, insigni detrimento Turcas affecisset. Inde ut licuit pro praesentibus rerum angustiis instauratis viribus, Vstrephus et Mahemetes regii praefecti nuncios Budam mittunt, qui certiorem de suo adventu Reginam faciunt, quique commeatum et tormenta postulant, pro sua in Imperatorem fide, oppressae a Germanis iniusto bello, polliciti se non defuturos. Dolere magnopere, hoc unum maxime agentibus, per annitempus rebus gerendis minime idoneum non licuisse maturius opem imploranti ferre: sed industria et sedulitate et eius temporibus iacturam faciant, atque adeo cum fenore, et compendio se adnixuros. Quibus Regina auditis, de suorum sententia, qui occurreret cum copiis advenientibus, Valentinum Terekum mittit, quo alacrioribus animis rem gererent, adiectis muneribus

luculentis. Ita tres duces utribus coniunctis, cum delectorum Vngarorum manum secum Terekius adduxisset, militem Danubium transmissum Vaciam ducunt: quam urbem nullis propugnatoribus defendentibus, captam direptamque incendunt, nequidquam Terekio Vaciensis populis miserabilem cladem multis precibus ab immani barbaro deprecante. Nam ut minus feros animos ullis precibus moveret, a misericordia aversos, ne esse quidem a ratione praesentis temporis affirmabat, a tam tetro facinore belli initium facere: cum ad concilianda populorum studia, quae in diversum traherentur, quaesita in principio clementiae opinio victis conservandis, plurimum conducere ad totius belli summam videretur. Pestum inde itum, quod quidem aliquanto acrioribus animis ab oppidanis, quique erant in praesidio, militibus, defensum, eodem exitu manente victos, sive facta deditione, sive per vim expugnata urbs in potestatem immanium hostium veniret. Iam enim admotis castris, qua urbs vergit ad occidentem solem, oppidum oppugnare adorti, deiicere propugnatores e muro, magna tormentorum vi, pilas ingentis molis ac ponderis emittentium, conabantur, maiore tamen suorum, quam hostium caede. Erant in oppido, praeter delectos Vngaros, Germanorum cohortes decem. Germanis Otho Fotiscus, vir spectatae virtutis, Vngaris Banocius praeerat, alae equitum praefectus, impiger idem vir, et magni animi, ne facilis barbaris expugnatio et totis viribus adnitentibus haberetur: quae enim requireret usus, cum militum fortissimis occurrendo facile vanos Turcarum impetus, conatusque omnes efficiebant: Germani enim milites, incensi honesta aemulatione, cum Vngaris in laudis contentione certabant, minime Germanis virtute et magnitudine

animi concedentibus, magna quidem cum barbarorum caede, a quibus Vaciensis cladis poenae expetebantur, cuius ulciscendae cupiditas pugnantibus animos viresque augebant. Maior exercitus Turcarum pars, tumultuario delectu coacti nomina dare, tum montani Illyrii (vulgo, ut supra iam diximus Martelosii vocant), feri illi quidem homines, sed latrociniis, quibus maxime student, assueti rapto vivere, quam urbibus oppugnandis aptiores: ut etiam si multis tormentorum ictibus strata muri pars aditum oppugnantibus aperiret, succedere ad muros tamen hortantibus ducibus in magnae vitae periculo victis horrore animis non auderent. Accedebat ad tot incommoda nostrorum militum insita animis audacia, qui perpetuis eruptionibus ita fessos fatigabant, ut cum palatis equitatus Vngarorum infestus ubique occurreret, fugientium ac repetentium castra magnam faceret caedem, ut tot acceptis detrimentis in dies magis de oppugnandi studio remitterent. Auxit Pestanorum virtutem egregia unius hominis industria et fides. Architectus erat ex eorum genere, qui tum arcibus exstruendis, tum muniendis expugnandisque urbibus operam locare consueverunt, ab ingenio, unde saepe nova et prodigiosa commenta ad populorum exitium manant, populari lingua, nova re novum nomen requirente, ingenii artifices appellati. Is genere Neapolitanus, Marius Scipecasius nomine, ut Iovius tradit, erexerat aggerem quadrata forma in ingentem altitudinem, ex cuius vertice, loco idoneo directis tormentis in hostium castra, magnis cladibus, ictibus tormentorum apertos afficiebat. Neque satis subsidii e regia urbe suppeditabant, Pestanis vexare subiectos non intermittentibus, quorum magnam stragem ferrei globi insignis magnitudinis ex arce emissi edebant. Inter

cetera mala commeatus inopia in castris laborari coeptum, fremente Turca, nimis parce a regiis commeatus subministrari: cum frumenti perexigua vis ad militum necessarios usus adverso flumine supportaretur, inprimis pabulum deficeret, quo equi alerentur, quorum maior pars, enecti fame foede interibant, magna cum barbarorum molestia, atque indignatione, quorum est incredibilis equis curandis fovendisque diligentia. Ita Turcae, frustra regina orante obtestanteque adeo, et tutoribus regis, ut manerent, cum obsessi eorum superbas minas facile animi constantia virtuteque eluderent, motis castris re infecta discedunt. Quod cum minime Vngaros fugeret, in abeuntes patefacta porta erumpunt, atque eos ad multum diei persecuti incolumes revertuntur, cum aliis ex postremo agmine, tum Achamate impigro homine, et inter duces claro interfecto, qui novissimum agmen cogebat. In ea pugna Francisci Gnari equitis Vngari celebris enituit virtus. Haec quadragesimo eius saeculi anno vario eventu in Vngaria gesta. Insignior insequens annus multis nostrorum cladibus, infelici aeque exitu belli, et victoribus Vngaris pariter et victis, Solimanum in Vngariae regia urbe sceptra gerentem et iura dantem populis vidit. Quae dum ita in Vngaria geruntur, Ferdinandus totus intentus instaurando bello, Ratisbonam contenderat, eo, ut iam dictum est, a Carolo Caesare conventu principum indicto. Sperabat vero principes, accepta fama eorum, quae ad Pestum gesta essent, quin continuo auxilia mitterent, ne horae quidem momentum intercedere passuros. Ita enim minus Vngaris favebant, ut pro Germano rege, cuius imperio parebant Vngari, arma laturi, et honorificum sibi bellum inprimis, et ad tuendos Germaniae fines a

Turcarum excursionibus ducerent necessarium. Augebant spem, praeter rem ad Pestum bene gestam, ex Vngarica nobilitate multi, quorum summa auctoritas et valida spes facilem suis spem victoriae, naturae instituto plus aequo sibi hominibus blandientibus in hist quorum cupiditate tenerentur, faciebant. In his Perinius censebatur, Gaspar Seredius, duo Francisci Gnarius et Revalius, Nicolaus Zrinius, Sigismundus, Emericus, et Melchior Blassae fratres, Petrus Bakitius: qui omnes postea in Ferdinandi castris oppugnationi atque obsidioni Budensi interfuerunt. Horum adhortationibus incensus Ferdinandus, cum speraret, ubi maioribus viribus insisteret, se facile universo regno potiturum, sedulo cum fratre Caesare de copiis instaurandis intentiore cura, novis delectibus in provinciis indictis, et de toto gerendo atque administrando bello agit. Agnoscendam divinitus oblatam occasionem Vngariae a Turcarum servitute vindicandae, distractis Solimani viribus, quas Persa regni fines ingressus multis cladibus afflixisset, ut non ita facile affectas attenuatasque Asiatico bello in Vngariam convertere, ut maxime vellet, crederetur. Nam et suorum virtute, et Dei immortalis benignitate, cuius caussa ageretur, inchoatum bellum secundis auspiciis ex sententia successisse, Turca irrito conatu retro coacto signa referre, ac fractis hostium animis, qui in barbarorum auxiliis spem omnem positam haberent. Etsi vero facile appareret, quam magna hostium vecordia esset: sperandum tamen, cognito quam parum esset subsidii in barbarorum ventosis pollicitationibus, ad salutaria consilia animum conversuros, cogentibus praesentibus rerum angustiis tempori dare, quod patria pietas minus ab his impetraret. Praeclare inceptum ita laetum exitum spondere, si statuerent sibi fortunam virtute

adiuvandam, quae secunda adspiraret. In cursu bene gerendarum rerum multum processisse, qui recte coepisset, nihil verius esse: sed nihil tamen eum ipsum profecturum, quem bene in principio gesta res commendaret, in cursu languentem et destitueret animus, et deficerent vires; non enim initium belli spectandum, sed finem, quo consilia eorum qui res gererent intenderentur, nec continuo qui proelio vicerit, aut semel hostem depulerit moenibus, vicisse bello. Falli, qui crederent caussam modo Vngarorum agi, ubi de propulsando bello agatur, quod Vngaris a Turca immineat, et quidem tot iam bellis ad internetionem defunctis, Germanos expertes eorum malorum futuros, quibus sint Vngari opportuni. Ita serpere exortum incendium, ut haud in proximo consistat, sed ab eius exitio, quod prius perdidit, ad id quod proxime sequatur, proferat vires, perpetua serie in contingentia quaeque bacchando. Excitatum in Vngaria per Ioannis Regis mortem grave bellum, cui nisi omnibus viribus obviam irent, quasi classico signo dato, finitima regna, Boemia, Silesia, Austria, Germania universa, iisdem belli cladibus (Deus tam triste omen averteret) essent collapsura. Immerito queri Christianos reges, iniquo fato illos agente, destitui se domesticis viribus, qui ipsi effecerunt, hinc per turpem remissionem animi cessantes, qua quidem magis quam domestico robore augebantur hostium vires, hinc mutuis discordiis sese conficientes, ut sibi essent Turcarum vires timendae. Numquam barbarum hostem sua sponte tantum fuisse ausurum, Christiani orbis regnis, et provinciis bello aggrediendis, vastandis, suo imperio adiiciendis, nisi per eos ipsos id illi licuisset, quibus bene inter se consentientibus, numquam fuisset sua sponte arma illaturus, nostris malis et discordiis felix.

Hanc gloriam uni Carolo Caesari deberi, cuius essent, propter summi imperii maiestatem atque excellentem virtutem animi, conficiendae teterrimae belluae principes partes. Daret modo Deus, ut vellent iidem, qui et deberent, et possent; ubi id per eorum contraria studia liceret, facile intellectum iri, quantum vellent modo Christiani reges, tantum communem hostem adversus Christianos reges posse. Cum liberaliter Carolus pollicitus, bono animo fratrem Regem esse iussisset: de illius sententia ad veteres copias, novo milite, in supplementum conscripto, qui rebus gerendis cum imperio praeesset, Guilelmus Rogendorphus, quem male Iovius Rocandulphum appellat, deligitur, vir magni nominis, iam ab eo usque tempore, quo est bellum adversus Venetos ex Cameracensi foedere, tum a regibus aliis, tum a Caesare Maximiliano gestum. Qui quamquam iam grandis natu, apud Regem in honesto otio consenescere statuisset, pridem ex male gesta re in Vngaria a belli studio aversus: tamen ob rei militaris scientiam, et quod locorum peritus haberetur, ubi erat gerendum bellum, cum aliis, qui aetatis robore, et militum suffragiis eminerent, tum Velsio praefertur, atque adeo minime aegre ferenti, cum impar gerendis rebus diu adversa valetudine conflictatus, tum quod caput erat, minime aptus comprimendae Vngarorum ferociae, qui sub iisdem signis cum Germanis, Ferdinandi Regis auspiciis essent militaturi. Nam, et aliam huius rei caussam Iovius affert, in Regis consilio, cum de oppugnanda Buda ageretur, Velsium auctorem huius sententiae fuisse, quae Regem ab oppugnandi incepto deterreret, ut vix crederent, quidquam eum praeclare atque ex sententia gesturum in ea expeditione, quam diffisus praesentibus viribus dissuasisset. Id quidem,

ob verisimilem caussam, ne si eius sententiam eventus, bene gesta re, damnaret, quem non saepius ratio, quam fortuna moderatur, aut se male sensisse, qua ex re esset futurum, ut inprudentiae argueretur, aut quod gravius est, id quod praeclare sensisset, videretur metu dissimulasse, veritus ne Ferdinandus impedito adversa valetudine belli administrationem mandaret. Cui quidem non assentior. Nam viro forti ad deprecandam metus infamiam, ne videatur id dissuasisse, a qua re agenda timore et debilitate animi alii deterreantur, stimuli atque aculei adduntur acrio res, quod etiam contra saepissime accidere ait, superbia humani ingenii non ferente, ut strenuus miles sit in se alieno consilio gerenda, ne fovere alienam gloriam sua virtute videatur; id vix semel, atque iterum, sed aliis de caussis accidisse apud populos nobilissimos animadvertimus, dissidente multitudine, et distracta in contraria studia, cum quidem negaret miles in proelio atque in acie rem gerere duce, atque imperatore, quem odissent, invisumque haberent, exercitum ducente. Tum unus erat omnium consensus, pro Ferdinandi Regis caussa arma gerentium: ut in bello administrando, nec proemium luculentius, nec gloria maior qui recte consuluisset maneret, quam si audacter in hostem pugnando, sua virtute male ab aliis consultum correxisset. Equidem habeo auctores Rogendrophii propinquos, nobiles homines, et spectatae virtutis ac fidei, ut nefas sit de eorum testimonio detrahere, invitum, et summis precibus obtestationibusque deprecantem ab offirmato contra Ferdinando Rege infelix delatum expeditionis munus suscepisse, cum quidem longe se fessum militia atque imparem militari labori ferendo, non se, diceret, cogitare, quibus rationibus vi-

tam proferret, cuius maiorem et meliorem partem perpetuis bellis, et magnis gerendis rebus traduxisset, sed quibus liceret fructu laborum frui, quos in vivendo pertulisset, quem tum speraret, magnum, atque uberem se relaturum, ubi liceret cum laude vitam actam, honesta apud suos, et placida morte claudere. His ita administratis constitutisque rebus, novus dux cum magnam commeatus, magnam telorum vim, et tormentorum tum muralium, tum campestrium omnis generis comparasset: lustrato exercitu Budam copias adducit, haud plane abiecta spe, ubi ire properaret, aliquid se operae pretii facturum; meminerat etiam superioris expeditionis, qua muros exstructos latericio opere nullo interiore aggere munitos, regios duces numquam intermisso tormentorum iactu foede stravisse. Verum sua spe validiorem munitioremque urbem nactus, quam ut spes esset posse facile expugnari: non negavit, cumprimis gravem fuisse caussam Velsio, iam eius rei periculo facto, ab oppugnationis consilio Regem et qui eius essent sententiae auctores, deterrendi. Qua enim urbs vergit ad solstitialem occasum ductu aequabili, murus in angulum excurrit ita prominentem, ut qua cum altero angulo coit, molli flexu obtusus, propugnaculi formam accipiat: in cuius inferiore parte, aequis spatiis, murus oblique pertusus, in fenestellarum modum habet directa utriusque tormenta in hostes ad muros succedentes: ut, qua facillime ab ea parte moenia adiri posse videantur, minime sit liber oppugnanti accessus. Attollitur etiam in iustam altitudinem editus collis, in cuius perpetuo iugo sita urbs sese aperit, longe lateque conspiciendam, unde mox leni clivo se in planitiem sensim demittit. Inter septentriones et orientem solem, qua ad Danubium spectat, ascensu arduo

ac praerupto, nisi angustis semitis, errabundo flexu molliatur, aegre adiri potest. Iam ad Sabbatiam portam, quam appellant, qua est euntibus Budam Veterem et Visegradum iter, egregie munitum propugnaculum a meridie muros adeuntes arcet, a latere nudatos, atque expositos ad tormentorum ictus, quorum magna vi est propugnaculum instructum. Iam arx, qua assurgit obversa in orientem solem, intus ornatur opere magnificentissimo, per tot saecula regum maximorum sedes. Eadem foris laeta loci amoenitate quoad quis visu pertingere in spatium quam longissimum potest, aperit prospectum, ad infimas radices, admirabili naturae opere, ut alibi diximus, calidis aquis ubere solo scaturientibus, quas thermas regias vocant. Huic turris e vivo lapide adiunctus fossa muniebatur, Ioannis Regis postremum opus, qua duci fossam, rupes interiectae prohiberent, ferro abscissa. Ita arce ponte iuncta descendere quam commodissime, molliter se colle demittente, ad Danubium licebat, cum ante exstructam turrim, latiore ambitu descendentibus per urbis portam, longa itineris mora commeare necesse esset, atque adeo, ut non facile ii fugere aspectum hominum in magna frequentia possint, qui ut aliquando fallendi essent, multi acciderent casus. Ac ne tuta plane arx esset; regiae atque universae urbi obiectus mons, non magna interiecta valle, subiectam despiciebat et aliorum missilium omnis generis, et maxime tormentorum iactui opportunam: ut perinde esset eo monte potiri, atque habere arcem simul, et urbem in potestate. In montis vertice erat Gerardi fanum, quem populares, vetere religione imbutis animis, pestilentiae aversorem, et tutelare numen annua celebritate et magna cum ceremonia venerabantur. Ergo loci opportunitate

perspecta Rogendorphius optimo consilio, cum e superiore loco nullum irritum tormentorum ictum fore in subiectos speraret; inde turrim quassare, atque oppugnare simul urbem constituit. Ita verberari coepta ingenti globorum procella, qui e muralibus tormentis emittebantur, adeo pertinaci studio, ut cum iam convulsa procidere et minari ruinam videretur, nemini dubium esset, quin hostis beneficio staret, cuius maxime interesset eam everti. Iam etiam deiecto turris fastigio, arci, quae desuper eminenti tegebatur, Germani imminebant, spe praedandi regios thesauros maxime incitati. Nam, etiamsi haud facile se expugnaturos sperabant triplici murorum ambitu munitam, et magno interiecto vallis spatio; et ulterius tam quatiendo, amoliendoque non progrederentur, quamvis potius subesse caussam videri ab incepto abstinendi, quam metum, ac potiundi desperationem volebant. Saevitum quidem amplius non est; sive hoc Ferdinandus duci in mandatis dedit, nobilissimam regiam incolumem non hostibus, sed ut sperabat, sibi ita conservandam arbitratus; sive ipse dux avidus praedae, non passus est iactu tormentorum corrumpi, quae praemia opima susceptae expeditionis sibi animo destinebat. Nam, praeter aliam regiam opulentiam, qua erat referta, haud dubia fama ferebatur, eodem congestas omnes regni fortunas; cumulatos longo annorum spatio immensos thesauros, auri, atque argenti, facti infectique ingentem vim, quam e beatissima regione et metallorum omnium feracissima eodem superiores reges coacervassent. Eam opinionem augebat Matthiae Regis numquam in hominum memoria interitura laus; quem audirent studiosum omnis politioris elegantiae, regiam Vngarorum praeclaris antiquitatis monumen-

tis ornatam, aeneis ac marmoreis signis antiqui operis, tum pictis tabulis, atque aureis, quorum omnium iacturam non hostium, quibus sperabant se crepturos, sed suam statuebant. Atque haec quidem verior caussa, verisimilior certe: illa speciosior, quam duces iactabant, et conciliandis urbanorum studiis aptior, Ferdinandi placidum atque mite ingenium, et quae inde manaret insita animo clementia, quae de illo fama haud falsa ferebatur, quoad spes esset, Reginam ad suas conditiones animum flectere, omnia suos prius, quam vi experiri volente. Itaque Rogendorphius non desistebat, missis per caduceatores litteris, illam monere, multis verbis et prolixis, haud plane malus vates. Videret quo praecipiti consilio elata progrederetur, falsa et prodita a suis, vere misera, si quidem non intelligeret, tanta animi pertinacia, non se caussam pupilli tueri, in quo matri esset ignoscendum, cuius esset a natura summa in filium indulgentia, sed tutorum, sceleratorum hominum; qui per speciem exsoluendae fidei obstrictae Ioannis haeredi inter Ferdinandum Regem legitimum, et se regni usurpatores ad conflandam invidiam Regi sanctissimo atque innocentissimo sibi conciliandos populorum animos, medium infantem pupillum, et Reginam viduam positam haberent. Raro fuisse sanctam fidem arctissima etiam propinquitate coniunctis; parentibus in liberos; liberis in parentes, quo nullum inter homines a natura vinculum arctius posset excogitari, ubi eam spes regni sollicitaret, cuius rei in omni memoria exempla multa et clarissima exstitissent: quam sanctam Georgii fidem futuram alieno homini, cupido, impotenti animo, et maiores spiritus, quam fortunam gerentis, qui sacri ordinis desertor, in quo a primis annis altus, educatusque esset, eam ipsam

fidem, quam Deo immortali, sanctissimo iureiurando tactis sacris addixisset, foedissime turpissimeque violasset? Scilicet credendum, cui religionem non iniecisset violata numinis maiestas, cuius vim irati, nemo umquam sceleratus effugisset. Pupilli mandatam a patre tutelam, inconsultius, an susceptam ab immani homine sceleratius invecturum? Disceret Regina ab hoste armato, sed minime hostilem gerente animum, vera audire, quae audire a fictis amicis, et infidis non liceret; qui quo gravius plectendi essent, speciosissimo fidei et religionis nomine, tectos hostiles animos haberent. Nullum vero haberi tetrius scelus, quam quod ficta religio et pietas obtegeret, ne facile posset caveri. Ad huiusmodi adhortationes addebat minas: Daret operam, ne, dum nimium pertinaciter pergeret malam caussam tueri, praepostere improbis hominibus habita fide, faceret quam nollet. Et loci quem insedisset opportunitatem, et temporis rationem, et vero his omnibus vires pares a meliore caussa stare, ut si verum esset, Deum immortalem castis hominum votis favere, optimam caussam defendentium, non esset de eventu belli dubitandum: remittere sua sponte aliquid de animi pertinacia, et filii, et sui memor, quod tum intelligeret necessario sibi esse concedendum, cum nulla id esset cum gratia factura. Non deesse sibi arma, non tela, non tormenta, quibus de loco superiore, unde nulla spes effugii ad salutem relinqueretur, horrenda cum tectorum et hominum strage, ingentis molis pilos deiicerentur. Ita quidem obsessae statuendum, quominus in regia urbe foede strata demersaque nimis videat insignia ornamenta domorum, et sacrarum aedium fornices, columnas, auro loqueata tecta, ceterasque urbanorum delicias, suae lenitati moderationi-

que esse adscribendum, qui rationem potius sibi habendam suae humanitatis, quam sceleris perditorum hominum duxisset, de quorum sententia Ferdinandi conditiones aequissimae, quae essent populis salutares, unde Vngaris certa pax atque otium, Regi pupillo regnum in beato et tranquillo statu constabiliretur, superbe reiicerentur. Quibus ita Regina respondisse fertur ex Georgii sententia: ut maxime consilio indigeret, quo quidem, gravissimo suo tempore, femina orbata viro, procul a suis, recte carere haud posset; et natam eandem tamen patre rege, avo, proavo, maioribus, abesset verbo invidia, et in regia educatam, et regi nuptam, et maximis semper in rebus versatam, hoc didicisse, ab hoste armato non esse de rebus gravissimis consilium petendum; in quo quidem dando non solum prudentia requireretur, sed fides. In hoste enim esse omnia inimica consilio, ut maxime verisimile esset, ei consultum velle, quam armis perditum iret, odium, iracundiam, ulciscendi cupiditatem, quae nullo aequi aut iniqui discrimine, divina atque humana iura omnia libidine aequarent. Vt patre rege, avo, maioribus dignum esset, ex se natum Ioanni Regi filium, regni haeredem non deserturam: quae eadem tamen, ubi aequo iure disceptari de regno licuisset, quo gravior omnium iudicio Ferdinandi iniuria videretur, fuisset de suo iure decessura non invita, et filii infantis regnum, iudicum sententiis permissura, quod liceret tueri armis, quod quando minus placuisset ius armis violatum, ut deceret Sigismundi filiam, Ioannis Regis uxorem armis defensuram, maxima spe, affore praesentem Deum suis, pro pupilli caussa oppressi iniusto bello pugnaturis. Facesserent vero minae, ubi de summa rerum non inani iactantia verborum, et

aequitatis ac clementiae ostentatione, quam libenter hosti remitteret, sed virium robore, ferro atque armis, collatis in acie signis, esset decernendum. Addit Iovius inter seria miscere scurrilia assuetus, Georgii, ut parum false, ita spurce et contumeliose dictum: Quando essent certa humanitatis iura, quae inter gerentes arma atque in acie adeo colerentur, obsecrare magnopere, parcius tormentis uteretur tantisper, dum apud se scropha praegnans ederet partum: quae si abortum faceret territa nimis crebro sonitu tormentorum, non posset accidere sine convivarum querela, quibus statuisset eius exta, et farcimina laute, atque opipare condita apponi. Nam semel eundem ait, cum captos duos Germanos in vinctis suspendi imperasset: alternis totidem suspensos porcos patibulo inferi iussisse. Quae edita in contumeliam nobilissimae gentis, cum nulla suae fidei iactura, multo maiore cum gravitatis laude, poterat praeterire: certe sine nota scurrilis animi, et iniusto depravati odio, commemorare vix rerum scriptor potuit, qui simul esset suae gravitatis et constantiae memor. Non rerum scriptorem decet mimi ludi, scurrae persona, a quo hominum genere impuro et infami, nemo umquam fidem quaesivit, quae est primo loco in scriptore quaerenda, sed gravis hominis, moderati, prudentis, ut norit quid intersit inter scribendi munus, et procacem licentiam cuncta offendendi, quae libido atque odium suadet. Cum vero eius ratio esse casta, et procul abesse ab opinione nequitiae debet, tum dare imprimis operam, ut explicandis rebus severitas religiosa quaedam, quae a tristi censura absit, atque animi moderatio, comprimendo aut odio, aut studio, quae duo maxime scribentis animum sollicitum habent, ne desideretur. Nam

Georgii dicto, quamquam illud Iovius sibi statuerit memoriae prodendum, non magis laedi potest Germanorum existimatio, quam testimonio augeri hominis, ut docuit eventus, cum qui plurimum faveat, parcere, et suae religioni consulere, haud facile queat. Nam Germani satis suo robore firmi, et tueri domesticam laudem, et refellere scriptorum maledicta possunt, ubi a sua fide et religione in scribendo discederent. Inde dux certo consilio e monte digressus, loco aequiore castra ponit, haud procul a Iudaea porta, quam vocant, ut videtur a loco appellata, quod vetusto civitatis more illic humari Iudaeorum cadavera consuevissent. Quod Iovius omen, ad ingenium rediens, miratur Rogendorphium non abominatum, quasi priscorum aut Graecorum, aut Romanorum res gestas, non Vngarorum, Christianorum hominum esset explicaturus; cum veteres scriptores tamen, non quid ipsi sentirent, sed quae gentis superstitio postularet, id quod non semel sedulo excusant veriti posterorum offensionem, litteris mandarent. Tum Iudaeorum erat Budae celeber conventus, eo confluentium commercii caussa: undique enim ab aliis gentibus pulsi, quae plebis odio maxime huic hominum generi infestae non facile iis cum suis commercium esse patiuntur, ad exteras nationes populosque confugiunt, apud quos magno cum suo compendio, pari incolarum incommodo et detrimento foenerantur. In regno quidem Poloniae, nobilissimo eodem et peropulento, nihil privatae, nihil publicae rei administratur, quod paullo maioris momenti sit, quod non per eos auctores interpretesque transigatur. Infelix hominum genus, et multitudini invisum, quod pannosi et sordidi vulgo dissimulare invidiosas opes creduntur, in urbium direptione omnium principes petuntur, eo magis in-

iuriae opportuni, quo avarus miles his insectandis videri vult magis suorum religioni servire: cuius numquam est rationem habiturus, nisi ubi liceat in direptione hostium et praedarum quaestu religioso esse. Locus ad cetera idoneus, minus erat aquationi aptus, quod aequo longius a flumine abesset, et propterea minus tuto, nisi militum praesidio tectis flumen adire aquatoribus liceret. Id lux ne obesset, qua erat longo circuitu flumen petendum, in stationibus militem collocat, si qua vim obsessi inferre, quod verisimile erat, subita eruptione conarentur, iis subsidio futurum. Hinc dimissis copiis, Perinnium, cum Vngarorum delecta manu, quibus Boemos adiunxerat, qua urbs spectat in occidentem solem, tormentorum partem transferre, et muros verberare acerrime iubet, olim parum secundo eventu urbem ab ea parte oppugnare adortus: ipse parte alia, ubi, ut diximus, posuerat castra, quo citius distractae vires diversis locis propugnatores deficerent, oppugnare constituit. Iam Budenses raptim materia intra muros comportata, tumultuario opere aggerem ad muros adiecerant, diffisi munitione murorum, quibus extructis latericio opere haud satis se tutos futuros adversus vim tormentorum putabant. Quae eorum industria irrita, pene urbi exitio fuit. Vbi enim moenia verberari sunt coepta, ac crebro repetitis ictibus disiecta, proruit muri exterior pars, tum interior agger, nondum ita materia humo coalescente, ut satis firmum opus suo robore staret, collapsa muri parte, cui adiunctus adhaerebat, pronus in subiectam fossam procidens, muri ruinam vi ingenti ruderum materiaeque, ut quaeque temere occurrerant, aggerem ad murum comportantibus superstravit, ubi milites praesentibus animis occasioni non deessent aditum ad

interiora urbis patefacturus. Propugnatores enim subito casu perculsi, spe omni salutis deplorata locum deseruerunt, cui tuendo, ubi etiam irrumpentium hostium impetum paullisper sustinerent, non ita diu erant aeque pares viribus ut animis futuri. Nam et ab alia parte detinebat Perinnius diversos, quominus ire subsidio suis laborantibus in ultimo rerum discrimine liceret. Magnam oblatam occasionem expugnandae urbis quominus Germani agnoscerent, fumo, cuius ingentem molem ex crebro iactu tormenta evoluebant, pulvis immixtus, cum ex proruti muri ruina latius effusus, atra nube diem involuisset; sensum omnem ademerat. Inde cum disiecta nubes pugnantibus, quem abstulerat, diem reddidisset, quamquam eius supererat exigua pars, duce, quod nox suberat, receptui cavere iubente; clamare milites, non esse vero omittendam tantam oblatam occasionem, et adnitendum totis viribus, ut cum cedentibus in urbem hostibus irrumpere, superato aggere, atque uti praesenti fortuna auderent, brevi regiis thesauris potituri, unde facultas ingens ostentaretur opulenta praeda exercitum ditandi. Quae quamquam haud vana ferrentur, dux tardior tum vitio aetatis, iam grandis natu, tum gentis ingenio plura consilio agere assuetae, quam animi impetu, quem fere subita occasio requirit, flagrantes suos cupiditate potiundae urbis ab oppugnatione revocavit metu mali iniecto, ni imperio parerent, sero, et cum nullus usus esset, amissam occasionem quaesiturus, quae numquam verius occasio est, quam cum lubrica et praeceps e manibus cunctantibus fluit. Ita a semicaptae urbis oppugnatione milites revocati, cum iam, inclinante in vesperam die, dux negare perseveraret se pugnae aleam per noctem subiturum, quo tempore te-

nebrae obsessis essent auxilio, irrumpentibus magno essent futurae impedimento, urbis regionum imperitis, et quibus praeter magnitudinem animi, alia omnia deessent. Enimvero est mihi crebrius, quam velim, eorum, qui haec legent, offensio deprecanda, si auctorem his scribendis secutus, cui suae fidei haud aut nulla, aut levissima cura fuit, aliquando ea afferam, quae minus iis probentur, quibus est prima in rerum scriptore fides. Tantum quidem flagitium vix credibile est hominem admisisse, qui numquam arma, numquam aciem viderit, quantum a duce magni usus, quod negari non potest, et multis fortibus factis in re militari insignis prudentiae, et virtutis opinionem consecuto, admissum Iovius tradit. Cum tantum muri esset deiectum tormentis, ut interior agger vix hominis iustam staturam aequaret, simul milites fortuna utendum, scandendum aggerem, tantamque oblatam occasionem minime negligendam clamarent: tanquam de pecude ageretur, non de homine per omne vitae suae tempus magnis gerendis bellis exercitato, quod nox subesset, receptui canere, ac reduci in castra militem iussisse. Ac caussam denique tam turpis cunctationis in laudem vertit. Assuetos Germanos per honesta vulnera petere militiae decora in hominum luce, atque cum multi sint testes domesticae virtutis, uti praesenti occasione noluisse: quasi sedendo et cunctando per totam diem, non impigre rem in hostem gerendo, atque in omnium oculis, sibi aditum ad urbis expugnationem aperuissent; aut non aeque turpe haberetur, non debellare victos, cum liceret, quam insignem accipere a validiore hoste cladem. Fuit quidem dandum summae laudi, eo redigere hostes territos subita ruina murorum, ut in semicincta urbe, ubi praeclaro tuendo

incepto constantiam retinerent, esset obsessis spes salutis deploranda: sed non minoris dedecoris fuit, cum liceret perficere, quod praeclare esset inceptum, quod non magni operis aut morae haberetur, metu noctis, tamquam feminas nocturna spectra et larvas timentes, ut ad exitum perducerent, non esse adnixos. Nam id, quod sequitur, ita non ferendum, ut etiamsi ita vere acciderit, silentio fuerit praetereundum, quod superare omnem fidem credatur. Iussisse ducem primis noctis tenebris scalas proferri, atque muris applicari, eo consilio, ut prima luce, tamquam ludicrum certamen, et de re ludicra esset editurus, aut per hostium custodias id agi, nullo sensu eorum, quae per noctem fierent, liceret, milites qua applicuissent, scalas inventuri, caperent urbem. Itaque Budenses ait, cunctatione Germanorum in occasionem versa, undique ad moenia milite confluente, atque iis immixta urbanorum turba, summa usos alacritate aggerem refecisse, ita certatim omnes materiam atque humum comportantes, ut nulli sexui, aetati, ordini parceretur, cum in magno rerum discrimine nemo ultimum pietatis persoluere munus patriae recusaret. At Germani, dilucescente iam die, facile acclivitate collis superata, instructis ordinibus ad moenia redeunt, cum, manentibus regiis ad murorum custodiam, occurreret nemo, qui ascensu vadentes prohiberet. Ita acrius utrimque redintegrata pugna, cum Germani opimae praedae inhiantes, ubi confirmatis animis impigre ad muros succederent, se potituros urbe sperarent, Budenses ex Germanorum cunctatione auctis animis, qua res posceret occurrentes eorum vim atque impetum retardarent. Otho Fotiscus ordinum ductor, insigni vir animi magnitudine, atque audacia, animadversa domo, quae muro semi-

ruto haerebat, inde concepta spe ubi adniterentur factum iri, scandentibus in urbem gradum, in eam irrumpit, sequi suis se impigre iussis. Ita cum qui priores ascendissent succedentibus manus darent alii, subiectis humeris, attollerent iam ascendentes, rem in magnum adduxerunt discrimen. Qua re animadversa Vngari duces, in his Georgius, cum quidem ad incendendos suis animos posita sacra veste, armatus ubique rem gerentibus adesset, clara voce, ut ab omnibus exaudiri posset, hortabatur, ut incumbentium in se impetum fortibus animis sustinerent, nec terreri aut pelli se loco, pristinae virtutis memores, maiorum gloriae, gentis nobilitatis, paterentur. Non nunc primum Germani hostis periculum factum, cum apud alias gentes omnes contempti, tum apud Vngaros ne hostis quidem nomine umquam digni habiti. Eosdem esse Germanos, qui Matthia Rege fortissimo iugum bello victi accipere, et leges ac iura petere ex Vngarorum regia essent coacti : qui hesterna die victores, fortunae beneficio, non propria virtute, victoriam non ferenda in feminis secordia inertiaque corrupissent, verius pecudes quam homines, et (sui, si) semel facta impressione obfirmatos inferrent pedes, (eos, qui) non minore flagitio, quam audacia irrupissent, terga versuros. Pugnabant Germani acriter, quamquam iniquo loco, paribus adnitentes viribus, ac robore animorum, sarciendae ignominiae studio incensi, quam aliena culpa, ipsi culpae expertes contraxissent; sed ut haud facilis irruptio in confertos et ordines servantes esset: quo acrius scutis densatis subirent, eo de loco superiore certiore ictu petiti, et magnis tormentorum globis, quorum ingens procella proeliantes turbabat, opportuni : Nam Vngari confisi loco, et pari freti audacia, cuneo facto,

cominus gladiis conglobati urgebant, atque umbonibus stantes propellebant, et quidem adeo pertinacibus animis, ut scutis pectoribusque obnixos loco deturbarent. Ita partim loci iniquitate, partim hostium virtute, non pro gloria tantum, sed pro salute propugnantium, cuius victi spem omnem abiecissent, terga pudorem vincente metu eodem consensu Germani vertunt, in fuga plus aliquanto, quam in pugna discriminis adituri. Quo enim longius a muris perlati fuga recedebant, eo crebrioribus telorum ictibus, glandium imprimis, quorum proeliantibus cominus fere nullus usus est, foede sternebantur. Amplius octingentis e suis, qua ad aggerem, qua in receptu et fuga, dicitur eo die dux amisisse. Plures cum saucii se recepissent in castra, vincentes curationis taedium, cuius non erant potentes, vulnerum incuria suppurantium, putrescentiumque, interierunt. Eius diei successu ita Vngaris animi creverunt, ut iis Germani ex adverso nihil de pristina virtute concederent, non se hostium virtute, sed loci iniquitate, et fortunae iniuria victos ferentes. Odium vero utrimque vires magis alebat, quam ulla belli causa; quae quamquam non una quidem erat, haud magnopere tamen vulgo milites movebat, ut etiam alia omnis occasio armorum abesset, sua sponte, atque in summo otio adeo, belli materiam ab insito animis odio in gentem invisam quaesituros. Ergo cum Vngari sublatis animis, iam auderent eruptione in hostem pugnare; Germani arctius in dies urbem obsidentes in unam curam haberent erectos animos sarciendae infamiae, quae ex male gesta re nomini germano haeserat: Rogendorphius suspicatus sive sua sponte facta conjectura ex hostium audacia, sive ab exploratoribus certior factus, quod propius vero est, Turcarum

auxilia adventare, ne longiorem trahentibus moram difficilior urbis expugnatio in dies redderetur : cuniculis, quorum peritos multos, tum ex Rhetis, tum ex Hungariae et Bohemiae fodinis in exercitu habebat, tentare aditum in urbem constituit. Quod ejus consilium cum minime obsessos fugeret, cuniculis aliis transversis ab hostibus in urbem actos clam excipiebant, iis ipsis quos egerant, idoneis locis apertis, ut concepta altius flammae vis liberum meatum nacta, nullo cuiusquam incommodo in apertum erumperet. Alia pestis gravior obsessis imminebat, fames ex caritate annonae, et commeatus inopia, quam per se gravem, quo iniquiore animo ferrent, causa faciebat, pro qua pugnabant, cuiusque gratia, nullo suo merito se plecti querebantur : quam quidem non ad officii, ut par erat, sed ad rationem temporum, iniqua aestimatione rerum referebant, multitudine nihil non iustum, cuius praemium extet, nihil aequm, quod sibi intelligat levi incommodo redimendum, statuente. Itaque iam Reginae palam, regi puero infesti, quorum innoxia nomina ad effugiendam invidiam tutores obtendebant, seditiosis vocibus praesentem pestem execrati deplorabant. Non Turcas premere obsessos, Christiani nominis aeternos hostes, non accitos Scythas ex ultima barbarie, non feras alias atque immanes gentes, sed Ferdinandum christianum regem, cuius esset summa religio, mite et placidum ingenium, clementia, quam homines laudibus in coelo collocarent, et quidem hoc unum poscentem, ut aequissimis conditionibus accepti Budenses in fidem, quem deberent legitimum regem agnoscerent : adversus quem pro pueri regno, utinam non pro hostis Turcae teterrima tyrannide pugnarent, quod tutores, quin

agerent non possent recusare, Solimani mancipia, turpem causam malorum, quae perferrent, non oppressam libertatem, aut oppugnatam salutem civium armis, sed Georgii regnum hominis importunissimi tuentes, prius Christi hostis, a cuius sacris per fractam fidem et violatam religionem transfugerit, quam pupilli regis tutoris : ut non mirum sit, eum Solimanum Turcam Ferdinando christiano, legitimo regi et nobilissimo tyrannum praeferre, satis gnarum, praeter Turcam, cui Christi nomen ludibrio sit, futurum neminem, qui illum patiatur in regno Vngariae dominari. Nam si pueri causam agi contendant, cur non more maiorum coacto populorum concilio, de praesenti rerum statu referant, aemulati maiorum sapientiam, qui Alberti filio Ladislao, nato posthumo, quod censerent vix fieri posse, ut sine reipublicae magno incommodo per longum annorum spatium regnum tamquam mancum corpus, nullo certo capite, qua libido et temeritas ferret, administraretur, externum regem, qui idem Polonis, idem Vngaris imperaret, e vicina Sarmatia accitum praetulerint? Nulla in re Ladislao inferiorem Ferdinandum, superiorem multis, in petitione regni puero pupillo competitore praeteriri, praeter antiqua foedera, quibus inniteretur, et novum cum Ioanne ictum affinitatis iure cum Vngarorum regia coniunctum : cuius flagitii Vngari rei, meritas nunc luant poenas. Haud dum satis ingentem molem malorum pro Ioannis regno perpessis, additamentum malorum quaeri famem, pestem, regiae urbis exscidium : scilicet ut quod nomen invisum semper Vngaris, taetrum, funestum inauspicatum fuisset, Turcarum immane imperium et tutorum tyrannidem non ferendam experiantur. Haec Budenses aliaque multa in eandem sen-

tentiam, quae quiritantes, et dei immortalis atque hominum fidem implorantes, frequenti hominum conventu, ac ducibus adeo praesentibus instabant, qui comprimendae seditioni iam impares frustra ire obviam tumultuantium seditiosis vocibus conabantur; cum quidem ita populorum animos alienare a vidua regina studerent, ut media inter suorum discidia et Ferdinandi arma quo confugeret multis circumventa malis, nihil reliqui haberet. Ergo cum res haud obscure spectare ad defectionem appareret: veritus Georgius, ne cum regia urbe, et filio pupillo regina redigeretur in Ferdinandi potestatem, unus ceteris haerentibus metu multitudinis furentis, ubique occurrere multitudinis seditiosis vocibus audebat: Ne paterentur Vngari, memores maiorum in suos reges fidei, constantiae, pietatis, prodi Germanis hostibus innocentem Regem, vel potius in eo uno Vngarorum regum sanguinem; quorum virtutem non posse posteris subsidio (esse), quae saepe suis atque exteris saluti fuisset, indignissimum esset. Postremum Ioannis haeredem filium, qui Vngarus legitimo imperio apud Vngaros regnaret, fore; quod tantum dedecus nulla umquam esset posterorum memoria obliteratura, ni a furore atque amentia receptis animis, virtute et constantia, tam foedae seditionis auctoribus obviam irent, indignis illis vero hominibus gloria maiorum, quibus magnus semper hominum consensus eximiam fortitudinis laudem tolerandis omnibus vitae incommodis, morteque adeo pro salute patriae, pro decore atque honestate, tribuisset. Errare vehementer se crederent, de pueri unius regno magis, quam de Vngarorum libertate, de legibus, de institutis, de totius regni salute, dignitate, nomine, existimatione agi, quam turbulenti et seditiosi homines,

non maiorum virtutis et constantiae, non patriae, non sui memores, ob leve incommodum, quo brevi perfuncturi essent, id quod se perfecturum suae vitae atque existimationis periculo polliceretur, aeterna essent cum infamiae labe proditurі. Felix esse malum, beata vulnera, ultro expetendam mortem, quam aeternum decus, solida laus, immortalis vita esset consecutura. Neque vero sibi respondendum esse ad ea, quae multitudinis concitatores, cupidi rerum novarum homines, Ferdinandi Regis et Germanorum vilissima mancipia, non maiore sua cum invidia, quam gloria de se in vulgus sererent : ita enim habere subductas vitae rationes, ut nitenti recte factis adversus inimicorum maledicta, quid de se statuerent improbi homines, atque impuri emersi nuper ex populi faece, haud sibi esset magni faciendum. Neque vero obscurum, a quibus ea emanarent : Scire enim fretum se optima conscientia, haud secus de se Vngaros sentire, atque sua in illos perspecta voluntas et prolixus animus postularet : qui semper erecti ad gloriam, decoris, nominis, famae memores, immortalitatis pretium, honesta in acie vulnera, mortemque adeo ultro pro patriae salute, cuius causa se natos meminissent, appetendam sibi proposuissent. Iam pridem Vngaricae virtutis monumentis refertos gentium annales, quae omnibus futura exemplo ad veram laudem, qui maiorum virtutem et gloriam per eorum impressa ab iis vestigia sectarentur, in manibus hominum per longam annorum seriem essent futura. Ex urbana plebe haec fluere, peregrina barbarie contaminata, hominum genere, quibus vita pesti atque exitio esset, nisi omnibus voluptatibus diffluerent, quibus vitae praemium nullum aliud praestantius nossent; a quorum sententia ii longe abessent, qui vitae

certum finem homini propositum, ab eo, quem natura bestiis constituisset, distinctum, haberent. Hunc in modum refutare Georgius populi liberas voces, reconditiores animorum sensus aperire, ac suos continere in officio conabatur. Neque oratione modo sibi deliniendam multitudinem statuit, sed, quod tutissimum consilium esset, et tanto compescendo motui aptum, certam etiam rationem excogitavit, quod illi postea vertit in magnam laudem, quum occurreret urgenti malo, ita, nulla cuiusquam offensione laxata annona, ut frequenti foro venalium rerum populus uteretur, magna aequabilitate singillatim tum civibus, tum militibus cibariis distributis. Tanta vero una haec tum res visa, ut ad hunc usque diem, quominus dedita urbs veniret in Germanorum potestatem, uni Georgio acceptum referendum Vngari arbitrarentur. Quod quamquam ita esset, non effugit tamen unius hominis pertinaci odio invidiae telum : qui cum ulcisci multorum exitio animi dolorem statuisset; rem pene adduxit ad ultimum discrimen. Intercedebant Georgio non occultae simultates cum Bornemissa quodam, genere Vngaro, qui praetor iuri dicundo Budae aliquando praefuisset. Cum enim, ut fit, privatam pecuniam grandem Iudaeo (eloc)asset, atque is, male gesta re ac fide amissa, decoxisset : eum in ius vocavit, quasi dolo malo, et ne debitoribus creditum solueret, quod fraudis genus inter eius ordinis homines semper late patuit, consulto (mercaturae rationes) conturbasset. In eo iudicio Bornemissa, quod adversus gentis instituta quereretur plus aequo Georgium Iudaeo favisse, suspicatus iudicii exitum, de quo non dubitabat aequitate causae fretus, ab adversario grandi pecunia redemptum, ingenti odio in Georgium concepto, de prodenda urbe Germanis consi-

lium iniit, nullo discrimine, aequum, iniquum esset, modo tantae rei praemium, quod unum petebat per inimici exitium, exstaret, atque adeo etiamsi esset cum urbis ruina atque excidio coniunctum. Adiuvit tam praeceps et temerarium consilium versantem animo occasio eius explicandi opportuna. Erat eiusdem ordinis Franciscus Revalius Bornemissae amicus, qui in hostium castris ius inter milites dicebat, vir spectatae prudentiae, et fidei, ut fertur. Cum hoc communicata re, cum et consilium simul, et auctor consilii placeret, cuius erat cognita prudentia et fides; ita convenit, ut ad exiguam urbis partem, quae est Divae Mariae (populares Germanicam appellant) dux militem adduceret stata noctis hora : ut simulatque horae signum exauditum esset, Bornemissa, reclusa porta, militem intromitteret. Vnum modo postulabat, ut res per Vngaros exules ageretur, diffisus Germanorum ingeniis, quos quidem sua sponte Vngaris infensos, suspicabatur crudelitatis atque avaritiae exempla omnia edituros, hinc noctis licentia, hinc praedae aviditate, ulciscendi facultatem in peropulenta urbe subministrante. Id ubi abesset, se facile elevaturum grave alioqui proditionis crimen sperabat, ex depravato animi iudicio, de se idem alios iudicaturos arbitratus, cuius fructus unus Georgius de medio sublatus, civitate incolumi, petitus crederetur. De his consultus Regendorphius cum neque occasionem aspernandam, neque auctorem consilii, cuius cognitor obsesque adeo Revalius esset, existimaret, de ceteris nihil mutabat, in uno, ut per Vngarorum militem res gereretur, exclusis suis, aliquamdiu quidquid contra Revalius tenderet, non est passus sibi persuaderi: mox ne animi pertinacia, occasio agendae rei nequidquam praeclare cunctantibus

ostentata, e manibus irrito conatu elaberetur, quasi ratione victus hominem multis verbis collaudatum, et de regis munificentia ac liberalitate sibi omnia spondere iussum dimisit, cum de ratione totius agendae rei, et ut singula quaeque administrari placeret, de communi sententia constituisset, accepto ab eo obside filio, praeter Revalium negotii transactorem, ne hosti temere fidem habuisse diceretur. Hinc ex omni peditum numero circiter octingentis delectis omnibus Germanis, eorum praefectis imperat, per noctis silentium ad portam, cum ea militum manu, accedant, mox a Bornemissa intromissi, ad maiorem urbis portam contendant. quo ipse esset cum reliquis copiis accersurus, ut refracta porta, atque equitatu gravis armaturae immisso, qui editiora urbis loca insiderent, ipse cum omnibus cópiis de improviso irrumperet. Iam patefacta exigua porta, Germani milites, ut erat praeceptum, suspenso gradu, vix ut a proximis possent exaudiri, ingredi inceperunt, cum Bornemissa Revalium frustra appellando, mox de eo interrogando singulos, sero animadvertit nemine patria lingua respondente, se frustratum sua spe, ac Germanum militem, duce prava indulgentia captae urbis gloriam suis vindicante, introductum. Ita in gravissima re, et quae recte administrata secundum belli exitum spondebat (adeo exiguis momentis res maxime saepe aut adversae aut laetae succedunt), unius praepostera ambitione est graviter offensum : nam et quibus Bornemissa dux praeibat, minime idonei ad accipienda imperia, linguae imperiti, habebantur; neque alius erat quem ducem illi sequerentur, cum Bornemissae, hinc perturbato animo, ex sceleris conscientia, hinc trepido, ex desperatione eventus, et de sua magis salute, quam de alio-

rum sollicito, quae ratio explicandi male initi consilii superesset, venire facile in mentem haud posset. Igitur destituti consilio Germani, cum quidem dux nemo adesset cuius iussis parerent ipsi, nocturnis tenebris deprehensi, atque animis incerti neque tacere tuto possent, neque loqui trepidi metu ne exaudirentur, auderent, in id ipsum, quod verebantur, discrimen inciderunt. Iam enim inter se obmurmurantium fremitus, quod accidere necesse erat, vigiles, qui in proxima statione erant, excitavit. Tum non vero indice detectae insidiae, iam nocte intempesta, quo tempore vel levissimum murmur, quod accidat auribus, exauditur, cum simul et strepitus armorum, si maxime etiam placide milites incederent, et sermo in aurem acceptus, qui ita manaret a singulis, ut quasi in unum corpus coalescens multos aegre falleret, ab attentis excipiebantur. Iam ignes e funiculis emicantes ferreas fistulas gestantium, quo genere maxime Germani pedites utuntur, etiamsi enixe caverent, inuitos prodebant. Ita cum propius ad stationem militum accedentes, vigilibus acceptum tessera signum non redderent, qui erant in urbis praesidio inter se cohortati dato signo vocant ad arma, acceptos intra moenia Germanos clamantes, et iam forum tenere, mox in regiam, ni impigre iis occurratur, irrupturos. Quibus vocibus experrecti milites, cum vix semisomnes stratis amoliri membra possent, arma sumunt, quae non magis captae urbi subsidio fuerunt, quam fata adversa Germanis, nullo duce, quem sequerentur, qua impetus animorum ferret, vagantibus : subito enim pavore consternati, neque quo se verterent norant, et uti occasione parum audebant, quam, si fortibus animis oblatam complecterentur, erat futurum ut essent hostibus

timendi. Itaque cum fluctuarent animis, neque angustiis temporis exclusis ulla ratio expediendi consilii reliqua ostenderetur: retro, qua venerant, redire, nullo servato ordine instituunt, cum quisque prior, unius fugae memor, praevertere, atque occupare portam conaretur. Ac quoad nemo cedentibus instabat, eotum poterat receptus videri; mox Vngaris, duce Petruitio, territos adorientibus, qui e variis locis urbis ad tumultum confluxerant, fugam capessunt, frustra se parva porta offundere conantes, quae ut quam erat angustior videretur vix per se uni aut alteri patens, praelongae hastae efficiebant, quae a properantibus, ne impedimento essent, proiectae temere obliquae transversaeque, sequentes, quod accidere erat necesse, exitu intercludebant. Ex his, qui principes portam ingressi captae urbis decus avidius petiissent, cum in receptu novissimum locum tenerent, frementes, sibi praeclarum inceptum iniquo fato ereptum e manibus, postremi audaciae poenas luerunt. Multis caesis, qui ferocius subsistentes impetum insequentium a tergo excepissent; nonnullis captis, duce ita iubente iis parci, ut essent, de quibus rei gestae ordo quaereretur; pauci incolumes, variis casibus defuncti, ex hostium manibus evaserunt, in quibus ductor prodendae urbis Bornemissa, sero, et cum nullus usus esset, nimiam suam facilitatem execratus, qui quidquam praeclari sibi de Germanis, quorum optime ingenia cognita haberet, spopondisset. Cum variae belli artes sint, quibus res administrantur, varia gentium ingenia munus militae explent: singula omnibus aeque esse apta haud possunt, sive naturae quadam tacita vi, sive usu et exercitatione id accidat. Oppugnandis urbibus, et defendendis ad ultimam usque rerum humanarum patien-

tiam, aestus, frigoris, famis, inopiae rerum omnium, Hispani atque Itali maxime omnium apti. Prima peditatus laus omnium consensu Helvetiorum et Germanorum peditum, Gallorum ex Aquitania, quorum virtutis et roboris maximis bellis iam inde patrum nostrorum memoria, insignibus Italiae cladibus est periculum factum : equitatus gravis armaturae Gallorum, Epirotarum levis armaturae omnibus antefertur. Germani, ubi ex certa temporum ratione gerenda res sit, astu fallendus hostis, insidiis excipiendus, hostis proditione recipienda urbs, contenti domestica gloria, si quid in eo est laudis, cuius ipsi appetentes non sunt, tum Italis tum Hispanis concedunt. Tempore vero fit, ut idem decori sit, quod paullo ante dedecori fuit : in Fabio rem adversus Hannibalem gerenti receptum per fraudem Tarentum, laudi datum est, non minus quam Scipioni, qui in Africa ruptorem foederis Syphacem regem, per fallax commentum tractandae pacis elusum, incensis castris ne qua victo ad salutem effugium pateret, redegit vivum in potestatem. Neque Fabricio est probro data proditori non servata fides, adversus Pyrrhum rem gerenti, neque Camillo adversus Faliscos, cuius nexu homines non in admittendo scelere, sed in recte agendo vinciuntur. Huius quidem rei una certa ratio videtur, ut quibus artibus utatur hostis bello gerendo, iis, qui petitur armis, propulsando bello utatur. Cuius quidem rei Romani duces insignia dederunt documenta; aliter enim se gesserunt adversus eos hostes, quibuscum iis erat institutum de gloria atque imperio certamen, ut cum Sabinis priscis temporibus, Latinis, Samnitibus, Pyrrho, aliis; aliter cum bellum adversus eos gerebant, quibus unus erat propositus finis eorum interitus atque exitium

qui victi essent, ut adversos Gallos olim, Cimbros, Teutones, quibuscum sunt bella ad internecionem gesta. Quis vero ignorat, ita bella administrari, (secus vero de iure belli in philosophorum scolis atque in regum consilio disceptatur,) ut non solum aperta vi, sed consilio etiam gerantur, quo in genere fraudes, doli, insidiae ad fallendos et circumveniendos hostes, aliae excogitatae artes comprehenduntur? In Germano quidem duce, ut ad rem redeam, omnium sententia desideratae sunt prudentiae partes : unam enim rem et aggrediendam consilio, et virtute atque animi praesentia explicandam, cum praeclaram inde occasionem fortuna finiendi belli ostentaret, dum debitam Vngaris laudem invidet, quos sequi duces tam audacis incepti auctores oportebat, et in Vngarorum pariter, et in suorum exitium vertit. Neque vero credo, id unum modo Bornemissam secutum, quod Iovius tradit, cum faveret suis, rem per Vngaros agi maluisse; etenim speraret ita cum suis mitiũs actum iri : neque una illi haec causa, neque eadem potior erat habenda. Verisimilius primam illi curam fuisse agendae rei, quo illius consilia spectabant, quam mitius agendae, et cum suorum periculo minore : raro hominibus suscipidis de rebus gravioribus consiliis, privatorum aut commodum, aut damnum respicientibus. Cum multis vero nominibus erant Germanis expediendo incerto perficiendoque Vngari praeferendi, tum vero maxime, quod idonei magis, et linguae et locorum periti, ut cetera paria essent ad imperia obeunda, ut iam diximus, haberentur, nocte praesertim intempesta, quo tempore, quantumvis levis offensio esse rem gerentibus exitio solet. Secundum haec Georgius, quod in urbe esse multos culpae affines non dubitabat, de Borne-

missae familia, qui venerant in potestatem, quaerere deinceps constituit. Qui cum admotis tormentis, nullam moram quaerenti fecissent, et de iis simul, et de aliis, qui fuerunt ab illis nominati, ad ceteros deterrendos, si qui dubiae fidei essent, per omnia sevitiae exempla excruciatis, supplicium sumpsit. Bornemissae publicata bona, aegre, ut dictum est, elapso e manibus, si satis est praeclare voluisse, optime de republica merito, e Georgii dominatione regno, ut credi volebat, liberando. Nam ita illi in adornanda re, et sedulitatis et prudentiae debetur laus, ut si parem in exequenda constantiam aeque sibi sedulo praestandam dux Germanorum statueret, non esset dubitandum, quin egregiam ille laudem initi pariter atque explicati consilii esset relaturus. Tristis rei exitus, hinc bene unius virtute consultae, male hinc unius culpa administratae, satis potuit docere, ubi de re agatur, quae sit maioris momenti, praesertim gerendo bello, eiusdem consilio, a quo sit praeclare inventa, fasces summitente virtuti atque industriae maiestate imperii, esse ad praeclarum finem perducendam. Multa enim videt consilii auctor, qui diu illud molitus animo meditatusque concoxerit, quae verisimile est eum ignorare, a quo unum modo munus exigitur, ut in explicando consilio, etiamsi penes illum sit summa rei gerendae potestas, non se ducem sed ministrum praestet. Nam saepe auctoritas vitio humani ingenii rationem vincit, a qua ubi is discedit, quem ducem praesse decet gerenda re, cum eo ipso, qui male est conatus vim rationi facere, in praecipitem locum deturbatur. In Regendorphio ut maxime inessent omnia, quae in duce exercitus desiderari recte non possunt, praeter voluntatem et fidem, rei militaris scientia, cu-

ius opinio apud Ferdinandum principem illi auctoritatis locum conciliaverat : non ei tamen aeque, ac Bornemissae erat ratio administrandae rei explorata, qui quae essent usui, quae obessent perficiendo incepto, tum qua ratione comparari haec, vitari declinarique oporteret, per longum spatium temporis perspectum haberet. Vngarus, qui et notus suis esset, et nosset suos, audiendus erat, ubi de ratione invadendae urbis, per quos homines, Vngaros, Germanosne, tum de aliis procurandis administrandisque rebus, quae ad eius consilii summam pertinerent, ageretur. Apud milites quidem, ex rerum eventu de ducis consilio, quod iniquissimum est, pronunciare assuetos, vix credi potest, quantum auctoritatis amiserit; vere enim hoc dici potest, atque adeo, ut ne ii quidem negaturi sint, qui illius memoriae maxime consultum velint, non unam modo ex male gesta re tum esse acceptam cladem, sed quae etiam sunt hanc consecutae omnes, quae multae fuerunt, ab hac una fluxisse. Ita rem gestam alii auctores sunt, quos est Iovius secutus : alii coniurationis principem Petrum Palzanum habent, civitatis magistrum, quem iudicem Vngari appellant; fiduciam vero illi crevisse cum ex persona quam gerebat, tum ex opportunitate gerendae rei, obtinenti eius portulae clavem, quae e Germanae virginis sacra area, in qua mortuorum cadavera condebantur, extra urbem ferebat. Ab eo ascitus is ipse dicitur Thomas Bornemissa, ditissimus vir, qui magna negotia in Budensi conventu aeque habebat, ut esset unde spiritus sumeret ad rem tantam suscipiendam, tum Franciscus Bazius e scribarum ordine, magni consilii et prudentiae vir, et alter Thomas, Germanus genere, qui in eodem conventu locuples et cumprimis eius ordinis

honestus, atque industrius habebatur. Cetera acta fere eodem ordine, quo Iovius tradit, cum Germanus dux suos, malo consilio Vngaris exclusis, ad urbem multa iam nocte, ut convenerat, misisset, atque hi iam propius urbis theatrum pervenissent, exaudito a Budensibus ingredientium strepitu, cum alios Vngaros sustulisse clamorem, tum a proximo templo editum ter sacro aere signum dedisse, quo de more per noctem incendii restinguendi causa a vigilibus excitari cives solerent : qui ne ulterius in suscepto munere pergeret, continuo dicitur interfectus. E coniuratis unum, Franciscum Bacium retractum ex fuga teterrimo supplicio in quatuor partes vivum dissectum, temere initi consilii sive prodendae patriae hostibus, sive melioribus tradendae poenas aut sceleri debitas, aut officii, quas non deberet persoluisse. Ad ceteras Germanorum clades aliam addunt, Valentinum Terekium, qui extra urbem adversus Germanos rem gerebat, cum ab exploratoribus cognovisset mille equites delectos, pedites quingentos ad arcem Dambo iter habere, eo consilio, ut hostibus inopia laborantibus commeatum importarent, insidiis interceptos, aut cecidisse, aut in potestatem redactos adventanti Solimano e Thracia cum ingentibus copiis Reginae auxilio muneri misisse, per adeo tetrum facinus magnae ut sperabat initae gratiae acerbum fructum relaturum. Iam et variant in ratione locandorum castrorum : non enim Germanos ad montis radices, sed in editiore montis vertice posuisse castra, eaque fossa et aggere circumvallasse aiunt. Inde Mahemetem eo cum exercitu a Solimano praemissum sub montem inter meridiem et orientem solem consedisse. Hinc territos Germanos de ponte sternendo cogitasse, ut inde evadendi

facultas, si quid durius accideret, id quod erat verendum, loco excedentibus in tuta loca pateret: quo minus licuerit perficere semel atque iterum opus aggressis, ortam subito adversam tempestatem, cum ea ab opere prohiberentur, omnia consilia conatusque eorum elusisse. Nam ne de Terekio quidem plane Vngaris scriptoribus cum Iovio convenit: A principio cum illi graves cum Georgio intercederent simultates, ne in belli administratione, publicis rebus obessent, raro in voluntatum discidio dissidentium animis in eandem sententiam congruentibus, datum illi negotium, ut cum delectis equitibus et valida peditum manu foris agrum ab hostium populationibus tueretur. Cum Mahemetes a Solimano praeire iussus cum copiis advertaret, non a Regina legatum Terekium occurrisse, sed sua sponte ad conciliandum sibi apud Solimanum causae patronum, cum speraret per illius gratiam futurum, ut, deiecto Georgio, nec generis nobilitate secum, nec rerum gestarum gloria conferendo, regni administrationi, quoad puer Rex adolesceret, praeficeretur. Iam et ante gestam rem a Turca et pulsos Germanos, omnino Iovius ab iis diversa tradit, qui non accepta ab aliis, ut de iis dubitari possit, sed quae ipsi viderunt, litteris mandarunt, quorum non solum nos scripta legimus, sed verba audivimus, non semel cum iis congressi fidei spectatae hominibus, ut inprimis Vngaricarum rerum peritis. Nam quod Iovius a Mahemete factum ait, sive ad explorandos Vngarorum animos, sive ad declarandam in illos benevolentiam, ut sua sponte hinc Petruithum et Georgium, hinc Terekium ad agendum de compositione cum Germanis hortaretur, id, sub Turcarum adventu tentasse aiunt Vngaros duces, qui erant in Ferdinandi castris, neque ab eorum sententia eos, qui

(in) urbe erant, Vngaros abhorruisse. Nam et dictum inter utrosque colloquii diem, et convenisse eos stato tempore, nonnulla spe transigendae rei affirmant: id quod facile futurum fuisse contendunt, ni fata adversa hanc gloriam Vngaris, Christianis populis certam salutem et securitatem a teterrimo et saevissimo hoste invidissent. Summam hanc orationis fuisse, qua sint duces Ferdinandi usi: magnam opportunitatem oblatam avertendi imminentem Vngariae pestem, neque in praesentia modo, sed in posterum etiam tempus, ubi communi consilio signo dato, hinc Budenses, ex urbe, hinc Ferdinandi copiae ex castris egressi medios Turcas eodem tempore nec opinantes caederent, praeter suam opinionem circumventos. Hinc enim usu venturum, ut Solimanus amissa magna copiarum parte, in quibus victoriae spem summam positam haberet, aut ultro retro signa referre suis viribus diffisus, aut insigni cum clade, pari cum dedecore congredi impar gerendae rei cogeretur. Vt enim de Rege minus inter Vngaros convenerat: at de regno, de patria, de liberis, de coniugibus, de totius Christianae reipublicae salute eandem esse omnium sententiam, idem esse consilium debere. Disceptandum armis cum barbaro hoste, truci, immani, omnibus infesto, qui sint Christo per illius sacra sanctissima initiati, sed praecipue Vngaris, quorum florentibus viribus desperet, id quod animo inhiet, se occidentis imperio, cuius sit Vngaria fortissimum propugnaculum, potiturum; inter eos, qui eandem religionem, sacra eadem colerent, quos affinitatis vincula multa, atque amicitiae iungerent, per legitimam potestatem, moribus regni, atque aequo iure disceptandum. Quam esse Reginae spem, de regno, ubi illud accipiat ea lege a Solimano victore, ut accepti regni praemium, eius

ipsius libertas sit, cui sit datum regnum. Calamitosum haberi privato, cui id eveniat, ut per adversum fortunae casum serviat invitus: quanto regi maiori non solum calamitati, sed dedecori etiam, qui ut regnet, serviat volens, quod monstri atque ostenti simile sit, simul mancipium, simul rex futurus, et quidem eius tyranni, cuius beneficio quamdiu regnaturus sit, nunquam vere rex, semper certum se fore mancipium non ignoret. Maleficium quidem esse verius, atque insigne dedecus ita partum regnum, ut regia insignia gestanti sit serviendum. Nihil verius esse, quam quod sit (in) omnium ore, Turcam ex obscura origine profectam gentem, et cuius pudeat meminisse per aliorum discordias sensim caput attollentem ad summum orbis imperium sibi fecisse gradum: ut facilis coniectura sit, quod regnum ortum a cotemnendis initiis, auctum nostrorum discidiis, tanta sensim incrementa fecerit; regum concordia, ubi experrecti laetali somno vires convertant, quo patriae salus, et suorum libertas requirat, dissolutum atque eversum iri: quo maiore alacritate animorum Vngari, si viri sint, hoc est, si vere Vngari, priscum robur animorum, quod fatigari quidem adversis rebus, exolescere numquam potuit, virtute et constantia tueantur, controversiis omnibus sublatis, et cum iis ipsis, simultatibus omnibus, quae in contrarias partes studia scindant, sua arma in unum studium recuperandae patriae intendant, diu frustra suorum opem adversus communem hostem implorantis. Arma quidem, et vires, quae per tot saecula manserint adversus omnem barbariem invictae, Vngaros civilibus discordiis fractos, magnam Turcarum virium accessionem fecisse; sed ita hoc tamen, ut praesentem occasionem animo complexi, quasi divinitus obla-

tam ad Christianum orbem, tetra peste liberandum, intelligant brevi futurum, ut recuperata maiorum gloria fidem faciant, nondum exstinctam apud Vngaros veterem illam virtutem et fortitudinem, qua incensa fortia pectora, celebre patriae nomen apud nationes gentesque omnes reddiderint. Id si agant, haud dubitari posse, quin omnium iudicio sint magnum concordiae fructum, suorum libertatem, salutem, otium populorum, et securitatem relaturi. Haec aliaque eius generis multa a Ferdinandi ducibus dici recte, atque ordine videbantur : cum ratio gerendae rei quaereretur, et quibus conditionibus pacem iniri placeret : inde ortae verborum contentiones, et iurgia, quod magna dissensione animorum necesse fuit accidere, mox convicia et contumeliosa verba, quae colloquium diremerunt. Rem non Vngaris solum, ubi de ea conveniret, sed Germanis etiam, Italis, Gallis, atque Christiano orbi universo adeo salutarem futuram, ita actam vero similius est, quam quo modo alii tradunt. Quid vero minus probari potest, quam Turcam, et quidem Turcam armatum, adducto secum numeroso exercitu, id quod inter omnes constat, auctorem Vngaris, quos quiescentes ultro esset excitaturus ad arma, ad agendum de compositione fuisse. Nam, ne id crederetur serio agi, et latere animis per simulationem officii occultas insidias, insitum Turcae in nostros odium, in Germanos praesertim, minime iis obscurum effecisset : ut omittam, Regis infantis tutores, callidos homines, cum de Regis salute simul, et de sua existimatione ageretur, non temere fuisse commissuros, ut in re seria eos facile barbarus ludificaretur, cum satis perspectas (eius) artes fallaciasque haberent; quod cum minime fugeret barbarorum ducem, ne ipse quidem

videbatur facturus, ut arte fallendo alios ipse arte eluderetur. Interea Mahemetes non esse spatium dandum territis Germanis arbitratus, Budensibus imperat, ut militem ex urbe educant: constituisse ante Imperatoris adventum, quo, bello perfecto, pacatam undique provinciam ingrediatur, cum hoste totis viribus dimicare: quod magno cum omnium metu, Reginae inprimis, auditum est, verentium ne Vngarorum praesidio destitutam urbem, per hanc occasionem Turca, e socio subito factus hostis, occuparet armis, quod ut statuerent sibi cavendum, veterum exempla multa docerent. Tum sero coeptum est animadverti, id quod in tempore perceptum animis poterat usui esse, quanti voluptas ulciscendi, et cupiditas regnandi immoderata, in magnis animis plus aequo semper saeviens morbus, hominibus stet, quae certam pestem habeat coniunctam cum inimici ruina; tum illa coepta inter pacis atque otii amantes homines ultro citroque ferri. Infelicem enimvero exitum iracundiae, quae diffidentem suis viribus, ita cogat confugere ad potentiorem, ut per alium suum dolorem ultus, intelligat eius sibi arbitratu, cui tantum debeat, vivendum. An non insanientis consilium et furentis haberi, malle cum inimici exitio occidere, quam inimico conservando, nomine, fama, existimatione incolumi regnare? Certe qui, ut hoc agerent, potuerint a se impetrare, eos nunquam consilii poenituisse; quorum imitari constantiam et magnitudinem animi, non potuisse Vngaros, certa cum patriae salutae, et totius Christianae reipublicae, maiorum pietate et constantia indignum. Iam apparere quam ea vera essent, quae dicta proxime in colloquio fuissent, cum de concilianda concordia ageretur, miseram eorum conditionem, qui ita ambirent magna regna,

et principatus, ut non iis regnandum prius, quam serviendum esset. Vt enim maxime ex sententia bellum gereretur, cuius dubius tamen eventus, atque incertus esset: ademptum Ferdinando regnum, quod exsecrandum omen abominandumque Deus immortalis in hostium capita veteret, Ioannis haeredi a barbaro rege voluntaria servitute redimendum, qua conditione nulla esset durior atque acerbior mors. Id unum vero esse actum, prava contentione animi, ut sive barbarum nactus aequiorem, regnet puer Rex; coniectus in magnam invidiae flammam, suis, exteris pariter invisus, turpi atque acerbo servitutis iugo cervicibus subiectis, Solimani quasi verna domi e servo rege natus regnet, si hoc modo regnare sit, et non servitutem servire omni tetriorem ac diriorem peste; sive barbarus victor armis partum regnum, quod sit iustum victoriae praemium, suo imperio adiungat; nullius cum misericordia eundem spe regni deiectum, certiorem victoris praedam, quam Ferdinandum victum, eam passurum fortunam, quam ne privatus quidem. et infimo loco natus spe regni coniunctam, ubi utrumvis liceat, privatae vitae sit praeoptaturus. Eo scilicet ventum miseriarum, ut ii sint reges populis agnoscendi, quos Solimanus Turca, Christiani imperii arbiter imponat. Haec nequidquam regii duces querendo, ut barbarus dux imperaverat urbanum militem, et qui iis praecerant, nobiles homines Valentinum Terekium, Vrbanum Batthianum, aliosque rei militaris peritos homines ex praecipua nobilitate, cum Turca rem gerere adversus Germanos iubent. Ita urbe egressi ad IX. Kal. Sept. conversis ad septemtrionem castris loco idoneo considunt. Hinc Turca iussis militibus corpora curare, territos Germanos, id quod, cognito suo adventu, minime igno-

rabat futurum, ne spatio temporis interiecto, recipere subito oppressis a pavore animos et sese colligere liceret, nihil tale expectantes adoriri quarta noctis vigilia constituit. Quae cum advenisset, paucis milites cohortatus, ut quam victoriam occasio facilem, explicatamque efficeret, darent operam, sua virtute, ut celerius opinione partam gratiorem imperatori redderent, tessera signum dat, ne facile exaudiri ab hoste possit, atque ex castris silentio copiis eductis, spei et fiduciae plenus ad castra Germanorum contendit. Neque Germanis, quamquam subito hostium adventu oppressis, aut vires aut animus ad resistendum defuit. Nam et audacter atque impigre advenientium impetum exceperunt, et, quamdiu numerus par, aequam pugnam obsistentibus fecit, maiore aliquanto constantia, quam crediderant barbari, impetum in castra irrumpentium sustinuerunt. Mox victi numero, cum pedem inferentibus barbaris, non essent, qui integri fessis succederent, praecipiti fuga elapsi e castris, atque ab equitatu Terekii circumventi, ad unum omnes aut interfecti, aut capti in potestatem hostium venerunt, ne qua spes salutis esset, omni aditu fugientibus praecluso. Numerus interfectorum non traditur; plures quidem caesi, qui honestam mortem tetrae servituti praetulerunt; vivi non ita multi, victa animi constantia immani fato, cum saucios sanguis, viresque deficerent, barbaris se dedere. Rogendorfius cum desperato pugnae eventu, sibi fuga consuluisset, paucis qui fugae comites essent, sequentibus, scaphis, lintribus, qui temere erant ripae alligati, flumine traiecto incolumis evasit. Mahemetes, et sua et omnium spe celerius de hostibus insigni victoria potitus, interfectorum cadavera, quorum acervis passim strati campi tetram et

miserabilem rerum faciem spectantibus aperiebant, deiici in subiectum amnem iubet, eo consilio, ut rapta secundo flumine Solimano advenienti monumenta partae victoriae occurrerent, de totius belli summa ex tam tetro atque infando spectaculo indicium futura. Haec alii paucis de tota hac expeditione : quibus si fides habenda, mirum videri possit tam longam rerum narrationem Iovium pertexuisse : de quibus tamen ipsis scribenti minime negligendis, cum multa in his scitu digna habentur, nostro more mox agemus. Ita ille vero rem persequitur exorsus, ab exposita Solimano Laskii legatione, ut variet in multis plane, in nonnullis adversetur, et cui sit tanta sua fides in scribendo, quanti esse debet, quo se vertat plane ignoret. Ergo Solimanus, ut ipse affirmat, Laskii oratione incensus contra atque ipse speraverat, cum quidquid ageret Carolus Caesar spectare ad sui unius exitium non dubitaret : acerrima cura, omnibus, quae belli ratio postulabat comparatis, ac Budam Mahemete praemisso, ire ad bellum properabat, cum quereretur fallaci, atque adumbrata legatione se a Ferdinando illusum ea spe, ut averso animo a pacis consiliis, eodem tempore quo viduae Reginae et pupillo arma inferret, serio de pace agere simularet, ut interea cum suis coniunctis Caroli fratris viribus, cuius caussa Ratisbonensem conventum indictum non mala adductus coniectura suspicabatur, incautum, ac nihil minus quam bellum expectantem de improviso adoriretur ; non enim credebat tantum sibi fiduciae Ferdinandum tantosque spiritus sumpturum suis viribus fretum, ut arma inferre Vngaris, qui suae ditionis essent, ac bellum suscipere adversus Turcam adducentem secum ad bellum immensas copias auderet. Tempori illum suo in-

sidiatum callide, dum intentum gerendo asiatico bello, minus soluto animo posse vacare Vngaricis rebus speraret, initium belli fecisse; sed cumulatae sibi vires et ad Persam coercendum intra regni fines, et ad pellendum Germanum hostem ex Vngaria Austriaque adeo affuturas. Neque vero minus quam iactavit una verborum ostentatione elatus, acrem se impigrumque his repraesentandis ostendit. Nam, ne quid detrimenti acciperet Vngarico bello implicatus, eodem nomine Solimanum, unum e Regis praefectis multis rebus gestis clarum hominem, iam inde ab eo tempore, quo proximum bellum cum Venetis gessit, cum validis copiis, quibus Persam imperii finibus prohiberet, in Asiam misit, suae constantiae insignem fructum relaturus. Solimanus enim summa usus celeritate, cum adventus sui famam nunciosque praevenisset, trans Tigrim amnem positis castris, ulteriorem ripam munivit, eo consilio, ut conatum hostem copias traducere, transitu fluminis prohibeat, nisi ille prior moveret, quod non erat facile facturus, ipse quiesceret, de summa rerum haud temere in certamen descensurus. Quo consilio perfecit, ut Persa, eius fiduciae causam provenire ex conscientia virium suspicatus, se intra fines continuit, quod satis in praesentia Solimano fuit, toto animo gerendo bello cum Ferdinando et Carolo Caesare intento. Vna vero cupiditate gloriae flagrans, cuius erat animus impotens, tanto utrique hosti intulit arma, ea spe, ut per insignem illatam cladem audentibus manum conferre, acceptam non semel ad Viennam ignominiam deleret, cum infecta re discedere a captae urbis moenibus coactus, mox altera expeditione, non meliore belli eventu, parato Caesare cum eo acie dimicare, quamvis instructus immensis copiis, turpi fuga

se e discrimine proelii subduxisset. Ergo, ut credebat, satis a Persarum irruptione securus, in res Vngaricas converso animo, quarum gerendarum ex sententia spem in una celeritate positam habebat, e Thracia movit, iam Mahemete, qui cum parte copiarum antecesserat, iusso belli initium facere, et Reginam, cuius res angusto loco positae praesentem opem flagitabant, obsidione liberare. Interea ne quid minus in tempore provisum minueret susceptam spem bene gerendae rei, ducibus aliis negotium dedit, ut haberent paratum, atque expeditum militem in armis, ut si Mahemetes superiorem viribus nactus congredi cum hoste vereretur, Belgrado movens, ubi eum subsistere ad omnem casum placebat, illi accelerato itinere auxilium ferret. Eodem tempore sollicitus de retinendo Graeciae atque Africae imperio, vagante Caesaris classe impune et populante Africae oram: Hariadenum Aenobarbum classis praefectum, cuius ob magnitudinem rerum gestarum erat inprimis celebre nomen, multarum navium numero auctum, primo quoque tempore soluere, et rem gerere adversus Auriam iubet, quem Caesar classi praefecerat, rei maritimae peritum hominem, et militari gloria clarum, ante omnia dare operam, ut si ulterius pergeret, suae ditionis urbes provinciasque lacessere bello ac populatione prohiberet, cum una esset potior cura, et quae gravius animum angeret, Transilvaniae retinendae, quam provinciam Majlatus, mortuo Ioanne Rege, magna ex parte novis studentem rebus, conciliare Ferdinando studebat, fretus provincialium studiis, quorum Saxones, qui incolunt feracissimam Transilvaniae regionem, sua sponte infesti Vngaris habentur, neque lingua, neque institutis a ceteris Germanis abhorrentes, usque adeo, ut in

eorum civitatibus, quas superiorum regum indulgentia iam inde (a) maiorum memoria obtinent, non liceat Vngaro domicilium et sedem incolendi causa habere. Itaque et hoc tempore, etiamsi praesenti rerum statu contenti quiescant, pacis atque otii studio, cui maxime ad rem navi atque industrii serviunt, si iis optio detur, haud dubie vincente generi insita vi omnem officii memoriam, in regni contentione sint Vngaris Germanos praelaturi. Itaque Ioanni Regi, quamvis eo administrante provinciam, per multos annos clementi ac miti imperio habiti, pro Ferdinandi causa stantes, pertinacissime omnium restiterunt. Vt vero acrius Solimanus in eam expeditionem intenderet animum, efficiebat susceptum in Majlatum odium inexorabile ob Gritti mortem, quem cum delecta Janizerorum manu interfectum in sui contumeliam credebat. Ergo Mustapham Epiro evocatum, Nicopolitanae urbis praefectum, conscriptum militem ex finitimis populis ducere in Transilvaniam iubet; neque satis sibi visus adhuc prospexisse Daciae rebus, Petro Moldavo, Valachorum regulo certum peditum atque equitum numerum imperat, simul mandat, ut una cum Mustapha, copiis iunctis, communi consilio adversus Stephanum rem gerat, non prius inde signa relaturus, quam vivum captum ad se mittat, aut interfectum de medio tollat, id quod omnino futurum sperabat. Quibus rebus celeriter administratis, iussis suis novum delectum militum habere, ad veteres novas copias addit, atque Hadrianopolim contendit, in omnem eventum suis quos Budam praemiserat subsidio futurus, non obscuro timoris indicio, quanti suas, quanti nostras faceret vires, ut si se nostri agnoscerent, tum quam turpis cunctatio, et quam praepostera ambitio esset, quae

illos a destinata sibi gloria averteret, magno cum totius Christianae reipublicae exitio, non aegre essent intellecturi. Interea Mahemetes, adhibita celeritate Taurunum proficiscitur, atque inde milites e praesidio eductos, quibus Mahemetes eiusdem nominis praeerat, secum ex itinere adiungit: simul scribit Vlamani Persae, Bosnensis provinciae praefecto, ut omni sublata mora ad se venire, cum iis copiis, quibus maxime Vstrephus ad Pestum rem gesserat, acceleraret, in cuius demortui locum erat a Solimano suffectus. Iam Turcarum adventum, ut fit praecurrens fama, ad Germanos territos pridem sua sponte, tot belli cladibus ac detrimentis acceptis, afferens maiora vero pervenerat. Ingentia auxilia adduci, copias barbarorum innumerabiles, quorum vix essent nomina nota, equitum robur, veteranum militem, tum magnam tormentorum vim, ut nemo esset, quin, soluta obsidione, in tuta loca signa referenda, et consulendum saluti exercitus censeret. Occasione non minus, quam armis bella administrari, cuius quidem vel exigua momenta rem gerentibus, et saluti aeque, et exitio esse consuevissent. Id cum alias, tum in ea ipsa Vngaria superioribus annis esse animadversum, cum unius ducis praecipiti consilio, adolescens Rex obiectus Solimani viribus, secum, Vngariae regnum, exstincta fere Vngarorum nobilitate, in ultimum rerum discrimen adduxisset. Vt tum licuisset, receptu quaesito in tuta loca, dum Boemorum et exterarum gentium auxilia adventarent, quae propediem essent affutura, eludere praepotentem hostem, ita in praesentia spatio temporis interiecto, quod ab armis et robore militum non liceret, quibus multo superior hostis esset, subsidium videri a ratione et consilio petendum: cuius mora Vngaris salutaris,

non esset diu potens, superbus barbarus futurus. Nullum vero tutius consilium, ubi gravioribus de rebus esset agendum : quam quod quidem hosti incommodaret, salutare tutum idem suscipienti esset. Quem vero non videre, uno atque eodem tempore utrumque agi, ut, spatio interposito, Ferdinando Regi facultas daretur cogendi novas copias, et per otium, ad exercitum mittendi, et Solimano, quas adduxerit mora atterendi ac debilitandi. Quanto enim plures haberet in armis, tanto plures futuros, quos, producto bello, conficeret, et perderet tempus, inopia commeatuum, fame, peste, ceteris belli incommodis, quae agentem inter infesta omnia, et alentem exercitum innumerabilem essent consecutura. Manentibus in obsidione omnia fore infesta, salutis dubiam spem, certum exitii metum : ut mediis Germanis inter obsessos Vngaros, et obsidentes se Turcas, non esset recusandum, qui insigni clade accepta atque aeterna ignominiae clade, discederent, invisi suis, ludibrio hostibus, et despicatui futuri; cum ne illud quidem solatium eos maneret, quod unum miseris reliquum esset, ut eorum quemquam misereret, qui volentes, atque ultro abiectis melioribus consiliis, se perditum issent. Haec uno atque eodem consensu praefecti militum, magnae prudentiae et consilii homines, cum de manentium pertinacia in consilio ageretur, commemorabant, uno maxime contra tendente duce, quem vana opinione gloriae inflatum, in sui et totius regni ruinam fata adversa rapiebant. Instar vero eximiae victoriae recte tempore uti, et, ut se se dat, sive eius secunda aura aspirare, sive reflare adversa conspiciatur, aeque et faventi, et adversanti velificari. Ita vero dux prudens, et a ceteris invictus tempori cedet, ut cum exitus rerum sit in

fortunae potestate, ipse in nullius potestate sit, nullo adverso casu frangatur, apud prudentes homines insignem gravitatis et constantiae laudem inani contemnenda gloria relaturus. Pugnare enim cum fortuna reluctante non fortis est, sed inanem titulum fortitudinis per sui atque aliorum exitium ambientis. Neque vero is tanto dignus nomine, qui malit perdi, cum vincere haud possit, sed sapiens ille, qui cum ipse spem victoriae habeat deploratam, per conservatos suos detrahat hosti materiam vincendi. Igitur, quod erat necesse, rationem auctoritate vincente, a qua una multi frustra adversus unius sententiam stabant, castra dux loco moveri, et ad Gerardi montem, qua se attollere ab infimo solo incepit, locari iubet. Intercedebat vero a fluminis ripa ad montis radices aequa planities, ut castrorum alterum latus flumine, alterum monte tegeretur: cum quo leniter assurgente castra pari ab imo acclivitate edita, natura ipsa loci, a decumana porta vallo fossaque addita muniebantur, ne facilis aditus irrumpentibus ab aquaria porta, turrique, quam e regione positam amnis alluebat, pateret. Iam a summo fastigio montis, qua sita arx erat, pari inter se distantes intervallo duo utrimque ducti muri, difficili clivo, et per abruptas atque exesas rupes, ad fluminis ripam pertingebant: ubi quantum inter se duo muri in summo iugo distabant, tantum in latitudinem patebant. Occupabant, quidquid loci inter utrumque murum intercedebat, regia stabula: credo quod esset illinc opportunus in campos egressus regiis ministris ad equorum exercitationem, et commoda aquatio equis potum praebentibus, propter fluminis propinguitatem. Iam ab ea parte castrorum, quae montem attingebat, ne hostis, occupatis editioribus locis, in castra de loco

superiore immineret, monte molli ascensu fastigiato minora castra poni, in quibus Vngarorum copias collocaverat, ac vallo et fossa muniri iussit. Reliqua erat insula occupanda, quae fluminis ripae et castris ponte iuncta, magnam habebat opportunitatem ad hostes prohibendos, si ea facere extensionem conarentur. In ea ita aggerem exstruxit, ut ex eo directis in subeuntes tormentis, eos a ripa appulsu arceret, ex obliquo aliis adversus planitiem dispositis, quam in partem agger leni ductu flectebat, quo libere minus hostibus ex oppido erumpere, atque in castra impetum facere liceret. Erat praeterea consilium ab insula perpetua serie transversis navigiis, ac validis revinctis catenis, pontem in adversam ripam ad Pesti usque muros, desuper stratis asseribus (ducere): ut iis castra adiungerentur. Ita fore, ut et facile hostium impetum eluderet, et quo minus iidem opem ferrent obsessis, atque in urbem commeatus importarent, perficeret, praecepta iis undique facultate ultro citroque commeandi. Ab iis vero, qui Pesti in praesidio erant, ut bellum etiam in hiemem duceretur, abunde suppeditatum iri, et commeatus, et cetera sperabat ad belli usum necessaria, quibus cumulate esse oppidum instructum, non ignorabat. Sed ea consilia, quae nactis aequum ad agendum spatium, erant magno adiumento ad rem bene gerendam futura, ducis spe celerior hostis adventus oppressit. Regii enim, iam praemissis a Turca, qui Reginam de suorum adventu facerent certiorem, de consilii sententia Valentinum Terekium deligunt, qui duorum millium peditum praesidio obviam progressus adventantibus munera Reginae nomine offerat, unicam illecebram ad gentis avarissimae animos deliniendos; quibus tamen indigentibus eorum auxilio minus cetera consilia pro-

cesserunt. Ergo Terekius, quae hostium consilia de bello essent, partim coniectura, partim Vngarorum indicio assecutus, quorum nonnullos, etiamsi cum Germanis militarent, aut natura, aut occultae aliae causae favere suis cogebant; tum qui essent in obsessa urbe bellici apparatus, quot equitum, peditum millia, quam omnia arcta obsessis, inedia, fame inopia rerum omnium laborantibus, mox quo loco castra ponenda essent regionis peritus, ut, hoste e propinquo imminente non commeatus, non auxilia deficerent, ordine explicat. Quibus Mahemetes cognitis, accelerandum arbitratus, ne, longiore mora inserta, hosti perficere, quae animo destinaverat, liceret, vix spatio septingentorum passuum ab hostium castris loco idoneo consedit. Ita autem copias distributas habebat, ut ipse cum suis infimo loco planitiem obtineret; Mahemetes Belgradi praefectus regionis naturam secutus, et hostium consilium, poneret castra, qua colles sensim a planitie recedentes se ad Gerardi fanum insinuant, quod in summo montis vertice esse positum diximus : id optimo consilio, ut contra hostium minora castra, quae Vngaris attributa, totius exercitus robur continere credebantur, delectum militem, et qui multa iam stipendia fecerat, oppositum haberet, utraque castra fossa et vallo circumdare asapis iussis, quo hominum genere uti aeque et in gerenda re, et in opere faciundo Turcae consueverunt. Secundum haec, quae prima cura erat, a Bassa missi ad Reginam in urbem legati, qui munera afferrent: pecoris et frumenti magnam vim, et pabuli ad equos alendos, quae ut obsessis essent gratissima, tametsi actam praedam, ex vicinis agris non ignorabant, temporis ratio faciebat. Brevis legatorum oratio, et tumens tota grandibus atque ampullatis ver-

bis, quorum inanem strepitum, in vanam ostentationem tendentium, Turcarum superba ingenia edunt. Quod pro tuendo regni iure, quod a Solimano partum armis atque acceptum in fidem, Germani oppugnarent nihil de pristina virtute remisissent, fecisse vero Vngaros, quod viros fortes deceret, et iustitiae amantes, quibus sancta essent fidei atque officii iura, quorum res praeclare gestas nunquam non gloria par, laus, nomen, immortalitas esset consecutura. Prospexisse in tempore deum immortalem humanorum scelerum ultorem tum viduae Reginae, tum Regi pupillo, quorum alterius aetas, sexus alterius crudeles hostium animos non emolliret non passurum, ut quibus ius gentium, divinae leges, atque humanae, contemptioni essent, tam crudele atque exsecrandum facinus impune ferrent. Iam gladium in impios vibratum imminere, divinae leges atque humanae vindicem irae, imminere ultricia arma, quibus a sceleratis hominibus meritae exigerentur poenae. Vigere in terris divinum numen, fortissimum imperatorem, maximum, potentissimum, cuius ulgetra perstringerent sceleratorum oculos, fulmina quaterent altissimas turres, disiicerent arces, urbes everterent, et solo aequarent. Vnum Solimanum in terris, cui deus dedisset, ut maria classibus, terras (copiis) operiret, ad debellandos impiorum animos, innoxiis populis arma inferentium, siccaret flumina, aequaret montes, nutu terreret gentes, unum cui gerenti arma in improborum exitium, et perturbantium populorum otium nullae arces, propugnacula nulla, nullae obsistere vires possent. Conspici enim pridem in homine mortali maiestatem praesentis dei, qui non patiatur innocentes improborum audacia premi, uni inter homines largitus immensas vires, ut frustra intelligant

divini iuris violatores, insidiatores regnorum, pacis et foederum perturbatores, se aggredi impares vi, atque armis: cum maneat semper tuta innocentia unius praesidio, cuius invicta potentia salutaris fas et iustitiam colentibus; iis, quorum sint aversa studia a iustitia, religione, fide, pestem atque excidium importet. Iam debere Reginam aequo animo, et soluto omni cura, belli eventum, quem optet, exspectare: futurum enim qualem ea caussa requirat, quam dignam sua spe, atque auxilio sibi ultro susceperit defendendam Imperator Solimanus, idem dei fulmen, gladius ardens, flamma coruscans, regum omnium unus vere maximus, optimus, iustissimus, immortali dei consilio delectus, cuius armata dextera vindicandis hominum malefactis dei vindicis, atque ultoris iram referat in terris. Legatos Regina, ut par erat, collaudatos, cum iis maiorem in modum, et suam, et filii salutem per summam iniuriam ob inimico Rege oppugnatam, ac per eos ducibus commendasset, onustos muneribus, ex regia opulentia dimisit. Hinc duces, conversis animis ad belli consilia, qua terra, qua flumine gerenda res spem certiorem victoriae faceret, inter se constituunt. In primis loci situm, et fluminis naturam contemplati, qua parte Germani esse superiores videbantur, lemborum et lintrium magnam vim contrahunt, studio et sedulitate, non ii ipsi superiores se esse qui vere erant numero navium intelligerent, perfecturi: Adiuvabat barbarorum consilium amnis situs, ita sensim a ripa introrsus inflectentis, ut quasi in angulum excurrens efficeret sinum, navibus opportunam stationem, et tutam adversus telorum et tormentorum vim, quorum magnam facultatem hostes habebant. Germanus quidem dux fluviatiles naves ad centum numero comparaverat,

mirae velocitatis, quas Nasades Danubii accolae appellant; quarum quae maiores sunt octoginta amplius armatos milites continere dicuntur. His aliae accedebant commeatibus et tormentis subvehendis aptae, quae Vngaricarum navium numerum aequabant. Tutae vero non numero solum, sed nautarum etiam peritia, qui usu fluminis tortuosos sinus, flexusque omnes cognitos haberent, et subire adversum flumen audacius, et, ubi opus esset, celeri inprimis, facilique declinatione, crebros vitare vortices nossent, quibus amnis exaestuans saepe, ne quidquam nautis inhibentibus remis, ingenti fluctuum vi naves intortas cum ipsis vectoribus absorbet. His legendis locus idoneus delectus, qua amnis ripa introrsus recedens, sinum facit, ut classis, ubi etiam ab ea parte superior barbarus habebatur, tuta ab iniuria et maleficio ageret. Erat insula in proxima, quam Germanos occupasse antea diximus, Cepellia nomine, opportune contra castra Turcarum sita. Et a fronte, se molliter toto corpore extenuando cuneo amnis vim excipit, rapido cursu se invehentis, usque adeo, ut ingentem frangens undarum molem, in partes diversas scindat, ipsa culta aedificiis, et pagorum frequentia, abunde ea suppeditet, quae postulat belli usus, cum suapte natura ubere, et feroci solo, tum quadringenta millibus passuum in longitudinem patens. Qua potiri permagni interesse ad totius belli summam barbarus dux arbitratus, neglectum ab hoste occupari a suis, atque aggere exstructo, tormentis muniri contra parvam insulam iubet, quam Germani obtinebant. Fuit vero digna res admiratione, veterem ducem, et rei militaris peritum, cum non ignoraret, rem non terra solum, sed flumine gerendam de barbarorum classe certior fa-

ctus, aut non vidisse loci opportunitatem, aut occupare cognitam neglexisse, tum ob alias causas, tum ob unam hanc maxime tenendum praesidiis, ne hostis opportuna, quem haud erat veri simile oblatam neglecturum, ad gerendum bellum usui esset. Crebris inde proeliis, quotidie virium periculum factum, saepe extra ordinem in hostem pugnantibus barbaris, qui mos ad hunc usque diem tenet, pacis etiam tempore hostis cum Vngaris occurrere, et certare hoc genere laudis assuetis. Ac quamdiu inibatur inter Turcas et Vngaros certamen, ut praeclare maxime cum Turca ageretur, aequata utrinque pugna discedebatur. Par enim Vngarus Turcae, tum equi pernicitate, tum armorum genere, superior animi robore, et viribus saepius victor, potitus hostis exsuviis ad ducem ovantis in modum et triumphum agentis redibat. Iniquior Germano cum Turca pugna, armis obruto verius quam tecto, cum e cataphracto equo pugnare assuetus, et vasta corporis mole, quo genere maxime Germani gaudent, minus aptus atque expeditus gerenda re, in receptu et fuga iners, tum pondere armorum, tum equi mole minime ad pernicitatem apti habeantur. Itaque ubi concurrendum erat validiore quidem nisu hostem petebat Germanus eques, et suo, et equi robore in invehentem se adversarium illatus, ubi cominus gereretur res, quo pugnae genere, et ad feriendum hostem, et ad eius ictus et petitiones declinandas eludendasque robori celeritas quaedam, atquo agilitas praestat, inferior facile Germanus discedebat. Hic Iovius rem narrat, propter humanae sortis insigne exemplum, minime silentio praetereundam: Fuisse inter Germanos duces Raisciacum nomine, genere Suevum, perspectae virtutis hominem, et multis fortitudinis documentis inter

suos atque exteros cumprimis clarum. Huius filium magnae indolis adolescentem, cum conserto proelio inter consertos hostes pugnaret, atque adeo, ut propter fortitudinis decus converteret in se omnium oculos, patris inprimis, qui illum ignarus filium esse effusius ceteris laudabat, tandem cum neque hostibus cedere victus, neque ut militare dedecus admitteret turpiter fugiendo, induceret animum, obrutum hostium telis, eximiae fortitudinis laude parta, cecidisse. Hinc patrem ignarum, ut diximus, tantum ad se decus pertinere, magnificis verbis: Enimvero, exclamantem, grata memoria, ac funere magnificentissimo fortissimum militem quisquis esset efferendum, ubi ante conspectum allatum agnovisset, subito doloris sensu, alte in praecordia descendente, oppressum interiisse, vere dignum tanto filio patrem, ubi statuerat filii adeo beatam mortem magnae sibi felicitatis loco ducendam; cui, si fieri posset, vivo ultro fuerit optanda mors, ut esset, quo tanta voluptate beatus pater frueretur. Ad tam triste, atque acerbum spectaculum in lacrymas omnibus effusis, utrique funus militari pompa concelebratum, cum nihil sibi ad tantam virtutem honestandum militari conquestu, plausu, lacrymis, quisquam reliqui fecisset. Interea Ferdinandus Rex cum crebris litteris, et aliis super alios nunciis a suis certior fieret, quanto in discrimine ad Budam res versarentur, de belli eventu sollicitus, quod unum poterat cum aliis adhortationibus multis, tum spe propinqui auxilii territos Germanorum animos ad spem meliorem revocare non desistebat: brevi affore auxilio, equitum peditumque delectorum manum, veteranorum militum robur, qui Carolo Caesare fratre Imperatore, felicia stipendia in Italia, Graecia, Africa fecisset, quibus viribus freti

sua sponte ipsi pristinae virtutis et constantiae memores essent Turcarum ferocia verba, et superbas minas elusuri : Inprimis ducem monebat, quoad attenuatae vires variis proeliis novis copiis, atque auxiliis corroborarentur, militem in castris contineret, neu quemquam extra ordinem pugnare, et cum hoste concurrere pateretur, unde saepe orta pugnae occasio viribus inferioribus Germanis, quo esset militum iactura maior occasio eadem exitii fuisse. Quae omnia ita vulgo milites accipiebant, ut inter dubiam spem auxiliorum, quam ostentari ad tempus dubitabant, atque imminentium malorum metum, deiectis animis, deteriora in dies omnia exspectarent; cum in praesentia a Rege vetitus cum hoste congressus, atque iners imperata segnitia et animi languor, argumenta haud dubia de summa rerum desperantis animi crederentur. Neque vero in eam partem, quo spectabat, Regis edictum trahebat: non enim vetabat Rex virtutis periculum fieri, privatum decus per singulare certamen petentibus, sed ad tempus opportunius reservari, et cum esset totis viribus cum hoste congrediendum : quo quidem tempore non esset studentibus privatae gloriae facultas defutura, cum reipublicae domesticam laudem decusque coniungendi. „Quod tamen iis accidere minime fuit mirandum iam ex iis quae adversa evenerant, consternatis ; ut quantumvis minima accessio augere pavorem trepidantium, et rerum desperatione occupare animos facile potuerit. Nihil vero multitudine imbecillius, non illa iudicio, non ratione, non prudentium hominum consilio, sed levissimis quibusque rerum momentis, ubi metus imminentis mali invasit, de maximis rebus statuit.“ Docuit quidem eventus, etiam ubi necessarium edictum videretur propter eas

causas, quae sunt iam commemoratae, a duce satis gnaro, qui habitus animorum apud suos esset, fuisse dissimulandum : causam enim quaerentibus quare ita Rex edici iussisset, quin, id quod erat, postam in desperatione virium, hostium robore dux responderet, quidquid rem emollire verbis conaretur, non posset recusare. Iam quae erat Germanis trepidationis causa, eadem barbaris in fiduciae occasionem vertebat, minime dubitantibus, quin vetita pugnae facultas, metus confessionem exprimeret, hoc iam pridem recepto more gentibus omnibus, ut antequam de summa rerum armati exercitus decertarent, per levia proelia, quantum hostes virtute possint, experiantur.

Ita Germani, et ducis iudicio, et Regis adeo, qui diffidere suorum virtuti, male edicti vim interpretati suspicabantur, sed omnium maxime hostium deiecto animo, sibi viles, ex dispari habitu animorum, disparem pugnae eventum, ubi certari oporteret, sibi ominabantur impendentium malorum non mali vates. Accessit pavidis novus terror, ubi in paucos ultimo supplicio est animadversum, qui ducis auctoritate contempta, et Regis maiestate, quae in duce minuebatur, pugnare extra ordinem essent ausi. Ita enim intempestivam, ut ipsi rebantur, ducis severitatem interpretabantur, in viris fortibus multari virtutem, et esse exitio militare decus, ut esse inerti et segni ad gerendam rem militi expediret, cui virtus, et magnitudo animi perniciem loco praemii afferret. Ad cetera mala, ducis flagitium, et praefectorum, Iovius addit, ita insectari Germanos morbo quodam animi assuetus, ut iis obiiciat, quae vix credibilia sint, ubi de hominum larvis, atque umbris ferantur, cum fossas Germani ducerent, ad eam partem, quae esset contra hostem,

non secus, ac si hosti ultro eam operam navarent, effossam humum coniecisse : quo quasi aggere exstructo audacius in subiectos, cum alia tela, tum e parvis tormentis glandes de superiore loco emitterent, quibus numquam ictu frustrarentur. Sed haec Iovius : Germanos constans apud nationes omnis fortitudinis fama, et nostra et maiorum memoria ab unius scriptoris maledictis facile vindicat : neque cuiquam credere veniet in mentem, Ferdinandum Regem de Caroli fratris sententia praesertim, bello gravissimo gerendo praefecisse, qui tam stolidi ingenii haberetur, ut ignoraret dux, quod gregario militi, sine insigni nota flagitii, esse obscurum haud posset. Iam ut dux maxime sui dissimilis, non salutis, non existimationis, non nominis et gentis memor, plane omni sensu careret, non erant passuri Vngari, cum de summa rerum ageretur, quidquid iis male cum Germanis conveniret, cum certa earum partium clade, quas tuerentur, coniunctum tantum dedecus admitti. Dum ea in maioribus castris ad eum modum administrabantur, non cessabant interea Vngari erumpentes e minoribus castris, per occasionem cum hoste pugnare, qui insidiis opportuni, dum ultro citroque commearent, intercipiebantur. Nam ubi numero inferiores vehementius ab hoste urgerentur, celeri receptu propinqua Germanorum castra repetebant, non patientibus militum praefectis, suos Germani ducis edicto alligari : In hoc statu cum res esset, neque Germanus dux, qui pertinaci consilio militem in castris contineret, hosti faceret pugnandi potestatem : subito hoc unum molienti ostentata ratio est rei bene gerendae. Cum Turcae, qui superiora loca obtinebat, animadvertisset Germanos, qui in insula statione erant, aliquanto

laxius vigilias obire, quam rei militaris usus, et eius temporis ratio postulabat; iniecta suis spe, ubi eodem tempore, qui Cepelliam tenebant, e locis superioribus digressi, parvam insulam aggrederentur, fere, ut magna cum clade Germanos insulae possessione pellerent; nihil minus exspectantes, adoriri subito constituunt. Id vero assecuti, tum directis e parva insula maioribus tormentis, nudata a flumine eorum castra, facile se invasuros, atque ad satietatem caesuros Germanos, medios hinc a fluminis ripa, illinc a terra circumventos sperabant. Ita Mehemetes suos hortatus, ut occasioni bene gerendae rei ne deessent, atque ut intenti pugnae signum exspectarent, cum id unum modo eos ignorare nollet, nocte esse in expeditionem eundum, clam monitis praefectis, quid fieri, et qua ratione vellet, ostendit. Itaque prima luce ab utraque parte in insulam, ut convenerat, diversi, parvis navigiis appellunt, mox omnia sua spe secundiora nacti, cum silenti agmine, expeditique ad fallendos hostes irent, alto obrutos somno vigiles primum, tum ceteros, ut fatigati diei labore, temere strati solo iacebant, adoriuntur. Ita dum aegre experrecti e stratis fessa membra expediunt, oppressi nec opinato malo sexcenti circiter interficiuntur. Reliqui fuga effusa, atque ob idipsum, ut in tumultu et trepidatione solet minus explicata, sibi prospicere conantur. Adeunda enim castra angusto portu receptum ad salutem petentibus difficilem efficiebant, cum quidem primi eos qui sequebantur, morarentur; ii ipsi fugae celeritate morae periculum deprecantes, primos urgendo, quod necesse erat, de ponte deturbarent; multitudine ingressum prohibente, quae, ne se se expedire posset, pontis angustiis prohiberetur. Ita hinc barbarus hostis a

tergo novissimos caedebat, hinc perlatos fuga priores, cum tenere pontem haud possent, deiectos, vastus amnis gurgitibus haustos immergebat. Nam si quis horum altero incommodo defuncti evadere, et appellere ad ripam conarentur, Turcae a classe imminentes varie telis transfixos interficiebant. Inde barbari sublato clamore, et inter se cohortati, cum impigre munitiones essent adorti, deiicere propugnatores, atque excisso vallo, vi irrumpere in castra contendunt. Ita cum res esset in magnum adducta discrimen, dux praefectis Germanorum militum minime esse deserentes, variis adhortationibus suos confirmare, et ad pugnam capessendam praesentibus animis excitare, suae virtutis ac periculi memores, conentur: Contemneret barbarorum hostem nunquam fidentem suis viribus, aut vincere vera virtute assuetum, ob id adducentem secum immensas copias, ut essent quibus deletis, vires eorum conficerentur, quibus robore animorum non essent pares. Sed ne ea ipsa quidem multitudine, cuius fiducia subnixi tumerent veram virtutem, et magnitudinem animi in laudis contentione superari. Ex iis ortos Germanos maioribus, Vngaros, Boemos, quorum gloria, parta rebus maximis gerendis, esset per universum terrarum orbem pervagata; cuius retinendae studio, omnium praeter virtutem oblitos, vitae, salutis, fortunarum, mori in vestigio potius, quam militare dedecus admittere deceret. Pugnarent enimvero suae, non alienae virtuti fidentes; animi viribus, non militum numero; pro optima caussa adversus immanissimos hostes, qui a perenni virtute maiorum degenerantes, ad delendum Christi nomen, cuius essent sacris initiati, excindendum nobilissimum regnum, evertendam patriam, Turcarum

quiescentium arma, patriae proditores, et christianae reipublicae, per tot gentium, populorumque exitium excitassent. His admonitionibus incensis animis, certatim Vngari, Boemi, Germani accurrunt, ac frustra irrumpere in castra Turcas nitentes propellunt. Eodem tempore Germani, qui ad extremum insulae aggerem consederant, quo non appulerant Turcae, duce Herbstulpho castrorum praefecto, dum e barbaris alii tormenta ex insula amoliri, et devehere ad naves conantur, haerent alii detrahendis interfectorum spoliis, praedae magis, quam salutis memores nihil minus expectantes invadunt, magno cum eorum terrore, qui iam se pugna defunctos, et iam victoria parta neminem crederent, a quo quidquam esset timendum, superesse. Itaque tanta eorum est edita caedes, quantum iis interficiendis elato militi inexpiabili odio vires suffecere. Nam eodem tempore, et milites alii, spe praedae illecti, cum vecti navibus re animadversa in insulam appulissent, rem gerentibus affuerunt; ut circumventi Turcae, ancipiti malo, neque tutum effugium ad naves, neque ubi consisterent, satis virium ad se tuendos haberent. Ita Germani pari accepta, atque illata clade, non minore laude recuperatam insulam e barbarorum manibus, quam cum dedecore amiserant, retinuerunt Turcarum magno numero interfecto, pauci exuti praeda, atque in naves compulsi, cum celeri fuga se irato hosti subduxissent, incolumes, evaserunt. E Turcarum classe, quatuor ungaricae naves, quibus Turcae erant in insulam deportati, demersae tres venerunt in potestatem, foede militibus, qui his vehebantur, aut tormentis laceratis, aut amnis vorticibus, cum flumen tranare, et se undis committere essent ausi, misere haustis. Non defuerunt qui

Rogendorfio periti ducis partes, magni animi certe, desiderarint, haud dubie arbitrati, ubi copiarum parte in naves imposita, territis barbaris institisset, insignem de his victoriam reportaturum. Equidem satis visum crediderim in praesentia actum, et ad suorum confirmandos animos multis iam cladibus debilitatos, et ad hostium ferociam comprimendam : totis viribus periclitari, eundem non ausum, propter varios belli casus, quos subire, ubi plus incommodi ex adversa fortuna impendeat, quam ex secunda proventus ducem prudentem haud decet, praesertim cuius sint adeo infirmae vires, ut detrimento accepto, eius sarciendi, exigua spes, quo se cumque animo convertat, relinquatur. Nam Cepellia, tum a superiore parte, tum qua ab latere interiore erat in castra obversa, opportune tormentis instructa, difficilem rescensionem appellentibus classem faciebat. Quantumvis autem exiguum incommodum ei erat vitandum, qui multis iam aliis acceptis, attenuatas copias exinanitasque habebat. Fuit vero ille dies Germanis gravissimus, cum quidem deiectis moerore animis tot iam aliis super alia incommodis acceptis ne demigrare quidem ac decedere de loco, viribus animum deficientibus, auderent. Quae desperatio rerum, id quod saepe usu venire compertum est, certa ratione in animi fiduciam vertit. Nam salutis exiguam spem, vitae contemptio et ardor animi sequitur ; avidi per hostium caedem, vitam eius spem habent deploratam, exitu praeclaro honestandi. Indigni vero, qui vita fruantur, qui plus aequo vitae tenaces, ne mori quidem, cum pretium perennis gloriae vita defunctos sequatur, honeste noverunt. Eo quidem erat ventum, ut spe omni propinqui auxilii destitutis, unum reliqueretur ab animi praesentia subsidium, ita

animo affectis, ut in vestigio mori, quam loco quem tenebant cedere victi, mallent : cum hostibus quotidie in supplementum novi scripti milites Belgrado summitterentur, quos subsecuturus ingentibus instructus copiis Solimanus ferebatur, cuius adventus minime dubia fama per se territos desperare de salute cogebat. His rerum angustiis cum Germani laborarent, Valentinus cum ungarico equitatu, Turcarum peditum delectis, et Ianizerorum assumtis, qui tormentis ad manum utebantur, e minoribus castris, quae locis editioribus Vngaris attributa diximus, hostium equitatum, cui praeerat Perinnius, subito adortus deiecit. Inde, superato montis iugo, magna cum hostium caede, maiora castra Germanorum, ad infimam montis radicem posita aggreditur, magna concepta spe se, iis interfectis, castra, nullis defendentibus ad praedam militi obiecturum. Sed Germanos rebus angustis pristinae virtutis memores, cum omnibus locis occurrentes Valentiniani eos crebro tormentorum iactu, a munitionibus arcerent, adiuvit ex adversa ripa, subita globorum procella, qui e Pestana urbe minoribus tormentis emissi, descendere, sine ingenti caedis discrimine hostes prohibebant. Ita Valentinus incepto frustratus, cum praeter suam spem Germanos virtute superare omnia belli incommoda, atque animi magnitudine animadverteret, receptui cecinit, atque suos in castra reduxit. Magno, ut ferunt, eius diei expeditio Valentino stetit; inde eius criminandi ansa ab inimicis arrepta, qui eius ruina se crescere apud Solimanum novi mala adducti coniectura sperarent. Dicitur enim suorum misericordia motus, qui in Ferdinandi castris militabant, curasse per certum e suis hominem, cuius illi erat cognita fides, Perinnio significandum, propediem

Solimanum minantem Vngaris atque universo christiano nomini excidium affuturum, ubi etiam esset cum totius Germaniae viribus congrediendum, et animo et viribus adeo confligere paratum. Bellum quidem sibi internecinum cum Germanis esse, ob minime obscuras causas, quas propterea commemorare non necesse haberet : civium, qui inviti arma ferre contra patriam cogerentur, se fortunae misereri, et rogare per veteris amicitiae iura, induceret animum sibi fidem habere, et quoad cum certo usu, et compendio liceret, suos reciperet in tuta loca, ne tum, cum nulli salutare consilium usui esset, ad ea, quae improbasset, desperata salute, id quod invitus iis ominaretur, suae humanitatis magis, quam odii memor recurrere cogeretur. Imminere Germanis triste fatum, et quidem quo minus, eorum misereri fas esset, id propter insitam eorum animis pertinaciam, qua quidem factum esset, et quod unum iratus Solimanus hostis expeteret votis omnibus, memorabili clade fractis animis, victimae immani barbaro caederentur. Scire se, hoc si maneret, exitio sibi apud barbarum futurum irae impotentem, quae ubi audet animum, facile ostendat, in promiscuo Vngaros habere, pari odio omnes sive suarum partium sive Germanorum sunt prosequentem : sed quidquid esset, quod in suos cives perfuncto necessario officio immineret, se vitae suae periculo, patriae debitum pietatis munus exsoluere statuisse. Haec, ut acceperat Perinnius, seducto Rogendorfio, cum ceteri duces adessent, cum fide exposuit : simul oravit, ut fortunae, quae tuta consilia a viris fortibus extorqueret, cum ultima desperatione rerum confligentibus, quando speciosis locus non esset, nulla fidei suae iactura morigerari induceret animum, ac quamdiu, integra re, liceret, rato

reductum exercitum incolumem in tuta loca, ad secundiora tempora reservaret, ut navis gubernatori parum secunda navigatione, duci prudenti esse fortunae dubiis rebus obsecundandum, et ut ille, ne in Syrtes scopulosque incurreret, vi tempestatis et procella ventorum actus, varie mutare velificationem consuevisset; sua eo consilia ad reflantis arbitrium accommodanda, et quando spem victoriae tolleret adversa, saluti prospiciendum. Proxime enim accedere ad victoris laudem, qui impar materiam vincendi subtraheret viribus superiori. Nam si obfirmato in aliam sententiam animo, pergeret adversus fati vim imminentis, omnibus obsistentibus pugnare, tum denunciare, se privatim sibi, et suis, satis pridem Ferdinando persoluta fide, ex ratione temporis, consilium capturum. Movit facile Perinnii oratio ceteros omnes, cum vera monenti ad unum assensi, parendum tempori censerent, ex cuius praescriptione, natura rebus humanis certum statueret modum. Deligi a magis regibus sapientes homines, quos rebus gerendis praeficerent, et quidem cum summa potestate imperii, ut cum singulis praescribi, quae infinita essent, haud posset; momenta rerum, quarum conversione res omnes in terris ferrentur, duces statuerent sibi ex sua prudentia moderanda. Quoties vero usu venisse, ut quae pridie acta crederentur salutaria futura, momento temporis conversa perniciosa haberentur? Fortitudinem laudari, et magnitudinem animi, quae virtus divina, et propria hominis, animos ad res magnas gerendas excitaret, superandas adversas, secundas moderate ferendas, contemnendas, quae multis essent primae id quod semper assequeretur, quamdiu rebus gerendis, quasi dux ratio praeesset : eadem in temeritatem verti, simulatque quis ea susciperet

agenda, a quibus cum maiora viribus essent, eum ratio averteret. Virtutes inter se complexas admirabili nexu : ut neque fortis is, qui abesset a sapientia haberetur, neque sapiens in quo fortitudo desideraretur. Consilium tum recte peti de gravioribus rebus, cum ea rerum natura esset, ut earum incertus exitus animum torqueret: praepostere de his consuli, quae cum praesentia adessent, inutilem consultationem facerent; ridiculam et praeposteram certe. Quem vero locum consultationi esse? Solimanum prae se agentem totius orientis vires, adventare ad Vngarici regni excidium; cum quo ita Germanis confligendum esset, ut intelligerent adversus hominum ingentem multitudinem pugnandum. Quod cum humanae vires haud ferrent, non fortem censendum, qui impar congredi cum robustiore auderet; sed sapientem, qui fortitudinis laudem non quaereret, ubi temeritas infelix, et male sumpta fortitudinis persona cum peste atque exitio coniungeret infamiae dedecus. Fortem aggredi, quae difficillima aliis, sibi facilia virtute redderet : abstinere ab his quae cum vinci non possent, adderent ad incommodum, qua re nihil turpius posset accidere, imprudentiae notam. Nam, qui vellet videri fortis, nullo cum eorum compendio, quorum caussa ei essent viri fortis partes praestandae, perinde facere, atque cum qui gemmam multo auro redimendam, ultro proiiceret in coenum, ut videretur quanti faciendum esset, quod possideret ignorare. Hoc initium Solimano fuisse, Vngariae regnum invadendi funestis Christianorum reipublicae auspiciis, cum iuvene rege obiectis ad caedem exigenti quinque millibus hominum, multitudini innumerabili : dandam operam, ne consentiens cum principio finis (facesseret vero a Ferdinandi mi-

lite tam triste omen) integram possessionem eidem regni daret. Haud procul Pestum abesse, munitum oppidum milite, tormentis, atque omni bellico apparatu, quo nullo negotio ante barbari adventum, traduci incolumis exercitus posset; de cuius laude nihil detraheretur, si, quod praesentes vires negarent ad sustinendam tantam belli molem imbecillae, a tempore sibi petendum, et prudentium consilio ducerent quibus quidem parere, si, ut aequum esset, sibi persuaderi paterentur, tum vero minime iis esset dubitandum, quin recte functi officio viderentur. Occasione, quamdiu sese daret utendum, ne elapsam e manibus frustra cum esset optanda, quaesitam sera poenitentia sequeretur, quod longe abesse a viris fortibus, qui nihil sibi statuerent agendum, cuius eos mox poenitere necesse esset. Adversus occasionem pugnare, et cum omnia rem gerentibus perniciem, ruinam atque interitum portenderent, nec magni ducis esse, nec hominis adeo, sed plane ab hominis natura recedentis, quod longe abesse ab iis deberet, quorum consilio et virtute multorum salus esset procuranda. Nihilo magis aliorum, quam Perinnii oratio ducem movit, quidquid contra tenderent, negantem se castra moturum, nisi acceptis a Rege litteris hanc esse illius sententiam, a qua certum sibi esset non discedere, certior fieret: quasi de illius sententia dubitandum, cuius sensus nisi ratio rerum et temporum moderaretur, non ille Rex verius, cuiusmodi Ferdinandus haberetur, et prudentissimus idem, et magni consilii, sed a regia arcendus atque amandandus, in siluas et deserta loca procul ab hominum coetu videretur. Enimvero negare Perinnius rem esse consultationis, aut morae, cum instaret in vestigiis armatus hostis, atque

is quidem hostis, qui (utinam esset falsus vates) brevi perficeret, ut superbus et contumax unius animus sero eo quaereret receptum, unde eum procul temere susceptum consilium abduxisset. Nihil se illi praescribere memorem ad quem summa gerendarum rerum spectet: meliore tamen consilio se, Ferdinando Regi, cuius si adesset, quae esset futura sententia de rebus praesentibus non ignoraret incolumem servaturum fortissimorum militum manu, quorum egregia opera uti meliore reipublicae tempore, et multo maiore cum usu liceret. Ergo cum res prope ad seditionem spectaret: provinciam suscepit adeundi Regis Nicolaus Comes Salmensis, magni animi vir, ut alibi diximus, ut cuius consilio propter summam de illius virtute et sapientia opinionem mirandum esset, in tam angustis suorum rebus ducem non usum, nulla re magis, quam consilio indigentem. Is pollicitus se quam celerrime cum certis mandatis a Rege rediturum, conscenso expedito lembo adverso flumine Viennam subit; cuius consilium in tam arduis rebus parum necessarium, quas non regum quaesitae sententiae, sed momenta temporum, ut bene cedant, moderantur, easque praevertit, certioribus allatis nunciis, haud procul Solimanum cum classe, cuius vires per se magnas cum fama, in immensum augerent, nunquam non assueta afferre maiora vero: vicit ducis pertinaciam militum consensus, cui iam obsisti non poterat, negantium se, ubi in incepto perstaret, ultro se, suos, regnum universum in certum exitium trahentem secuturos. Ita magna usi celeritate milites cum ducis auctoritate contempta, una cura salutis urgeret certatim, quae traiiciendis copiis necessaria essent, studio ac cura acerrima parant, destinata rei agendae inse-

quente nocte, opportune, quod maxime erat optandum, ad hostem fallendum, nubili coelo, tenebris offusis. Erat vero eorum consilium, cum Vngaris praemittere maiora tormenta, non solum ut praesto essent, ubi gravior posceret casus, sed ne hostibus essent subsidio, ubi cognita re, quo nihil erat facilius, occupatos transmittendo flumine adorirentur. His traductis, convenerat, ut Boemorum, Germanorumque equitatus, mox cum impedimentis Germani militis transmitterentur. Traiiciendi cura, nequid tumultus in transitu fluminis oriretur, duobus tradita, quorum alter Baltazar Pocamius genere Germanus, Vngarus alter Barcotius nomine impiger vir imprimis industriusque. Non licuit propter adversam tempestatem, quod expeditius consilium tutiusque videbatur, flumen ponte iungi, opus enim cum in navium seriem ventorum vi flantium solito vehementius intumesceret amnis, atque immanes evoluere fluctus, nulla spe ostendebatur, opus ad contabulationem perducendi, cum ita certatim in opus incumberet, ut vis tempestatis frustra contra obnitentium frangeret vires; qua re fiebat, ut eorum omnes caderent irriti conatus. Tametsi enim naves adversus impetum fluminis anchoris actis validissimis, inter se funibus a proris, atque a puppibus religatae consisterent: vincebat tamen hominum industriam fatale malum, usque adeo tempestate saeviente, ut perruptis vinculis, quibus arctissime illigabantur, diversas disiiceret. Quae dum ad hunc modum administrantur, qui in speculis erant Turcae, ducibus significabant in omnem occasionem gerendae rei intentis trepidari in hostium castris, ac praeter superiorum dierum consuetudinem, magnum navium numerum cogi: credi haud dubie omissis belli consiliis

moliri fugam, aut similem fugae profectionem. Ita autem ab iis trepide omnia agi, ut non esset desperandum, intercipi pavidos atque intercludi fuga posse. His duces sua sponte in spem finiendi belli erectos, nequid eorum spem falleret, Vngari transfugae duo confirmarunt, Georgio et Valentino antea de Germanorum profectione edoctis. Ergo iis Mahemetes collaudatis, e castris educi suos armatos, ac proferri tormenta, quibus Janizeri erant praesidio, ac simul se omnes sequi iubet. Iam magna exercitus parte lintribus traducta, in multam horam nox processerat, quae, ut diximus, nubila, densis undique tenebris obductis apta maxime ad occultandam abeuntium fugam verius, quam profectionem habebatur. Ita barbari repente sublato clamore, succedunt ad munitiones, nullis stationibus firmatas (unam enim curam fugiendi, aliis omnibus praeverterat) atque iis superatis, nudata castra propugnatoribus invadunt, tanta omnium trepidatione et pavore, ut ad resistendum neque consilio vires, neque viribus consilium suppeditaret; cum omnes unam modo territi spectarent certam ad salutem viam, si qua ostenderetur, nullam invenirent, quae non ad certum exitium ferret, undique a flumine, a tergo, a fronte, a barbaris circumventi. Cum vero ubique in castris, tum maxime ad ripae extremum marginem, quum conscendendum in naves erat, magna fiebat caedes, neque solum caedentium hostium armis, sed inter se etiam pugnantium, ita confluente multitudine, ut dum quisque princeps conscendere naves studeret, sibi ferro inter suos, multis inter se illatis atquè acceptis vulneribus, (viam) aperiret. Igitur cum error, tenebrae, nox in vestigiis haerens, hostis caedis avidus, omnium maxime tormentorum cre-

bro repetiti ictus ingentes globos emittentium, terrore omnia complerent : vix duci est facultas relicta sui servandi, ad cetera mala fugae impari, gravi vulnere in laevum humerum accepto. In eodem discrimine versati alii peditum praefecti, cum attonite improviso malo frustra, qua evaderent, circumspectarent, ne hosti quidem repugnantes, qui in perniciem resistentibus imminebat, in vestigio cadebant. Eodem tempore Terekius minora castra Vngarorum adortus, iis, qui praesidio erant, loco deiectis, militi tradidit diripienda, malam gratiam egregie barbaro navata opera adversus suos, nisi defensae Reginae causa crimen levaret, relaturus. Iam et oppidani ignari, quam pestem hosti germano intenderent, in se maxime, et patriam moliri, inclinatam rem adiuvant, ac subita eruptione ad castra descendentes. facibus, taedis atque igneis globis coniectis a suis hosti praedae retenta incendere conantur, non magno fugientium incommodo, qui tecti tenebris, minus obnoxii ictibus tormentorum petebant, ignorantibus, qui iis praeerat, quo victi intenderent fugam, qui iis petebantur. Accessit ad castrorum incendium repente via exorta effusior flamma. Georgius enim, haud satis sibi visus odium explevisse, quo inexorabiliter, ut alibi diximus, in Germanos ferebatur, infestiorem iis fugam facturus, ad stabula regia editiore loco posita, ut supra commemoravimus, subito accurrit, ac media area, quidquid erat straminis et pabuli, eodem coacervari, atque ignibus subiectis incendi iubet. Inde cum magnam conceptam flammam longe lateque ventus distulisset, ita circa omnia collucebant, ut hinc navibus stratum flumen, quae palatos huc illuc temere ferebant, hinc tranantium turba miserabilis, tamquam nitidissimo die hostium

oculis subiiceretur, e maioribus pariter et minoribus tormentis glandes, globos, ac ferreas pilas ingentis ponderis magna cum fugientium strage eiaculantium. Taetram faciem rerum, ubi etiam Turcarum sanguis amnes cruentaret, ut maiori cum invidia victores spectarent, cum auctor tam foedae rei faciebat, cuius sacrosancta persona habebatur Christi Pontificis, et quod non ignorabat, pro Turcarum victoria pugnantis, tum ii ipsi, quorum sanguine Danubius inundabat, quos ut tegeret fugientes, insigni sua cum gloria sua sponte ortum incendium, cuius esset adeo immanis futurus usus restinguere, memorem suae humanitatis ac muneris, quo fungebatur, oportebat. Eodem tempore commissum navale praelium haud laetiore Germanis eventu. Cassonus enim, classis Turcarum praefectus, levioribus navibus a latere invectus, territis victoribus tanta suorum cognita clade, et inpari fortuna par exitium aperientibus regiam classem disiicit, navibus aliis cum victoribus captis, aliis tormentis laceratis, ac suopte pondere cum militum numerus maior ad eas nantium exciperetur, quam, ut iis tuto vehendis essent, demersis. Iam maioribus castris direptis, quae plano loco posita erant, Germanis per pontem insulam petentibus, Janizeri infesti a tergo instabant, e quorum manibus se praecipites de ponte deiicientes, redimere conabantur, novum discrimen, quod propius urgebat fugientes, adituri. Aut enim gurgitibus verticosi amnis, cum nequidquam enatare contenderent, concussi absorbebantur, aut capite et humeris exstantes telis hostium venenatis patebant, quorum vis innumerabilis, tum e fluminis ripa, tum e superiore Cepelliae regione, e classe inprimis, in undique apertos mittebantur. Ita per varia mortis

genera unum sortiti eventum in omni memoria Christiano nomini funestum ac miserabilem terra, flumine, montis clivo, eadem peste acti susceptam tristibus auspiciis expeditionem, suorum miserabil strage, aeterna Christianorum infamia, ab iis deserti, destituti, insignem reddiderunt. Nunquam immanius spectaculum aut oculis obiectum, aut exceptum mortalium auribus, hinc dissonis clamoribus, lugubri questu undique queritantium vocibus horribilem sonitum edentibus, cum et privatam quisque fortunam, ac suorum varie cadentium miseraretur. Hinc omni cruento interfectorum sanguine, quamdiu flamma illuxit, foedam et deformem faciem obiiciente, cum semper sua sponte, vasto atque aestu et rapiditate horrenti, tum ob saevientem tempestatem altiores ciente fluctus, caesorum passim cadavera ingente hiatu haurire, tum e vivis alios laceratos tormentis, sagittis defixos alios, naves agere transversas, frangere illaesas, ad ripam crepidinis ubique saevire, atrox violentusque quasi per humanum scelus solito se ipso truculentior conspiceretur. Neque minus victores, terrorem hostibus iniiciebant clamore, ululatu, tubarum clangore, timpanorum et cornuum strepitu, maxime omnium fragore tormentorum, cum nox, tenebrae, error, suapte natura gravia augerent suis animos victoria sublatos, pavorem victis, omnia adversa perpessis, coelum, terram, ignem, quibus constat atque alitur hominum vita. Inter tot clades duces, qui classi praeerant, deplorata salutis spe, ubi diutius morarentur, iam terra et flumine suis profligatis, graviora navigia, quas ab Vngaris Nasadas vocari diximus, ad superandam adversi vim fluminis biremibus remulco trahentibus, incolumes Comarum perduxere, quo minus succedere propius

auderent, in Turcas tormentis directis, quae res una fugientibus saluti fuit. Egregiam laudem, omnium consensu, ea nocte retulisse Boemi duces dicuntur, cum hostis castris potitus, versaretur in magna hominum caede, ut dignum viris fortibus erat, cum delectis cohortibus, eorum impetu excepto, in vestigio, raro edito fortitudinis exemplo, interfecti. Atque haec quidem ita per noctem gesta, simul atque discussis tenebris lux est reddita terris, victoribus barbaris nostrorum perfidia, non propria virtute, certiora argumenta victoriae stratis cadaveribus amnis, terra acervis caesorum corporum, omnia cruore et sanguine foeda, propediem laeto spectaculo Regi barbaro futura aperuerunt. Auxit cetera mala magna cladis accessio, ingens hominum manus, cum, quasi signo dato, temere palati fuga in summum montis iugum evasisset, ad Gerardi interfecta, paucis exceptis, qui armis traditis se victori superbo dediderunt, deteriore fortuna suorum superstites, qui se honesta morte e servitute deterrima vindicassent. Inde a victoribus cum classe itum Pestum, spe minime dubia, dum pavidis ex accepta clade subitus metus adimeret consilii vim, se oppidum capturos; neque eos spes ut opinio fefellit. Etsi enim ita erat oppidum munitum, ut eius expugnatio difficilis crederetur eo etiam cum omni apparatu oppugnandarum urbium profectis : tanta desperatio tamen invaserat animos, ut una esset inter omnes contentio, qui princeps ceteros praevertens, in tutum locum patefactis portis fuga evaderet, quas quidem angustas efficiebat fugientium multitudo, hinc urgentium primos, hinc postremos morantium, in quorum terga immanis hostis ad exitium imminens haerebat, equitum imprimis, quibus, ut pernicitas equorum liberum campum

nactis, maiori erat futura ad fugae celeritatem adiumento: ita corporum moles, et trepidantium violentior agitatio, cum inter confertos aegre evaderetur, egressum reddebat difficiliorem. Hic addit multa Iovius ad Germanorum flagitium augendum, si modo illud flagitium, et non fatalis quaedam calamitas fuit, cui raro ubi improvisa incidit, opponit is, in quem saevit consilii vires, quas ita temporis spatium et maturitas roborat, ut ei esse locus in his, quae de improviso opprimunt, non possit. Vbi primum auditum sit barbarorum classem adventare, tanquam nulla affulgente spe salutis certum exitium resistentes maneret immensis argento et carissimis quibusque rebus relictis, unius salutis memores, quam fors effugii spes ostentaret, per devia atque obrupta quaeque, se se praecipites dedisse. Quae quamquam verisimilia sint, ii viderint, qui tantum illi tribuunt, quantum ipse si vivat et sapiat, miraturus sit. Neque vero ex quo genere hominum fuerint tradit, qui belli tempore magno in discrimine rerum, cum suorum miserabilis clades in oculis esset, et peropulenti in quotidiano victu et militaribus epulis uterentur, ignari se mox cum regia opulentia Turcae hosti praeda futuros. Neque vero probabile est oppidanos aut mercatores fuisse, qui Pestanas nundinas frequentarent, vel qui homines ad rem navi, atque experientes fectibiles in mensis longissime a regio luxu, cuso argento auroque non facto in mercatorum conventibus, et ubi nulla sit belli suspicio, utuntur. Nam si Germanos fuisse ait, id opinor doceat oportet, unde adesset tam lautae mensae militi praesidiario facultas, qui cum praeclare ageretur, si in obsidionis metu, quam imminere, cum iam debellatum ad Budam esset, non ignorabat, secundarius panis

quo vesceretur ad satietatem, cum pulto atque onere opponeretur. Quid, quod ne Vngaris quidem parcit? quos rumore percrebrescente de Turcarum adventu, tradit facta vi civium fornices, atque exterorum, qui Pesti mercaturam faciebant, defractis foribus et repagulis revulsis, avare atque crudeliter diripuisse? qua vero illi spe, qui intelligerent eandem fortunam, quae omnes maneret, qui intra Pesti moenia agerent, sibi subeundam, eo quidem, illis barbari infestiores urbe potiti, quo inhiantibus praedam victoriae praemium stultius ne, qui sperarent se posse in urbis direptione retinere, an sceleratius, qui tanta cum suorum iniuria praeripuissent! At barbari portis, iam ut diximus, patefactis oppidum ingressi, cum nemo, qui resisteret, occurreret, armatus imbutis odio animis, quo efferri inexpiabili in Christianos hostes cum pietatis laude creduntur, unius praedae memores, per promiscuam virorum et mulierum caedem, non aetate, non sexu misericordiam a crudelibus animis extorquente, memorabilem semper futuram posteris carnificinam ediderunt, Germanorum maxime, quorum mos est, adducere secum mulieres ad bellum, atque adeo saepe uterum gestantes, quarum ingens turba miserabili eiulatu, et suum et subrum fatum complorantium, frustra parvos infantes in ulnis ad emolliendos feros animos ostentabant, devotas victimas impiorum manibus. Ita diu versatis in caede, cum non satietas, sed lassitudo virium saeuiendi finem fecisset, pauci, quos forma aut aetatis robur avaro militi spem quaestus uberioris fecisset, superstites e tanta clade fuerunt. Numerum quidem eorum edit Iovius, qui in bello interierunt, habita fide peritis, a quibus, recenti re, potuit doceri, supra viginti hominum millium : certe magnam caedem fuisse, cum subiecta

materia barbaris ad explendos animos sanguinis hostium avidos, tum destituta imbellis turba suorum auxilio, quae res in se saevientium audaciam impunitatemque augebat, fidem facit. Capta maiora tormenta multa, quibus erat usus Germanus dux ad regiam urbem oppugnandam, et ad castrorum munitiones, tum quae ad alteram fluminis ripam, ad submovendos hostes erant collocata, ubi subire classe, flumine adverso conaretur. His accesserunt Pestana, quae urbis praesidio erant, eximiae magnitudinis, tum magna vis pulueris et globorum ad tormentorum usum, commeatusque omnis generis, quae omnia summo studio comparata, ubi esset in hiemem bellum ducendum, credebantur cumulate ad rem adversus hostem gerendam facultatem suppeditura. Claudunt alii tam tristem rerum exitum acerba in Germanos peroratione, aequius facturi, si orationis aculeum in Christianos reges distringerent, quorum funesta bella dum patiuntur aequis animis crescere in immensum mutuis cladibus, potentissimi hostis per se iam pridem non ferendas opes, ut Vngari, Poloni, Germani et finitimae aliae gentes imminenti in omnium perniciem non audeant opponere nimis infirmas vires, efficere. Rogendorfius, castris potito hoste negantem se superstitem tantae cladis esse velle, atque in eo perseverantem, medicus, qui curando vulneri assistebat, atque unus ex domesticis ministris in lembo impositum ad insulam Comarum perduxerunt, cuius in parvo vico questus non se Turcarum virtute victum, sed Vngarorum perfidia, animi virile robur odio, iracundia, indignatione, et magnitudine doloris superante, interiit. Iam aderat cum universis copiis Solimanus, ultima eius belli pestis, qui regni arbiter, quod iure belli victoriae praemium

poscebat, unus Reginae, deletis hostium copiis non minus, quam Germanis hostis, amicus erat pertimescendus. Etsi enim pridem reversus Byzantio Verbecius, optima spe omnium animos impleverat, multis pollicitationibus et prolixis a Solimani ministris oneratus: vix tamen Regina sibi poterat persuadere, possessionem regni, quod non semel armis partum, Solimanus suae ditionis atque imperii fecisset, in alienum ius translaturum, quem per multos annos praesertim regno imparem intelligeret sub tutela foeminae regnaturum, ut vicinus hostis, ubi visum est, opportuno magis tempore et melioribus suis rebus, Solimano cum exercitu profecto, amissum repeteret armis. Ita defuncta belli metu, de cuius eventu sollicita, sese et soli fortunas barbaro hosti permiserat, cum ut fit, per tot illatas hostibus clades exhausto odio in pectore volueret a barbaro victore novum imminens malum, natura impellente in dubiis rebus fluctuante animo, ut de eo, cuius in potestate erat, non quid haberet, sed quid posset cogitaret, omnia sibi adversa ominabatur, satis gnara, ubi minus se ad unius nutum arbitriumque componeret, illi se quasi inter saxum et sacrum cum filio praedae futuram. Accedebat depravata opinio in religionis cultu, quam summam barbarus animo fingebat, uti eodem loco haberet omnes, qui imbuti Christianis sacris a Mahemetis impia superstitione abhorrerent. Iam, quod iis accidit, quos male initi consilii poenitet, ut male succedentibus rebus, ad ea recurrere cogantur, quae antea reiiciebant; omnia illa occurrebant animo, quae a Ferdinandi legato commemorata, tum cum eorum aliquis usus esse poterat, in memoriam revocabantur, non Ferdinando Regi magis, quam Ioannnis heredi, ubi in tempore

essent avida salutaria futura. Quibus curis cum varie anxia torqueretur: audito Ciausii adventu, qui imperatoris nomine puerum Regem salutatum venisset, paene exanimis, victa metu atque horrore, animo concidit, in tanto suo et filii discrimine omnia ad deteriora trahente, sua sponte ratio quidem sua sponte prudentem foeminam male ominari filii rebus suadebat, praesentem rerum statum respicientem. Ciausii de rebus aliis brevis oratio fuit, quae comitatis regiae commendationem haberent: gratulari Imperatorem Regi puero paulo ante oppresso sceleratorum armis, recuperatum regnum, hostibus magna cum caede a regiae urbis moenibus pulsis. Inprimis vero iussum se hortari, ut pro Imperatoris summa in matrem et in filium indulgentia, de suo vindice et liberatore omnia sibi sua spe maiora prolixioraque spondere, fructum unum Solimanum referre uberrimum, victoriae titulum iustissimum, qui debeatur orbis liberatori, cuius una certa causa sit belli gerendi, non ut armis proferat imperii fines, cuius in terris maiestatem populi gentesque omnes reuerentur, sed ut vindicaret a sceleratorum impia vi, qui impares viribus suo iuri persequendo, armis per summam iniuriam opprimantur, deserti a suis, atque omni humano subsidio destituti. Hoc unum maximum et iustissimum a Deo immortali impositum, receptum Imperatori Solimano munus exterminandi ex orbe terrarum, qui per abruptum fas, ius gentium violatum, pessumdatas divinas atque humanas leges, sibi viam ad iniustum imperium, coelum, terras, maria bellis atque incendiis miscentes sternant. Atque haec quidem in praesentia speciosa et barbaram arrogantiam redolentia, ceteraque moverent et foeminam et matrem vehementius: postulare

Imperatorem, ut infantem puerum mitteret in regia castra, laeto spectaculo victori futurum, quem suum alumnum gestaret in ulnis, desuaviari, complecti doceret, Ioannis Regis prolem, a quo summo studio, dum viveret, fuisset excultus. Nam alterum postulatum durius multis visum, certe minime dubium praesagium eorum malorum, quae postea maiora opinione evenerunt : quorum erat potentia, atque opes barbaro suspectae, ut principes ex urbe excederent, et se Imperatori sisterent, cum horum unam atque eandem causam statueret, sive male ex se, sive praeclare essent meriti, unum modo praefatus : Pueri Regis neminem se uno magis fidum custodem, qui illi regni auctor esset, acriorem neminem vigilantioremque tutorem et defensorem futurum. Agnovere proceres in tam superba denunciatione tyrannorum veterem morem, atque per nobilitatis excidium domesticas opes firmandi, cum non temere, nisi invita et coacta nobilitas uni serviat, a quo se observari et timeri sciat, nunquam securo animo se melioribus imperante : quae causa est, cur multitudini faveat, quaestuosam servitutem libertati praeferenti, quae sit cum egestate coniuncta, apud Vngaros praesertim, quibus plebs addicta non meliore conditione, quam empta mancipia servit. Ita aegram animo atque haesitantem Reginam, cum quidem ubi nulla etiam esset causa metus, videretur recte sollicito animo de filio esse; in spem certam salutis Verbecius erexit : cum illam meminisse iuberet, quae postrema Imperatoris oratio fuisset, cum ab eo Byzantio esset dimissus : cognovisse quidem, referente se, sed multo ex his magis, quae diplomate regio continerentur, quam benevolo et prolixo animo Imperator in Regem filium esset : Aureo illud signo

obsignatum misisse, quod symbolum oblatae illi maiestatis regiae esset, ad quem mitteretur, hoc a maioribus accepto instituto, ut ad reges modo scriptae litterae signo aureo obsignarentur. . . . puerum collocari solio paterno, regem appellari, concesso regno, quod eius muneris beneficiique esset, iis legibus, quibus pater obtinuisset. Num vero crederet, passurum Imperatorem tantum in sua fide tuenda, quam sartam tectam, inviolatam, quoad vixisset, patri praestitisset, constantiam desiderari? Postremo quid inconsultius, quam id negare, quod acceptum a volente cum gratia accipientis sit, vel certum exitium afferet neganti! Quem vero non videre, eum, qui decedat de suo iure, poscendo id, quod suae potestatis sit, in eum iracundia exarsurum, qui neque suae, neque poscentis fortunae memor neget, quod alterius iuris et potestatis a se vi atque armis possit extorqueri.

His recepto a puero animo, cum omnium una sententia esset, non videri barbarum postulati destitutione irritandum, praesertim, quod negari tuto haud posset, Regina assensa, rhedam ungaricam regio apparatu ornari, atque in eo collocari puerum infantem cum nutrice iubet, inter nobilissimas matronas, quarum comitatus illum honestaret. Rhedam principes praecedebant, in his Georgius regii aerarii praefectus, Petruitius, Verbecius, Terekius, Urbanus Batthianius, Ioannes Podmaniczkius, alii ex praecipua nobilitate insignes, ornatus et pompae magnificentia ad diei festi ostentationem qui erat Vngaris in gratiam victoris, compresso animi dolore, laeto vultu atque hilari, traducendus. Atque ex his unus Terekius, non reliquo ornatu magis, quam verae commendatione gloriae conspiciebatur: cum unius virtus magnis re-

bus gerendis spectata, tanquam e loco excelso ad invidiam exposita, in barbarorum oculos incurreret, ex sententia belli sibi gloriam summentes, ferebant iniquo animo, sibi Vngarum gloriae magnitudine officere. Neque ex iis tamen defuerunt, quibus hominis dignitas, cum in eodem, cum generis splendore magnitudo animi eluceret, vim faceret virtute, suo splendore, ubi etiam est invisa, in sui admiratione homines invitos trahente. Nam et nonnulli ex his sua sponte de salute anxium imminenti ruinae subducere, certo etiam obiecto vitae periculo non dubitarunt, ut unus maxime Mehemetis Jehajanus genere Vngarus (ita Turcae domus procuratorem appellant) vincente patriae caritate, ubi emanasset suplicii metum. Augebat vero illius suspicionem haud obscure ab eo alienatus Reginae animus, Georgio eius potentiae aemulo, cui se penitus dediderat confisa viri in illum meritis, ut nimias eius opes suspectas haberet, etiam atque etiam monente. Verebatur vero, ne vir gratiosus apud multitudinem, cuius praesertim summa levitas atque ingenii mobilitas esset, contempta pueri aetate, animum novis consiliis adiiceret, quod quidem si accideret, parum illi in tutoribus praesidii adversus illius potentiam relinqueretur. Sed vicit suorum consilium auctoritatem contra suadentium fati vis inexorabilis, id quod magis credere lubet, quam regere omnia, nulla vi regi et consilio potest, ut non dubitaret venire in barbari conspectum, fretus hinc recti animi conscientia, hinc rerum gestarum magnitudine, quae omnium consentienti ore celebrabantur. Nam et illud verisimile est, cum perplexum animum desperatio subiisset, quando ne in fuga quidem satis futurum praesidii relictum ad salutem intelligere, omnia circa obtinentibus Turca-

rum armis ad id consilii descendisse, quod necessarium ratio temporis effecisset. Interea puer adducitur in Solimani conspectum, qui totus in regiam comitatem effusus, acceptum in ulnas, id quod ab iis, qui rei gerendae interfuerunt, audivimus, complexu, osculo, affatu fovendo, ut parens mollissimus blandiri filio infanti videretur, identidem pupillum suum appellando, suam curam, suas delicias, nullum inveniebat modum. Inde munera de more oblata, quae et regiae magnificentiae, et patriae caritatis in barbaro animo significationem haberent, in his comitatui honestando holoserice ae allatae vestes, distinctae auro, quibus induti Vngari principes cum regiis ministris pranderent. Inde ad liberos conversus, quos ea expeditione secum adduxerat, agnoscere regium puerum, acceptum in sedem amplecti immortali suo beneficio illis devinctum, tum alios deinceps, qui aderant Regis indulgentia in principem gratiae locum evectos, quibusque in arcano consilio dicendae sententiae ius esset, laeto animo iubet. Quibus occupatis animis, et quorum res evaderet expectantibus, plures quidem, quorum erant leviora ingenia, tum Regi puero, tum sibi privatim laeta et secunda ominabantur, naturae instituto blandi interpretes dubiis in rebus, et ad ea credenda, quae vellent propensi, cautiores, alii, quos falli inani specie rerum insita prudentia animis non patiebatur, de barbaro callido homine et fallaci ingenio, nihil sibi praeclari spondebant, non quid esset, quod appareret, sed quid occultarent in amoris ostentationem obiectae illecebrae, intuebantur, quibus non minus, quam innocenti puero, illusum tutoribus vafris hominibus, ut videri nolebant, et matri Reginae credebant: certe haud a vero aberrasse, qui id sentiebant,

docuere, quae sunt ante Solimani profectionem administrata. Quid vero praeclari, sinceri, non fucati, non ficti poterat ab ea gente sperari, cuius una summa religio esset, per omnia poenarum et supplicierum genera eos mactare, qui ab obscoenis impiisque Mahemetis sacris abhorrerent? Omnium quidem unus maxime Terechius de rerum eventu anxius propter eas causas, quae sunt iam a nobis commemoratae, suis rebus timebat; ita eorum memor, quae eo bello gessisset, ut quae praemia manerent bene de barbaro victore meritum, non ignoraret: suspecta enim Turcae, qui sua diffidit, nisi illam armis habeat munitam. Qui vero virtuti locus esse apud eos potest, quibus unius imperio emancipatis, necessitatem agendi praeclare, non voluntas, sed mortis metus imponit? Solimanus interea principes advocari iussos, ad hunc modum locutus fertur: Iam habetis, Vngari, inquit, quod optastis, ereptum regnum nostro beneficio, cuius vos semper fore memores aequum est, ex hostium faucibus, qui nobis eorum impiae cupiditati obsistentibus intulerant perniciosa arma. Sed non hoc, si oporteat verum fateri, est nobis adhuc satis ad animos vestros a metu liberandos: tueri nos recuperatum regnum oportet, cuius quidem imposterum defendendi, quae nobis spes reliqua, quae facultas sit, nobis hinc profectis, ubi nos, instauratis viribus, Ferdinandus Rex bello aggrediatur, libet sciscitari. Totidem verbis, percunctatos Vngaros Solimanus fertur; quorum sententia, quo facilius in quam partem spectaret, coniiciebatur, eo difficiliorem responsionem eorum reddebat, qui intelligerent, non id, quod Vngaris expediret, aut puero Regi, sed quod is maxime vellet, qui percunctabatur, esse respondendum, id quod minime erat obscurum.

Cum ipse certam viam sibi ad eam responsionem, quae suis rationibus conduceret, praemunisset. Quis enim non videbit, ita expressam vim invitis domesticarum virium imbecillitatem agnoscendi, ut ansa daretur id cupidissime quaerenti, deiiciendi impares ab eius regni possessione, quod se posse suis viribus defendere haud sperarunt? Nam ne auderent sibi tantum de domesticis viribus polliceri, ut sperarent se Ferdinando Regi posse resistere, suis copiis freti, postulata infimis precibus externa auxilia, quibus innixi vicissent, faciebàt. Ita Georgius, ne in re, quae alacritatem poscebat, et ad hilaritatem effictos vultus tristis cunctatio minus gratam responsionem efficeret: Nos vero, inquit, maxime Imperator, haud dubitamus, quin tua invicta dextra protegente, nos, ut nunc fuimus, ita simus inposterum, tuendo Vngariae regno pares futuri. Tum ille, recto vos, inquit, si nostrae dignitatis sit facultatisque adeo, quam ut dat haud raro admittit tempus, ad fugati hostis metum conscribere novos exercitus, et ingens terrarum spatium immensos, quo vires convertat Germanus hostis inferens bellum, circumferre arma. Quae nunquam iis ita salutaria sunt, quorum causa comparantur, ut nos iis ipsis, simul maxime incommoda et gravissima inportant, quae ne sint necessarium ferenda, iis opera danda est, quibus pax, populorum otium et rerum tranquilitas est prima. Sed ego haec video, atque adeo, ne hoc aut mihi, aut vobis agere saepius, quam velim, necesse sit, operam dabo. Inde ficto ad hilaritatem vultu, iubet in proximum tentorium adductos cum suis prandium sumere. Quod dum consulto producitur, eo consilio, ut esset satis spatii ad id, quod imperatum erat, administrandum, mittuntur a ducibus ex Janizeris

delecti, qui qua moenia tormentis disiecta et protrita erant, ingressi capiant urbem. Qui adhibita celeritate in urbem patentem eorum insidiis, quorum armis vicissent, superatis muris nullo negotio irrumpunt. Inde militibus, qui urbi praesidio erant, deponere arma, atque excedere sibi iussis, eorum impedimenta diripiunt, pretiosis multis rebus inventis, quae victoribus superaverant ex hostium praeda. Cum tam insigni iniuria et contumelia accepta, nemo hiscere aut libere queri, et palam, auderet. Ita milites subito attoniti malo et tanquam deiecti mentis statu, cum quidem non multum moesti, non oculos tollere auderent, seminudi descendere ex arce coguntur, ab iis ipsi exuti armis, quod omnium gravissimum atque indignissimum fuit, pro quorum victoria pugnassent, accepissent ab infesto hoste vulnera, vitae discrimen saepe adiissent. Inde in iustam iracundiam atque indignationem conversis animis Budenses, hinc infelicem Ioannis Regis florem Vngariae regno, hinc Ferdinandi praecipiti ambitione elatum animum, civilia arma, domesticas clades, quas essent per tot annos perpessi, exsecrantes, ut in eorum capita reciderent, tum iis ipsis, tum posteris luenda per longam saeculorum seriem, infaustis ominibus, ut suggerebat dolor, diras detestationes atque horribiles addentes, praecabantur. Mox certior Solimanus factus urbem esse in potestate, Regem puerum missum facit, uno illi relicto comite Ioanne Podmanicio, salutari illi errore barbarorum futuro, quibus hominis nobilitas, ut aliorum non aeque, esset explorata. Principes deinde alios hortatus, ut a se omnia humanitatis officia expectarent, non quod apud se paulisper eos habere vellet, dimittere, alios retinuit in castris, uno ex his Terekio, arctiore custodia iniectis catenis as-

servari iusso. Atque alii quidem dissimulatam offensionem animi, id quod temporis ratio postulabat, facile in potestate habuerunt: In uno Verbecio vicit conceptus animi dolor servitutis et supplicii metum, grandi natu homine, et qui exiguum vitae spatium, quod supererat, haud pluris faceret, quam liberam querelam vis immani supplicio expiandam, habere Crudelissimi perfidia ac scelere detestando. Pudebat vero hominem exactae aetatis, cuius summa prudentia saepe magnis procurandis rebus spectata esset, usque eo sua opinione falsum, ut apud suos eius fidei obses, cuius una summa religio esset religionum omnium iura contemnere, restitantes et tergiversantes induxisset in fraudem, iis auctor sistendi se periuro Regi barbaro immanissimo, apud quem nullum esset inter victos et victores discrimen, quos optime de se meritos, summae nobilitatis homines, viros fortissimos, minime tanta calamitate dignos, omnis immemor humanitatis, vinctos catenis, inclusos deterrimo carcere haberet. Quousque vero in Germanum immanitate progressum, redactum in potestatem, qui per violatum gentium ius in Valentino Terekio decus Vngaricae nobilitatis, gentis famam, nomen, maiorum gloriam, partam rerum gestarum magnitudine, mactandum suscepisset. Enimvero infelicem se civem, funestum patriae caput, cuius proditae atque aversae, a se per summum dedecus, et deterius: senex esset suis reus in omnem posteritatem futurus. Iustissimum praemium referre Vngaros civilium dissensionum: ut fortissima gens, cuius victoriae et triumphi clarissimi de hostibus parti, sint apud gentes nationesque omnes decantati, videat principes suos, homines nobilissimos non maiorum gloria prius, quam propria virtute claros, crudelissimi barbari mancipia, squali-

dos situ, paedore obsitos, catenis costrictos, in foedissimam servitutem rapi! Iam esse cur laetentur Ioannis Regis manes, si modo hoc sensu affici credendum sit defunctos vita, ut ex Regina nobilissima susceptam prolem, cuius pater, avus, maiores regna maxima atque opulentissima obtinuerint, audiat barbari regis mancipium, non prius iussum regnare, quam servire assuesceret, vivere eius beneficio, cui parere regnandi causa omni morte taetrius et calamitosius sit. Haec cum a multis audita, et ad Solimanum relata essent: quamquam minata ferocia animo, cum quantum liberet, posset, potestatem aequaret libido, severa animadvertere in contumacem suadebat, et linguae intemperantia bacchantem: In eo habuit tamen et humanitatis suae rationem, aut temporis, ne hominis nobilissimi supplicio, et clari sapientiae fama, popularium animos a se alienaret? relinquendum est hoc solatium miseris arbitratus, ut in patriae funere, quam iuris iurandi religione violata evertisset, libera illos querela testari animi dolorem pateretur. Principem civem, et qui in ea summum auctoritatis locum obtineret, requirentes usque adeo vero fuit iracundia potens, ut per speciem eum honestandi, cuius merito fidem suspectam haberet, in urbe regia, quam occupatam armis firmare suis praesidiis statuisset, praeesse iuri dicundo inter cives iusserit. Quo in munere fungendo cum satis suam fidem civibus probasset, brevi postea veneno, ut creditur, sublatus interiit, vir, id quod video, constare inter omnes, cum primis memorandus. His ita constitutis administratisque rebus, ad Isabellam Reginam misit, quae adhuc in arce manebat, qui illam docerent de omni consilii sui ratione, simul bono animo esse iuberat, neu, quidquam, quod minus vel-

let, induceret animum suspicari de sua in filium Regem indulgentia, quod nonnulli, qui eius temporis vis magis, quam humanitatis suae ratio postularet, agi animadverteret; pertinere non minus ad illius securitatem, et ad totius otium regni, quam ad ullum suum privatum commodum, Budam Turcarum praesidiis teneri, nihil enim sibi certius, quam Ferdinandum avidum sarciendi incommodi ad Budam accepti, vix hoste ex Vngaria cum exercitu profecto, novis comparatis copiis, bellum instauraturum, cuius esset sedes urbs regia futura, id quod illius causa minime accidere vellet; quae potentis hostis iniuriis oportuna, ita indigeret externis auxiliis; ut ne a patre quidem filia maiora certioraque speraret, quam aeternum amicitiae foedus, cum Turcarum gente vinctum obstrinctumque haberet. Nam Solimani ita esse excelsum animum, ut maiori sibi gloriae duceret largiri regna atque imperia, quam alia aliis in immensum cumulata obtineret. Sed ita esse statuendum, nunquam Germanum, quamquam illum natura mollem atque inbellem a violentis consiliis quieturum, quamdiu sibi bellum cum foemina et cum puero speraret, conscium suorum et Solimani virium, ubi sciret fortiorem potentioremque adeo regia Vngariae potiri, ni plane sui atque adversarii immemor esset, non commissurum, ut dum alieno regno occupando animum intenderet, exciderent suo. Non summovere a se Reginam verius, potitum Buda, quam ab illa hostem, ut Tibiscus amnis Regi puero esset finis, Transiluania adiecta, nobilissima provincia et rerum omnium feracissima, quae humano cultui necessariae essent. Pro quibus exiguam pecuniae summam imperare, ut fides fieret, Regem filium beneficiarium Othomanorum regum esse, qui simul atque adultus, id,

quod luberet sperare, et se nosse inciperet, et quantum esset munus, quod in terris gereret, tum cuius liberalitati id referret acceptum; intellecturus esset Turcas et propulsandae iniuriae, a quocunque inferretur, vires atque animum parem efferre, et fovendis augendisque suis omni genere honoris, si quando suae fidei, constantiae, animi magnitudinis certa documenta ederent, non pati suam dignitatem et munificentiam desiderari. Hinc regiam suppellectilem et mundum muliebrem Isabella Regina asportare iussa, ex arce excessit, tormentis omnibus magna cum vi tormentarii pulueris relictis. Inde comitatu exigua septa, quem illo reliquum barbarorum immanitas faceret, iter in Transiluaniam suscepit, satis contenta praesenti rerum statu futura, ubi barbarus promissis staret, quae ne ulla fide et religione sancita diu firma et rata haberet, una satis inexplebilis contra, atque credi vellet, efficeret ampliandi ac proferendi imperii. Alio ordine haec omnia acta apud Solimanum Iovius tradit, quem multi, auctorem, facile nobis patientibus, sequuntur. Nobis quidem iis fidem habere visum, qui quarum rerum spectatores testesque fuerunt, earum describendarum e privatis commentariis, quae de his confecissent, nobis potestatem fecerunt. Ita enim Iovius: Solimanum in principio sui adventus, iussisse produci captivos in conspectum. Cum ita praefatus esset, in sceleratos homines, et qui fallax pacis nomen in iusto bello obtendissent, esse agendum severe, ad deterrendos alios exemplo, multitudini trucidandos obiecisse, paucis, quibus parceret selectis, qui primos ordines duxissent, ut si permutatio esset captivorum facienda, facultas non deesset. In his, quasi scenae et theatro scriptor rerum serviat, e tragica re, et memoriae po-

steris execrandae sumpto ridente argumento (id quod nunquam non usque ad fastidium fecit, nullo rerum discrimine aut temporum), Germanum militem e Norico ait, inter multos proceritate eminentem, in gentis contumeliam, pumilioni, qui vix illi capitis vertice genua attingeret, traditum interficiendum. Qui cum miserum, per immanes cruciatus laceratum, imbelli quidem manu, sed nunquam non faciente vulnus, crurum nervis et poplitibus incisis stravisset, in valido nisu, in vastam corporis molem crebro repetito ictu, quo mors esset acerbior mora, pugione iugulasse. Nam cum legatis cum muneribus missis, quod Iovis tradidit, nulla apud illos mentio, ut suo loco diximus: per Ciausium, id quod est apud Turcas in more, delectum, qui munere legationis fungeretur affirmantes. Nam munera non per legatos, sed praesenti Regi oblata, atque iis, qui eum comitati essent, iidem testes luculenti tradunt, quod mihi quidem verisimilius fit. Iam ne de ratione quidem occupandae urbis magis illi cum Vngaris convenit, quorum monumenta in manus nostras pervenerunt, a quibus discedere prohibet nos gravis scriptoris constantia et fides, quam non est consilium pati a nobis, his scribendis desiderari. Nam non ait per urbis diruta moenia, aut irrumpentium in modum, in vrbem invasisse, sed per Sabbatiam portam, falsis custodibus, quasi spectandi causa ingressos. Cum in principio, ut fides fieret, fraudem obesse, qui principes intrassent, eadem porta in castra redissent, inde sensim cum ducibus confluente multitudine militum urbe potitos. Idem affirmat, certantes cives cum milite barbaro moderatione animi, comites advenientes hospicio accepisse, tantum quidem abfuisse, ut cuiquam vim inferret, ut cives sua sponte, quemad-

modum a Solimano imperatum erat, arma in medium proferrent, atque ea quidem tanta alacritate animorum, ut non imperata facere, sed vere sua sponte, atque ultra ea offerre crederentur. Dum haec ita apud Solimanum geruntur, tristibus nunciis Ferdinandus acceptis de re male a suis apud Budam gesta, animi praesentia leviora reddenda arbitratus, quae dura atque aspera adversus inveheret casus, Velsio negotium dat, qui vix gravi et diuturno morbo convaluerat, et primo quoque tempore Comarum profectus, militum reliquias quas habebat, colligat, qui in insulam se receperant, triste eventu belli et miserabili, sive fortunae beneficio, sive virtute et animi magnitudinis defuncti, simul imperat, missis per circumiectos agros conquisitoribus, det operam, ut palati, et dissipati fuga, reducantur ad signa, ne territi tanta clade, de se durius statuere, et sese hostibus dedere cogantur. Inde cum potentissimo hoste, Austriae imminente, qui rebus secundis elatus, neque suae fortunae, neque aliorum ferendae esset, Imperatore Carolo fratre, in quo uno spes certa auxiliorum esset, procul agente dirimendis Germanorum controversiis intento, alia omnis consilii ratio, praesenti malorum mole inferior haberetur, quod oppresso angustiis temporis vnum reliquum consilium visum, nova legatione victoris animum tentare, et de compositione agere constituit, veritus, ne si minus in tempore consilio praesenti fortunae occurrerent, cum ad amoliendam propulsandamque saevientem nullae adessent validiores vires, eodem impetu victoriae elatus victricia arma, in proximas regno provincias converteret, unde non facile in ulla propulsari posset. Duris rebus atque arduis, quando dignitatis ratio haberi non posset, rationem habendam salutis

urgentis atque impellentis ad ea, a quibus maxime etiam refugit animus. Neque vero eos facere dignitatis iacturam, qui sibi tempori statuerent parendum, non enim illum opinione imperitorum aut comparari, aut mitti, sed dignitatem retinere; de qua decedere multorum populorum et gentium causa, non solum non esset vitio dandum, sed summae etiam tribuendum laudi. Nam eos magni animi laudem sequi, qui multorum salutis causa, compressa ea ipsa magnitudine animi, necessitate parerent, cui qui obsisteret, hominis esset conditione maior, maturius fuisse hosti potentissimo communibus viribus occurrendum, ubi quae libido suaderet, liceret impune circumferre arma, multis exscidio futuro: quando eorum dissimulatione, quorum exitio cresceret, eo pervenisset, unde facile pelli haud posset, non reprehendendum, qui nollet suam ruinam accessionem communium malorum facere, sed laudandum, qui efficeret tempore observando, ut nimium infirmae vires tanto evertendo hosti ad meliora tempora reservatae essent salutares reipublicae futurae. Haec in Ferdinandi consilio ita omnes probabant, ut in uno omnes eodem modo haererent, qui nam munus legationis obiret, ut maxime necessarium adeo angustius rebus, ita obeunte, futurum magno discrimini ubi non conveniret, id, quod omnes horrebant animis, atque exsecrabantur cum hoste barbaro rem esse, impotenti animo superbo, dei atque hominum contemptore, cui violare ius gentium iocus lususque esset, ut eum ab ingenio discedere, et sancta habere legationis iura, non magis verisimile videretur, quam in sicca atque arente arena fruges serere cum spe uberis proventus. Exemplo esse proximum Laskii legatione, quae, quam male cessisset, nemo ignoraret,

et quidem adhuc integra re, et nondum barbaro victoria potito. Quid futurum, ubi parta victoria, quae cogeret natura sua ferox atque insolens, cogeret mitiora etiam ingenia saeviret, in victos barbari irati animum, omnium praeter quam sui immemoris. Omnia quidem opinione hominum foediora atrocioraque de eo expectanda. Cuius impium animum nulla religio, pietas nulla, non dei immortalis augustissimum numen, quem nullum nosset, non hominum existimatio, non fama, non nomen, qui unus sui admiratos, prae se hominem in terris neminem duceret, a scelere et flagitio revocaret. Eo vero invidiae excessisse, ut humanos honores omnes aspernatus, sibi insignem fieri iniuriam crederet, nisi cum dei immortalis cultu et veneratione haberent homines Solimani maiestatem coniunctam. Commemorabantur, quas esset Laskius perpessus indignitates acerbitatesque, quoties pro tuendo legationis iure, vitae discrimen adiisset apud eum, cuius pro lege esset libido, avaritia, superba omnium contemptio, et quidem is, qui creditus esset apud Solimanum regnare, multis legationibus functus, et quem ii, de quorum sententia administraretur tantum imperium, incolumem et saluum vellent multis donis largitionibusque deliniti, parum praesidii in legationis iure invenientem. Quae omnia quanquam verissime dicta, multorum animos a tam ardui muneris functione deterrerent, unum tamen non moverunt: Nicolaum Salmensem, cuius non semel mentionem fecimus, hominem iam inde a primis annis maximis gerendis rebus, et gravissimis, magna cum laude versatum. Is delatum a Ferdinando munus neque recusavit, et ultro suscepturum se alacri animo profectus est, pertinaci silentio, quam ab eo haberent immersos

animos, aliis omnibus haud dissimulantibus. Sperare vero aut ex sententia legatione functum, magna pietatis laude, se ad suos rediturum; aut sua spe frustratum pro salute suorum vita defunctum, quam naturae deberet, mortem longe pulcherrimam obiturum. Huic additus collega Sigismundus Liectestenius, vir propter eximiam fidem et sapientiam inprimis Regi probatus. Splendidam per se legationem tantis viris delatam, ut spes esset gratiorem Solimano futuram: luculenta munera, et perampla faciebant, quae ad deleniendum ferocem animum erant studio ingenti et sumptu comparata. In his poculum dicitur fuisse ex solido auro, multis gemmis et clarissimis distinctum, ad usum atque abaci apparatum maximi regis et potentissimi elaboratum. Cum splendore enim, qui partim ex auro, partim ex gemmis quasi discolori flamma per amabilem quandam veritatem rutilabat, certabat materia cum operis elegantia, ut cum omnia digna spectaculo essent, quid in his tamen potissimum spectatu dignum videretur, haud satis intuenti constaret. Sed omnium oculos in se unum rapiebat horologium humani ingenii admirabile opus, praeter horarum discrimina, quae aequatis temporis spatiis indicabantur arte, felici naturae aemulatione repraesentante omnium coelestium orbium motus, perpetua constantia, ad rationem naturalis cursus definitos, tum anni conversiones, defectiones lunae et solis, congressus et degressus, paribus spatiis commeantium. Atque quo gratius munus haberetur, usu assiduo rectorem postulante, missus simul peritus artifex, eius moderandi, atque si is decederet, commentarius unde certa ratio perciperetur, obnoxium iniuriis temporis, ubi lentius motus rotarum, orbium cursus retardaret, a rubiginis

morsu vindicare. Atque alii quidem rem modo, quae tanta esset, ut satis per se admirationis haberet, alii qui interius prospiciebant, certam artis rationem, qua homini subnixo, raro felici successu se maiora tentanti, efficere tantum sivisset, multo iustius admirabantur. Quanti enim ingressi fuit, cum intra supremum orbem, cuius est cursus concitatissimus, contrario motu ac disparibus intervallis, alii orbes ferentur, ita autem potuisse omnium cursum moderari, ut inter omnes summa consensio convenientiaque constaret; huiusmodi duo ipsi aliquando vidimus, et multi alii adeo viderunt, in Belgis, in Caroli V. Caesaris regia, mox in Hispania apud Philipum Regem, quod admirabilius videri possit, ab imperito homine literarum, condita, digno illo quidem, cuius paria et nomen, ob singularem industriam et solertiam, in omnem posteritatem prodatur. Ianellus fuit Cremonae ortus, quam urbem in Insubribus, cumprimis nobilem atque opulentam reddidit ipse tantae industriae atque ingenii laude clariorem. Iam certior factus Solimanus de legatorum adventu, in plurimum ad sui nominis gloriam referre arbitratus, obviam praemiserat unum e purpuratis Cassonum nomine, qui classi praefectus, post miserabilem illam Germanorum cladem, Pestum urbem ceperat, nulla satis iusta causa, ut diximus, a suis defensoribus desertam. Is, ut Iovius tradit, comitate Solimano cum Germanis, quos vicerat armis certante, adduxerat generosos equos, quibus expeditis, lintribus Ferdinandi legatos advectos, atque omni humanitate exceptos adduceret in castra. Inde, quod genus hominis eximium apud barbaros habetur iis, quo diverterent, traditum unum e tentoriis regiis pro barbarorum captu apparatu magnificentissimo ornatum, inde lantia

missa, quibus, more iam olim a maioribus recepta, Ferdinandi hostis, sed amici Regis legationem excipi consentaneum esset; mox legati accepto in prandio non sine epulorum sumptu, cuius rei minus student, sed convivarum frequentia et splendore, cum nemo convivio interesset, qui non praecipuum gratiae locum apud Solimanum obtineret, et magnis esset honoribus, belli et pacis tempore tanto et moderando imperio functus. Atque hoc loco haud videtur alienum, ab instituta narratione, qui mos Turcarum sit in regiam urbem exterorum legatis accipiendis, ex eorum commentariis referre. Decimo die, antequam, qui est legatus ab exteris regibus, et civitatibus liberis, de suo adventu, ad regiam urbem accedat, curat Imperatorem certiorem faciendum: in regii ministri, eo consulto, faciant adeundi potestatem, haud progredi ulterius ausurus. Vbi legato is honor habetur, tum unus e militiae praefectis, cuius est prima auctoritas illi certo militum numero obviam mittitur, septus decreta pecunia ad sumptum itineris et quantum legato, atque familiae alendae sit satis: quacunque iter habet, ubi pernoctaturus sit, iussis pagorum incolis quiescentem custodiis munire, et securus ab iniuria et maleficio, qua infesta itinera latrociniis curam acriorem requirunt, dies noctesque incedat, qaue exercitata in nostros habent fortitudinis atque industriae laudem. Vbi prius Byzantium adventat, tum unius diei iter copiarum duces omnes, qui adsunt longo ordine, occurrere quasi in equestris pompae modum iubentur, qui eum in urbem deducant. Neque his tamen finibus comitas regia et munificentia continetur. Ingredienti urbem, praesto est regii stabuli praefectus, qui generosum equum barbarica veste instratum atque egregie faleratum offert benevo-

lentiae et amicitiae ergo, cuius iura sancta habere, et religiose colere videri volunt: mox una cum regiis pedisequis ad XXX, ad eum locum comitatur, ubi est diversaturus, quem quidem Rex suo more magnifice instrui ornarique iubet, questori regio dato negotio, ut quoad potestas fiat cum Imperatore agendi, quod nonnunquam in longiorem diem producitur, illi ex regio aerario pro sumptu, quantum requirat necessarius usus, quotidie persoluatur. Atque interea ne legatum quisquam adeat, qui quae illi causa legationis sit, quaeve ea sint, quae habeat in mandatis explorare facile, atque efferre possit, custodes illi apponuntur, qui quamdiu in regia urbe maneat, ingressus egressusque omnium observent, ut ne volenti quidem facultas relinquatur prius cum aliis, quam cum Imperatore et eius ministris, iis de rebus, quarum causa veniat, agendi. Vbi primum domum ingreditur, donatur aspiorum duobus millibus (genus nummi Thracÿ est) qui summam fere ducentorum coronatorum efficiunt, iis, qui munus afferunt, quod felix faustumque ingredienti sit ominis causa, acclamantibus. Inde ex itinere defessum, biduum quiescere patiuntur. At tertia die ab legati adventu, Imperator frequentes, omnes adesse in regia iubet, quibus est ius in arcano consilio sententiae dicendae, atque inde ad se legatum adduci, qui, simulatque ingreditur regium septum, duo e praefectis, qui corporis custodiae assistunt, egressi ad viam obvenienti, significant adire Imperatorem licere, ac duces praeeuntes non secus ac si summum in se haberet Imperium, incedentem omni honoris ac benevolentiae significatione prosequuntur. Simulatque venit in conspectum, misso Turcarum more, manibus ad pectus admotis, leviter inclinare humeros, et demittere

caput, Imperator e sella erectus, dat deosculandam manum, quam legatus venerabundus, tamquam divino numini, totus in assentationem compositus venerabundus deosculatur. Mox rursus in regio solio Imperator collocatus, aliam sellam, ubi iis quidem (?) a Christiano rege legatus sit, ornatam purpureo oloserico villosi operis afferri iubet, atque inde acceptas litteras, et resignatas sua manu, tradit interpreti legenda, qui clara voce, ut ab omnibus exaudiri queat, patria lingua, quae his continentur, ordine exponit. Quibus ita administratis, iubet eum Imperator in septi interius coenaculum adduci, ubi instructis mensis regio more, atque abacis ad epularum usum, et ad magnificentiae ostentationem multo auro argentoque onustis, sive ientaculum, sive prandium, generoso vino apposito, ut sit, quo se largius convivae invitent, regiis ministris adsistentibus sumit. Extremum hospitalitatis officium, ut transactis iis, quorum causa venit, cum eo ipso Imperatore ineat prandium, ita instructa mensa, ut ipse ad alterum mensae caput, nihil de pristina dignitate decedens, ad alterum legatus e regione accumbat. Mox pransus legatus, magnificis verbis et luculentis imperatoris in se officia multa prosecutus, quod benevertat tum ei ipsi Imperatori maximo et fortissimo, tum amico Regi, a quo mittitur, poscit, ut munere legationis functo, liceat bona cum illius venia redire ad suos. Interea adest regius magister, qui postremum Imperatoris munus, olosericas vestes tradit, quarum altera Damasceni, altera villosi operis, utraque purpurea, tertia auro distincta: quibus coram induere iussus, duobus aut tribus aureorum numorum millibus acceptis, dimittitur, dato certis a suis negotio, ut euntem comitentur, ac quamdiu iter

faciat, intra imperii sui fines curent publico sumptu alendum. Interea legatis, ut ad institutam nostram rationem revertamur, de more, dies ab eorum adventu tertius indicitur, quo die et munera praesenti Imperatori offerant, et Ferdinandi mandata exponant. Ita vero caute erat cum eo agendum, ut, quod difficillimum videretur, et eius dignitatis, a quo legabantur, et temporis ratio rerumque adeo haberetur, quarum maxime secundo successu elatus barbarus tumebat. Nam illud non fugiebat eos, qui pacem peterent, superati bello, semper, ut cetera abessent, credi ad pacis consilia bello impares flectere animum, ut quam daret, qui esset superior armis, non quam vellent, qui precario peterent, pacem accipere cogerentur. Illud certe non ignorabant, se non posse effugere, quin vires intenderent, quibus destituti, non pacis studio, a quo vere essent aversi, sed desperatione virium, quod non sperarent se vi atque armis extorquere, poscere a barbaro victore cogerentur. Qua vero conditione credi oportebat, victum Regem de compositione acturum, qui prior esset ad arma, qui lacessisset quiescentem, qui afflictis et prostratis suis rebus pacem quaereret. Haec cum legatorum augerent animos, quam rationem consilii exprimeret temporis vis praeter unam salutis curam, quae urgebat, omnium immemores sibi statuerunt ineundam. Neque tamen in eo ipso acquiescebant, quod occasio et praesentes rerum angustiae poscebant. Quid enim erat victis sperandum, ubi tantum etiam de suo iure decedentes abiecti ad pedes infimis precibus rem agerent. Eo quidem ventum erat, ut nemo dubitaret, quin quo demissius Ferdinandi mandata legati exequerentur, eo duriores pacis conditiones apud victorem, et sua et hostis fortuna superbum,

essent accipiendae. Nam, quam orationem habuisse legatos Iovius fingit, est aliena a legatorum postulatis et rerum praesentium statu. Ita non erat flectendus barbari animus, ut pacis consilia, ut omnia longissime ab eorum oratione deberent abesse, quae virium ostentationem haberent: id quidem ne viderentur minime obscuro artificio, mali metu velle ab eo extorquere, quod impetrare precibus conarentur. Nam inducere de regni iure disceptantes apud gerentem arma, et iam victoria potiri ridiculum videbatur, praesertim, qui non dissimularet sive Ioannis heres, sive Ferdinandus potiretur regno, suum beneficium haberi. Eodem vero ea pertinent, quae de Carolo V. Caesare commemorantur, quem spondent legati, (quasi videri velint hoc permagni Solimanni interesse) ubi ad pacis consilia descendat, sese eodem pacis foedere, quod cum Ferdinando fratre ictum sit, comprehendi passurum: cum quidem illud addant, tum quo minus securus ab Europae rebus late explicet, adversos Pathos, victricia arma, neminem. inpedimento futurum, ut haud dubie viderentur eo perducere rem velle, nisi imminens sibi exitium a Caroli Caesaris et Christianorum regum conspiratione esset pacis foedere redimere paratus, in magnum rerum discrimen esset Turcarum imperium adducturus. Satis vero clarum documentum superbi animi dederat, cum spe alios tum superiore Laskii legatione, cui paene exitio fuerat, animis crebro iactata Caroli V. Caesaris potentia, quae una quo minus erat contemnenda, eo magis apud eum dissimulanda videbatur, qui neminem sibi parem viribus in terris haberet. Quaecunque legatorum oratio fuerit de Ferdinandi postulatis, agentium, quae quin maneret ab animo anxio de suorum salute, non poterant dissimu-

lare praesertim apud fortunae suae supra omnem fidem impotentem. Idem fuit orationis exitus tristis, et minime e Ferdinandi Regis dignitate, nimis enim demisse de pace agendo agnoscere arbitrum, qui tum vere erant Vngarici regni et virium suarum imbecilitatem nudare, ut diximus, cogebatur. Mitius tamen cum legatis actum, cum laeto successu rerum tum hostium tot cladibus, quos fracta ferocia supplices postulare pacem, et submittere fasces victori coegissent, emollitis animis. Nam et hilariter accepta munera et ii ipsi legati dimissi onusti donis, superba denunciatione, ut Vngariae urbibus Ferdinandus decederet, Austriae finibus contentus: pro qua ipsa Austria (usque adeo sustulerant animos secundae res), ut omnes intelligerent ea Ferdinandum Solimani beneficio potiri, certa pecuniae vis quotannis stipendii nomine non secus, ac stipendiaria Turcarum esset, solueretur, ne in has conditiones accipi pacem placeret, tum quibus rationibus, quo nollent, descendere cogerent, Solimanum cogitaturum. Quae audita ita Salmensis animum commoverunt, hominis minime idonei barbarae arrogantiae concoquendae, ut parum abfuerit, quin unius personae memor, cuius causam ageret, aliorum omnium, quorum erat maxime ratio habenda, magno cum vitae discrimine oblivisceretur. Neque tamen potuit plane magnitudinem animi tuendis dignitatis partibus et Regis, et suae adeo dissimulare, non temere assuetus fortunae cedere, cui nunquam victas manus dedisset. Ita enim respondisse fertur: Enixe regios ministros orare, ut quae digna se essent, digna Solimano imperatore tanto, digna vero Ferdinando Rege, Carolo V. Caesare, qui in Christiano orbe principem dignitatis locum, augustam maiestatem inter homines obtinerent, indu-

cerent animum postulare. Inter multa felicitatis exempla, quibus ad tantum maiestatis fastigium Turcarum regiam maiores evexissent, postremo loco esse Solimano habendum, per honestas pacis conditiones, Carolum Caesarem multarum nationum et gentium victorem, cuius essent potentissimis hostibus formidolosa arma devincire, sibi aeterno amicitiae foedere licuisse. Dicere eas pacis leges Solimanum, quae et maximae essent, et dignae eo, qui tantum inter homines posset, quantum illi ut posset, Deus immortalis dedisset, una moderatione animi si statueret sibi utendum, et ferocitati fortunae secundis rebus iniicienda frena, tum cuiusmodi videri vellet, vere maximum, dulcissimum, augustissimum consensu gentium et populorum omnium futurum; neque enim praeclarius haberi, augere imperium eius, quam iustitiae et moderationis fama. Qui bello victos hostes, domitas exteras nationes, principes, populos, subactos armis suo imperio adiunxissent, fuisse in omni memoria multos, perpaucorum fuisse hanc laudem, ut quos vincere possent armis, vincere iustitiae, clementiae laude mallent, quae animi aequitas aeque fulgeat in magnis animis laetis rebus, atque in adversis fortitudo. Haec atque alia multa dicta in eandem sententiam, aeque irrita ceciderunt, nihil barbaro de tam iniquis postulatis remittente, qui praeter animo innatam ferociam et crudelitatem, quam nulla humanitatis ratio molliret, non posset sibi persuadere ex praesenti rerum statu vere Ferdinandum de pace agere, nunquam volentem, ubi parcendi facultas, animi studium consequeretur, quieturum, nisi frementem, sibi ereptam regni possessionem armis, et domesticae vires et externae deficerent. Adiuvabat male per se affectum animum ingens pur-

puratorum consensus, multis rationibus rem trahentium ad bellum, quod quaestuosum, atque uberis proventus inerti otio pro parta conficeretur, nulli esset usui praeferebant; quam enim non videre Ferdinandum, sibi per eam legationem sua sponte de suis rebus praeiudicium facere? Non illum ex animo de pace agere, sed per falsum pacis obiectum novum tum ad vires reficiendas, multis cladibus attenuatas, temporis spatium requirere; scilicet ut meliore suo tempore instaurato bello deceptos Turcos specioso pacis titulo, ut nihil aliud assequatur, novis cladibus vexatos fatiget; importunus hostis potius, quam ferox, aut viris fortibus timendus. Occasionem debellandi saepe armis superaturum, non esse sapientis imperatoris audiendis legationibus corrumpere, quae quorsum tendant, nemo non norit, certe, quae nihil aliud, quam turpem moram et inertem cunctationem iniiciant, properantibus ad belli finem, quod pridem Solimani felicibus auspiciis inchoatum, ita tum magna ex parte esset effectum, ut de eventu non esset dubitandum. Insistendum sua sponte fatiscenti iam, et horrenti in hoste victore invictas vires, quibus inferior esset, quas quidem ferendum non videretur ab eo eludi, qui fortiorem, (quod aperta vi efficere desperaret) novis artibus et fallaciis, per inanem pacis ostentationem circumvenire aggrederetur, duplici nomine plectendus, et quod non posset a se impetrare, ut melioribus pararet, recisis ac deploratis suis rebus, et quod esset paratus animo, iurisiurandi violata religione, novo scelere se obstringere, ut falleret scilicet, quem desperare in virtutis et fortitudinis contentione se superaturum. Qua barbarorum pertinacia animadversa, cum frustra legatis de induciis, pacis saepe exclusi

egissent, quoad Ferdinandus Rex et Carolus frater de his rebus consulerentur, ne iis quid impetratis abierunt. Addit et illud Iovius, facta a legatis mentione de redimendis captivis, qui multi erant, de duobus inprimo Baldessare Poskajo, [1]) et Tajsco [2]), quos, iniectis catenis indignum in modum habitos viderant, haud aequiores barbaros nactos. Cum quidem iussissent eos, ubi de pace convenisset, omnia sibi de Imperatoris benignitate spondere, beneque adeo sperarent, non de aliis captivis solum, sed de iis etiam, quos poscerent nominatim, atque adeo nullo redemptionis precio, quod Solimanus tantus Imperator, non in avaritiae sordibus, sed in gloriae decore, maximum positum haberet.

---

[1]) Bocskai?
[2]) Tahy?

IO. MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBER VNDECIMVS.

LIBER VNDECIMVS.

Interea Maÿlatus, cum non minus eum pueri orbitas, quam Ferdinandi adversae res in spem rerum novarum erexissent, sua sponte male animatum Transilvaniae populi infestus omnia praedae habebat, nullo discrimine in privatorum fortunas, atque in urbes arcesque hostilia intentando, nemine illius ferociam et audaciam reprimere armis audente. Quae cum illis diutius licere impune Georgius iniquo animo ferret, Solimanum Maÿlato multis ex causis, ut iam diximus, infensum, querendo criminandoque in eum accedere inflammareque non desistebat, innocentem puerum, Reginam matrem, tot Transilvaniae populos, unius armis obiectos, quasi in Solimani contumeliam, cuius praesidio tuti non essent vexari, omnes iam belli clades perpessos, caedes, direptiones, incendia, exustiones agrorum, impulsa rustica plebe, cuius labore atque industria populi alerentur. Quae mala atque incommoda Transilvanos pati, summi Imperatoris praesidio tectos, quem omnes in terris gentes populique venerarentur, non minus illi contumeliosum, quam Regi puero et viduae matri calamitosum esset. Quamdiu etiam vigeret apud homines Solimani memoria, cuius beneficio puer Rex et fortunas et regium nomen obtineret, tamdiu fore, ut direpta et populata hostibus armis Transilvania, incensa oppida, arces, pagi deserti,

in eius contumeliam vergerent, cuius in summa auctoritate, haud satis praesidii adversus sceleratorum audaciam innocentibus fuisset. Iam pridem Maÿlatum multis nominibus, Imperatore Solimano capitis rerum, sed ut caetera cum per se essent gravissima, tollerabilia viderentur unum admissum Grittium scelus, quo nihil sol unquam vidisset indignius, effecisse. In regium legatum destinatum eundem Ioanni Regi collegam, ad bellum adversus Ferdinandum gerendum insidias molitum, inmissis hominibus armatis, qui nec Solimani nomine, neque hospitii iure munitum crudelissime mactarent, ut in eo ipso, quantum in se esset, quod adeo infaustum omen averteret Deus, in sceleratum caput, de regia sella eum deturbaret, quo vivo atque imperante, tantum esset facinus impune ausus. Neque in eo tantum hominis amentiam constitisse: coniurasse in Ioannem Regem, contempta unius auctoritate, in cuius fide et tutela esset, populos ad defectionem solicitasse, proditum per summam iniuriam vita et regno privare conatum esse. Cum non fuisset satis domestico scelere contaminare animum, Solimanum sui sceleris administrum facere ausum, scriptis ad eum litteris, quae ut eo regno deiecto, quem sibi defendendum adversus uniuersum terrarum orbem Solimanus suscepisset, pateretur Stephanum Maÿlatum in Vngariae regia collocari, sceleris praemium nullo supplicio expiandi, regnum maximum atque opulentissimum nactum. Ad tot facinora, quasi additamenti loco, sumptis adversus eos armis, quos Solimanus acceptos in fidem, aetate et sexu invalidos, suo praesidio munisset, non Dei immortalis vim, non hominum existimationem, non Solimani maiestatem veritum, in cuius nutu satis suis esse praesidii adversus vim

omnem, aequum esset, ut innoxios spoliare atque evertere regno, nihil sibi reliqui fecisset. His incitatus Solimanus, Balibego uni ex copiarum ducibus negotium dat, homini impigro, et cumprimis bellicae rei perito, ut cum delecta militum manu in Transilvaniam contendat, atque eam provinciam a Maÿlati vi atque incursionibus tueatur, adiecto in mandatis, ut non prius bello absistat, quam eo aut interfecto, aut in potestatem redacto, liberam provinciam armorum metu Regi puero tradat: simul ad Petrum Moldavorum dari litteras iubet, ut coactis extemplo copiis Balibego occurrat, atque cum eo communicatis consiliis, bellum adversus Maÿlatum gerat. Ita dux adhibita celeritate, eum ut opprimeret imparatum, magnis itineribus in Transilvaniam, atque instructas omni bellico apparatu, secum, Moldavo adiuncto, copias adduxit, praemisso equitatu, qui totum illum tractum longe amoenissimum vastando, urendoque omnia popularetur. Accidit Maÿlato, praeter omnium opinionem suumque adeo fatale malum, quo id minus declinare aut vi aut consilio posset, sive litteris confiso, quas assentationum et blanditiarum plenas ad barbarum scripserat, sive magnitudine largitionum, quibus sperabat se regios ministros devinctos habere, ignarus quam iis esset levis fidei cura, quibus esset venalis fides, certe qua mox frustratus erat periturus. Iam eius adventu cognito, Maÿlatus diffisus adversus tantam vim se parem fore, ubi proelio decertandum esset, se in arcem receperat, eo ex agris undique magnam commeatuum vim, regione feracissima, annonae facultatem ingentem suppeditante, suis subvehere iussis. Erat autem eius inprimis initum consilium: si quantum ineunti prudentiae, tantum retinenti constantiae fuisset, constitue-

rat enim, cum arx loci natura et opera satis munita esset, hostium impetum mora eludendo, in longum tempus ducere bellum, fore non desperans, ut hostis morae impatiens soluere obsidionem cogeretur. Interea arte agendum arbitratus, qua saepe in magna desperatione rerum omnium apud barbaros homines, magni momenti res ad laetum exitum perductae essent; sibi opportunitatem aliquam oblatum iri sperabat ad Solimani animum leniendum, et Rostani genero et aliis, qui plurimum gratia in regia poterant, muneribus in sententiam traductis, quod eius consilium, cum assecutus hostis coniectura, minime fore dubitaret, quin ubi vi agere aggrederetur, is belli eventus esset, quem Maÿlatus sequeretur, communicato cum Moldavo consilio, dolo incautum aggredi constituit. Erat in Moldavi castris Balthazar Bornemisza, et nobilitate clarus vir, et inprimis callidus. Eum, simulato animi studio, Moldavus in arcem mittit, suasurum Maÿlato, ut damnata animi pertinacia, arcem dederet, spe iniecta, quod desperaret se assecuturum armis per regium praefectum, hominem non alienum a mitioribus consiliis, a Solimano impetrandi, modo per se bene affectum celeri deditione, eius sibi delinito animo, conciliaret. Spondere se, ubi opus esset, vitae etiam suae periculo, ubi praesens Balibegum adiret, quibus mallet conditionibus cum eo se transacturum. Hominem esse humanissimum, et qui longe abhorreret a Turcarum immani illa barbarie, qua plerique in nostros ferrentur, iam pridem eundem propter summam virtutis et prudentiae opinionem cumprimis apud Solimanum gratiosum. Auderet modo se permittere amico homini: Cetera prolixiora sua ultro se spe dedentium secutura, impetraturum quidem se ab eo litteras, qui-

bus accepta publica fide, liceret illi tuto in castra venire, ubi coram liceret commodius de pacis conditionibus agere, quas se sperarent accipienti, quam danti aequiores, haud esset frustra futuras, quam in rem se illi obstringere suam fidem. Quod vero consilium esse in arce delitescentis? posse ne animum inducere, hoc credere? tutum se diu adversus Solimani vires futurum, quas totius Christiani orbis consensus formidaret. Redimeret vero nobilissimam Transilvaniae regionem, afflictam patriam per tot annorum spatium, tot belli detrimentis, tot pestibus, tot cladibus, tot malis, quando una modo spes salutis ostenderetur per voluntariam deditionem quaesitae, quae in principio esset futura salutaris, ita sero expressa vi dedere se certum esset exitium allatura. Ex Vngaris, qui princeps nobilitatis haberetur, Prinium in Ferdinandi partibus haerere: Terekium coniectum in vincula apud Solimanum, ut si quid puero Regi accideret, nemo esset illi principatum in Transilvania praerepturus. Quibus auditis, Maÿlatus, quod fortuna ubi cunctaretur, ab invito extorqueret, gratum futurum arbitratus, ubi proficisci a volente videretur, rem quidem sibi esse cum Ioannis Regis herede respondit, non cum Solimano, cuius, ut deberet, sibi natus esset pro imperio. Ita vero sibi esse exploratum illius animum, ut non dubitaret, quin si causa sibi reo apud eum esset dicenda, iudicem eundem et actorem, quemadmodum esset superior iure, ita inimicus disceptatione superior esset futurus. Neque abhorrere se a pacis consiliis, et paratum venire in castra, ubi dux tradito sibi filio obside, quem secum haberet in castris, fidem fecerat venienti fraudi non fore. His Balibego relatis eum ut speraverat, res recte procedere atque ex sententia videretur, et ita

placuit respondere: quod eo esset animo, ut quod munus sapientis esset, tutiora consilia ferocioribus praeferret, nemini magis eum quam sibi consulere, cavere illi obsidibus datis, consentaneum videri, filio obside non magis, quam si animum sibi tradi postularet. Quod tamen medium consilium haberetur, secuturum se, ut qui suae fidei apud illum obsides essent, delectos equites, et qui militiae honestos ordines duxissent, ad eum mitteret, quo minus suspicari posset, se eorum libertatem et salutem neglecturum. Interea de illius postulatis, quibus non dubitaret, cum essent aequissima, quin Imperator pro sua aequitate atque altitudine animi benigne responsurus esset, se acturum. Certe si de se omnia speraret, quae de studioso dignitatis suae homine expectari aequum esset, quod damnatis belli consiliis ad pacis conditiones descendisset, recte se atque ordine fecisse. Iam pridem non perfecisse Solimanum, qua sol terras illustraret, multis constitutis atque illustribus summae virtutis et fortitudinis monumentis, ut qui ferocia posita sese receperunt in illius benignitatis et clementiae sinum: bene rebus suis consuluisse credantur. Nihil vero sibi certius, quam secutum ea consilia, quae optima esse, ut tutissima ratio temporis probaret, cui semper viri prudentes sibi parendum statuissent, laetum rerum eventum sortiturum. Ferociam animi in dispari contentione rerum infelicem semper fuisse. Neque adhuc cuiquam cum Imperatore Solimano haberet institutam contentionem, armato pervenire licuisse, quo animum intenderet. Multa adesse praeterea, quae illius vota spemque ordinarent. Regem puerum praesentia tempora non postulare in magna rerum commutatione, quae Ioannis Regis mortem sint secutae, sublatis in

spem rerum novarum multorum animis, mutantibus populorum studiis, qui ad omnem rumoris auram mobiles, regimen et foeminam et innitentem flexa tutorum fide, aspernarentur, dubio postremo belli eventu, qui in eius causam, qui superior armis esset, inclinaret. Quam illi vero spem in animi pertinacia superesse adversus Solimani vim tantam retinendi arcem, qui iis semper formidosus hostis, quibus arma inferret, quanto formidosus magis esset habendus, ubi gerentem bellum (id quod tunc accideret), causa adiuvaret. Ita enim Transilvaniam tumultuari, ut tamen, quae melior pars haberetur pro pupillo et vidua matre, quae popularia nomina plausum et favorem vulgo innocentibus conciliarent, ostenderent se pugnaturos. His in hanc sententiam dictis a Balibego Valachi aliquot infimorum ultimi deliguntur, qui cum cura detersis sordibus atque illime corporis, cum honestatis speciem, atque animi indolem ornatus indutis, oroserica veste conciliarent, pro obsidibus dantur. Quibus acceptis, ut sunt procliuia humana ingenia ad ea credenda, quorum cupiditate tenentur, Maijlatus fide habita fallacibus verbis in castra proficiscitur, quo simul ventum est eluso prolixis barbari pollicitationibus catenae iniiciuntur, unde mox cum frustra fidem et gentium iura, ubi nulla erant, ad Solimanum victus mittitur felici expeditionis exitu, provincia metus belli celeriter liberata. Facti obsides fallaci persona, tametsi ex infima plebe, ubi, errore patefactio, fama eorum, quae in castris acta essent, in arcem manavit, Balibego ultimum supplicium Maijlato minante, ni incolumes dimitterentur, paulopost in castra redierunt. Majlati miserabilem casum, si quis rem magis atque hominem, quam causam expectat, deditio arcis secuta,

atque ea tradita pueri tutoribus est, haud militibus invitis, qui in praesidio erant, quibus deditio quaestui, pertinacia erat pesti, atque exitio futura, tacebant vero sua sponte Transilvani pupillo Regi, non solum ob causam, quae aequissima videbantur, sed ob patris memoriam, quam dum viveret, aequaliter populis ius dicendo, rempublicam recte administrando, tuendo nobilitatem, atque omni genere prosequendo, honoris multos complectendo beneficiis aeternam eorum animis consignasset. Nam et tempore belli, cum Saxones eum in oppida non admitterent, qui cum Ferdinando Rege sentiebant, id quod spectatae fidei homines nobis retulerunt, non secus se gessit, milites in provinciales ab iniuria et maleficio prohibendo, ac si in pacato agerent, et non adversus hostes, sed pro suarum partium hominibus gererent arma. Non convenit Iovio, cum aliis, a quibus mutati sumus in huius rei narratione; alio duce rem actam, alia fallacia impulsum Maijlatum in fraudem, et redactum in potestatem, non ubi primum venit in castra, sed postridie eius diei captum, cum barbari subdola oratione illectus, et in comitatis speciem composita, rogatus ad convivium venire non recusasset, minime subesse fraudem arbitratus, cui pridie redire incolumi licuisset. Ita vero rem actam refert, cum in longiorem horam producto convivio, ut barbaris mos est, consulto a conviviis ingenii oblata occasio esset, qui contumeliae insolens, sibi fieri convenitum a barbaris nimio paciebatur, ab omnibus, qui epulis intererant, in Maijlatum impetum factum. Cum is in ultimo discrimine dignitatis magis suae, quam fortunae memor gladium eduxisset, atque aliquamdiu frustra unus multorum impetum sustinuisset, comprehensum, et mox

cum comitibus vinctum ad Solimanum missum; venisse autem in castra affirmant cultum ornatu, atque in barbaricum morem veste multo auro argentoque contexta facultatem, ostentanti ingenii nactum, ex Gritti praeda, cum hoc illi, ubi etiam sceleris, argumentum nullum haberet, totum videretur praesentis fortunae, et temporis memori, dissimulandum; ut aut stolidum plane quemdam hominem Maijlatum fuisset, nullius consilii dicendum sit, quod minime in illum cadere videtur, aut temere de illo scripsisse, qui hoc temere crediderit. Quocunque modo rem gestam, administratam ferant, de eo inter omnes convenit per Moldaviam auctorem factum, ut proditus per interpositum barbari fidem in potestatem veniret, id quidem eo consilio, ut Soliman, offensionem vitaret, cuius quanti esset odium, redimendum gratia, quanta constantia recuperata retinenda, magno vitae in fortunarum discrimine semedidicisset. Interea ut ad institutam narrationem reveri tamur, dimissis tristi responso Ferdinandi legatis, Solimanus Mahometem Tauruniensem Praefectum, assumpta equitatus parte populabundum late excurrere, qua Ferdinandi ditionis oppida fines attingerent, inprimis in finitimam Austriam impetum facere, non sexui parcere, non aetati, et quorum unam atque eandem causam jus belli redderet, communem eodem omnes loco habere jubet. Neque hac vastitate contentus Cassonum cum equitum voluntariis, parte alia praemittit, qui Silesiam, Moraviamque, late fuso belli terrore, caedibus, populationibus, incendiis vastet, nullum saeviendi modum crudeli atque immiti barbaro inveniente, quo raperet infessum Christianae nomini aeternum susceptum in miseros odium. Sed tam immanis imperii atrocitatem fortior fortuna, humanis

consiliis elusit, fremente Solimano pulcherrimam sibi occasionem manibus eripi, per populorum caedem, excidia urbium, agrorum vastitatem, christiani sanguinis acidum animum explendi. Ingens vis imbrium subito affusa impetum impressit ex sequentium per omnia cladium genera barbari imperium. Vsque eo vero saeviit tetra tempestas, ut diutius opinione tenentibus imbribus, et nihil de magnitudine sua remittentibus, neque undari solito altius intumescentes amnes, neque traiici ulla ratione lintribus possent, cum aquis riparum crepidines superantibus, frustra adnixi remis contisque appellare crebris vorticibus transverse adductos conarentur, nostris certior inde fides numinis in malis suos respicientes cujusvis furentibus barbaris, et Christiano orbi pestem, atque excidium minitantibus, injecerit ferna. Ergo Solimanus, jam autumno appetente, omni tempore minime idoneo rebus gerendis, planis locis, et ob crebro interfluentia flumina, aquarum irriguis, quae impedimento essent, quo minus copiae commode traducentur, discedere primo quoque tempore est coactus, Solimano genere Vngaro Budae praeesse jusso, cui jus, fidem, prudentiamque prospectam habebat. Eodem fere tempore Hieronymus Laskius infelici functus legatione exmittitur, quem Solimanus secum Byzantio adductum, liberari custodia asservandum Tauruni reliqueret, Budam ipse cum exercitu ad bellum profecturus. Acceptus fuisse inprimis Solimano dicitur praeter eximiam prudentiam et cognitionem maximarum rerum, ut alibi commemoravimus, elegantia morum, et comitate atque affabilitate sermonis quadam admirabili, quam a natura insitam studium augebat, ut non Solimano solum, sed amicis interioribus

etiam esset cumprimis gratus. Quo minus natare (?) missus fuerit, nunciato Solimano Caesaris Fregosii et unicoris caedes fuerat impedimento; missos a Francisco Rege cum Solimano foedere vincto Byzantium maximis de rebus, Caroli Caesaris ministri, ut tum ferebatur, in transitu Padi amnis curaverant insigni quidem cum Galli Regis offensione et Solimani adeo, quorum alter carissimorum hominum jacturam, Fregosii inprimis rei militaris gloria clari hominis uterque in duoum caede violatam nominis sui maiestatem et jus Gentium quaerebatur, interficiendos, quam tam animi offensionem facile Laski litterae sustulerunt, quibus docebat, non in Ferdinandi ditione, ut ille crediderat, sed in insubribus, quae gens Caroli Caesaris imperio pareret, caedem factam. Neque vero fuisset Rinconi committendum, homini Hispano, cum a Carolo Caesare, quaecunque illi causa defectionis fuisset, ad Franciscum Regem transisset, ut exul majestatis damnatus, sui ipse exitii auctor, ultro quasi se traderet sciens, et volens in potestatem. Non. enim ignorabat agere se posse e manibus eius evadere, cuius longe late pateret in gentes et populos multos imperium. In Italia praesertim, unde verisimile esset, multos comparatos, qui aditus, egressusque illius omnes observarent, quam spes esset, per longum terrarum spatium e Gallia in Traciam commeantem interceptum insidiis de medio tolli. Fuerat Rinco Francisci Regis diu apud Solimanum legatus, ad quem remissus e Gallia, quo antea erat a rege revocatus multa afferre credebatur, quae permagni referret, Carolum Caesarem non ignorare, ut non una esset causa caesarianis illum interficiendis, quod Caesaris transfuga, se ad Regem inimicum contulisset; sed quod spes

esset, Regis litteris cum mandatis interceptis, de occultis eius consiliis, inceptisque omnibus Caesarem certiorem cognituri. At Laskius ad Ferdinandum reversus, expositis cum fide omnibus, quae obeunti triste legationis munus evenissent, ut in posterum certiora consilia inire de belli ratione possent, in Poloniam a Ferdinando facta potestate rediit, eundem vitae finem et legationis sortibus. Paulo post reditum non ad suos et alvi profluvio correptus, cum sisti nulla ratione posset vincente medicorum industriam et sedulitatem, morbi vi sublatus interiit, vir omnium consensu dignus, qui inter paucos nostrae aetatis homines, quorum prudentia et consilio, magna regna atque imperia administrata essent, conspiceretur. Per idem tempus Carolus Caesar peracto Ratisbonae Conventu, in Italiam accelerato itinere contendit, adversus omnem sententiam obfirmato animo, qui cum e longinquis et transmarinis bellis anni temporis minime gerendis rebus oportuno, ad respiciendas Vngaricas res avocabant, quae adducti in extremum discrimen frustra vindicis, atque ultoris in fidem, atque opem implorabant. Erat vero illius consilium instructa classe in Africam navigare, idque omnium opinione celerius, quo opprimeret imparatos barbaros, qui infestum mare inferum suis classibus faciebant omnium maxime ne quidquam clamante, atque expostulante Ferdinando, Turcae Vngariae Regnum prodi, Christianam rempublicam nationes multas, et gentes destituti summi Imperatoris praesidio, quae praedae hosti infestissimo relinquerentur, tot reipublicae vulnera illata a primis usque Solimani temporibus, quibus obrutam non concidisse, cum nihil spei esset, in illa humana ope, res miraculi, et portentae similis haberetur, amissam Rho-

dum, expugnatum Belgradum, duo propugnacula validissima. Ludovicum Regem cum magna nobilitate caesum, eorum malorum originem, quibus convulsum Vngariae Regnum, ad exitum rueret. Inde enim ortum per regni controversum ius, inter duos Reges discidium, civilia bella, apertum aditum hosti potentissimo ad Christianum orbem exscindendum. Quibus malis tantis cum spes esset minus Imperatoris Caroli virtute, et felicitate aliquando finem impositum iri: funestam fati vim Christianis populis certam victoriam de immani barbaro invidentem, unum Solimano formidolosum hostem in Africam, orbis terrarum partem diversam rapuisse, gesturum bellum, quod infelicibus auspiciis susceptum, vix credi potest, non parem inceptis exitum habiturum. Neque vero haec una erat modo Ferdinandi quaerela, sed Italiae, Germaniae, populorum, gentiumque omnium, quicunque in Christiana republica censentur. Quaeri a Carolo Caesare Turcam longa maris navigante, ac difficillimo anni tempore in Numidiae finibus, qui praesens erat, et populetur Austriae et Xerbaniae agros, non in Iubae, sed in Constantini Regia inveniendum, eadem olim sede maximi inter homines imperii. Quocunque loco Solimanus sit, illic Numidiam, Africam, Aegyptum inveniri, caput petendum, quo abscisso, sua sponte cetera corruant, nullas tum futuras barbarorum classes, quae infesta maria habeant, nullos futuros praedones, qui impunae legant Italiae oram, urbes deripiant, agros incendant, in servitutem foedissimam homines abducant. Haec iactata in sermonibus, ne Iovius quidem dissimulat, acerrimus partium Caesaris in scribendo propugnator, quod usque eo libere ait, agit, ne citra ullam dissimulationem, ut eorum nomina

etiam edat, qui eum aperte cavillari, et libera oratione perstringere in convitiis audaci sint. Interea Isabella Regina cum filio infante, vix satis decore privatae matronae comitatu pervenerat ad Transilvaniae fines, cum suis praemissis, qui de suo adventu Regni Principes facerent certiores, at si iam sua sponte de communi salute solliciti, cum audissent illam adventare, ei obviam miserant, qui illam impense orarent, ut in finibus abstineret, rem cum sua adversa fortuna magno cum populorum malo, quorum otio et securitate esset consulendum, coniugi publicam vellet. Satis documenti Budenses dedisse, quid esset Transilvanis timendum, positis mediis inter Turcam et Ferdinandum; quorum qui minus aequus iis esset, vix exploratum haberetur. Uno quidem nomine se Ferdinando invisus, quod discidii tempore, in causam Ioannis Regis aliquando propensiores, quam suae rationes postularent, suum in illum studium, nunquam illius secundis et adversis rebus dissimulassent, cuius nimis iniustum praemium essent relaturi, si nondum eo mortuo, belli illa fax funestissima, quamdiu Regnum Vngariae arsisset, restringueretur. Excitatum in Vngaria incendium illic ibi esset ortum, pateretur restringui, neque committeret, ut posita Transilvania procul a belli periculis, eodem incendio, una Isabella Regina quasi praeferente facem conflagraret. Certe principium esse ita obfirmatos animos, ut non essent passuri, illam in provinciam pedem innisi coactis armis, inniti illi quidem, sed nulla sua culpa, quam quidem nemo non videret in fortuna et ratione eorum temporum, positam esse, quibus qui ultra et volentes non obsecundarent, saepe contra atque ipsi vellent, et non insegne, sine suo malo obse-

cundare cogerentur. Hoc tamen tristi denuntiatione Regina territa, cum frustra precibus, pollicitationibusque multis, minis interdum atque acrioribus verbis, quae iustus animi dolor exprimebat, revocare a tam pertinaci consilio Transilvanos coacta esset, de suorum sententia in Lippam, quod illi oppidum cum toto illo terrarum tractu — Solimanus attribuerat, se recepit sero questu, apud barbarum quesitum adversis rebus perfugium, de quo tanta cum suae dignitatis, atque imperii iactura esse dicendum, quod integrum a Ferdinandi armis se filio conservaturum male credidisset. Quo magis agnosceret tantum inflagitum sua culpa admissum eo se doloris sensu maiore augi; multis enim partibus . . . . . ei animi poenam, qui innocens lueret. Cum vero et ius esset praestare culpam, sic aeque esset effugere poenam. Quae quidem quamquam ad hunc modum augeretur a magnitudine animi subditum, sibi petendum adversus praesentem fortunam existimans, Georgium cum mandatis in Transilvaniam mittit, qui per studiosos Ioannis Regis homines, quorum adhuc superesse multos non ignorabat, agere accuratius de puero Rege, cum vidua matre recipiendo, in quem vix verisimile videretur, tam immanes et crudeles futuros, ut pupillum orbatum patre, eiectum meliore, ac potiore parte regni, multis aerumnis et calamitatibus circumventum, quae eo essent graviores, quominus earum sensu tangeretur, patarentur excludi patrio Regno, quamdiu memores essent Ioannis Regis, cuius in se essent mitissimum Imperium experti. Haec aliaque multa Georgius commemor credo permisit, ut non intra fines solum, sed in regiam urbem etiam Reginam admitteret. Neque is sui oblatis, ut penes se unum cura aerarii atque

universi Regni administratio maneret, imperavit, puero ita regiis insignibus praemissis, ut ipse pannosus, lacerus ac pulla veste indutus, quo ornatu tegeret vastum cupiditate animum in summa potestate positus conspiceretur. Ergo laeta Regina cum parvulo infante in Transilvaniam ingressa, Albam Iuliam, olim Episcopi sedem, sibi Regium destinavit, urbem cum situs opportunitate et clementia caelitum ubertate soli, cui nihil non fortunae effusae largita est, quare beatissima haberi posset, dignam unde populi gentesque iura peterent. Namque in colle posita, sensim levidius se in planiciem demittente, olim ad amnem usque Marusium, ut non male creditur, pertinebat, qui planiciem intersecat, nunc vix altero stadio a flumine abest, cuius rei fidem faciunt, multa, quae quotidie eruuntur priscorum aedificiorum monumenta, in his, quo tempore, haec a nobis scribebantur, inventus, atque ductus intus stratus totus quadrato lapide, atque a lateribus, et superne crustis marmoreis tectus; tum insitata magnitudine potius, quam insigni opere, aut artificio nobile monumentum, nullum inscriptum elogio, quod quidem in eo conditi aut Regis, aut viri Principis sit index. Id Stephanus Princeps, nunc Polonorum Rex, ab ima planicie, ad maioris aedis fores, quibus est a septemtrionibus ingressus in templum, magno operarum molimento asportatum collocandum curavit. Nam et in Regiae area priscae antiquitatis monumenta alia conspiciuntur, sacrae arae, sepulchra, columnarum, tabularumque fragmenta, quae grandioribus litteris incisae, urbem nobilem olim fuisse testantur, et incolarum cultu ac frequentia celebrem, unum omnium argumentum clarissimum, magna numismatum vis, neque ex aere solum, sed ex argento

etiam, atque auro, quae agrestes Valachi passim in agris eruta vendunt. Ex multis quidem inscriptionibus coniicitur deductam olim coloniam a Troiano atque ab eo Vlpiam Iuliam, ut videtur, inde vetusto nomine depravato Albam Iuliam appellatum. Procopium sane video, id quod ante me alii, Vlpiam urbem vocare. Nam Iornandes, qui vixit Iustiniani temporibus, anno fere IↃXXXI. a Christo nato, Vlpianae villae mentionem facit. Ager totus ferocissimus cum aliarum rerum omnium, tum vini inprimis. et quidem quod aliis praeferatur, quae e vicina Saxonum regione inportantur, multo iis mitius certe, atque austerum minus. Iam quod inventu rarum est , crebrae auri fodinae, et unde purissimum eruitur, tum argenti, aeris, hydrargyri, ultro ab urbe milliari, quae Staladnae rudera vulgo appellantur. Antequam Isabella Lippa discederet, de illius et amicorum sententia, ita totius Regni administrationem dividit, ut Petruitius, quem sanguine Regiam attingentem, et aetas iam grandis, et liberorum orbitas, praeter integritatis famam, ab omni Regni suspicione liberabat, Themesvarium obtineret, tum Lippam, aliasque urbes, atque arces omnes, quae tota ea regione spectant ad orientem solem, atque inde Lugas et Caransebesium, cum Rascianorum finitimis, quos alii Bardanos, Scordiscos alii fuisse affirmant, ad Belgradum, et Danubium usque; hic provinciae finis constitutus, Giorgio, praeter duo optima sacerdotia, Varadiensem et Chanadiensem pontificatum attributi Vngariae inferioris Comitatus omnes, quos nunc vulgo appellant, qui ab Transilvaniae finibus ad Tibiscum usque amnem pertinent, Zathmarum, Bihorffum, Zolnochium, Bekesessum. Quibus haud contentus, nomine obviam ire, adveniente in summa po-

testate posito, praevalidas artes in Transylvania variis artibus Regina elusa, suae ditionis fecit; iam ad maiora avecto animo, civitates donis et largitionibus multis princeps titulis atque extraordinariis honoribus sibi conciliare studuerat, de quibus erit suo loco dicendum. In superiore Vngaria Leonardus Caecius Cassoviam et circumiectas arces, pagosque obtinebat. Albam sibi Regina delegerat, ut diximus, quam superiores Transilvaniae praefecti sibi Regiam constituerunt, in his IoannesRex, qui iam inde a Ladislai tempore provinciae praefuerat. In ea urbe Regina aliquot annos cum filio egit, ita tranquillo animo, et soluto omni cura et quidem ubique flagrante Ungaria Trachio bello, ut eius fortuna, qua paulo antea contempsisset, multo infra suam spem positam, praesentem statum rerum aestimantem non poeniteret. Quae dum in Transilvania geruntur, Ferdinandus cum ex Solimani superbo responso facile intelligeret sibi certum denunciatum bellum, Novizolium, quae est urbs, sita in Austriae finibus, conventum Principum indicit, facta potestate conveniendi iis, qui etiam in Regis pueri ditione censerentur; cum iis cavisset, quod adversus se pro puero arma gessissent, id illis fraudi ne esset. Causa gravissima indicendi conventus ferebatur, Ferdinandi studium inter Vngaros pacis et concordiae conciliandae, expostulantibus multis, propter intestina bella, dum alii e duobus Regibus alterum, alii alterum sequuntur, et patriae simul omnes, et fortunas privatim amittere quaeque essent homini maxime in vita petenda, liberos, coniuges, salutem, libertatem, cuius iam spem omnem depositam abiectamque haberent, incertis sedibus qua extorres caeca fati vis et mentis error ageret miseros, vagantes; aequum videri si

ius, fas, religionem ullam, quam colerent, Vngari agnoscerent, eodem in posterum omnes consensu, restitutis, quae quisque possideret, quod iuris et ditionis alterius esset de tuenda patria aeque soliciti, adversus communem hostem intenderent vires, quae aeque omnium exitio immineret, quicunque in Vngariae Regno censerentur, sive illi Ferdinandi imperio pararent, sive pro pueri causa gererent arma, cum quidem cuiuscunque factionis esse dicerentur, eiusdem patriae, nationis, gentis Vngari essent. Interea vero sperabant Ferdinandum, pro eximio suo in Vngaros studio, conventum Principum a fratre Carolo indicto, cum Germanis acturum de summittendis auxiliis adversus Solimanum gerentibus bellum; cuius conventus initium Spirae kal. Ianuarii edictum esset. Aliquando modum inimicitiis et simultatibus statuendum, atque ea arma, quae ad eum diem inter se destrinxerint fatali pericti malo, in immanem hostem convertenda: quem ne credant, pro aliena victoria pugnare heredi Ioannis Regis faventem, etiamsi satis superbe se, male cautis hoc nomine venditet, superioris belli exitum ostendisse, exacta regia urbe cum innocente filio Isabella Regina, iis, quorum sanguine victoria esset parta, in dicta causa damnatis, et in vincula coniectis, quorum in dubio relinqueretur, maior ne esset habenda nobilitas, an virtus. Neque hoc magnopere mirandum videri rerum peritis, et qui non ignorarent, quibus rationibus illigati populi tristi servitio volentes, nolentes in officio contineantur. Fuisse enim semper hoc tyrannorum institutum, quorum Regnum raro in viros fortes et claros maiorum gloria sit diuturnum, ut quorum virtus nobilitasque excellat, ne sit, quod domesticae luci officiat, de medio tollant: ex in-

fima plebe homines tum efferant ad summos honores, nullo suo aut maiorum merito, tum copiis divitiisque augeant: quae cum habeant libertatem, potiora facile patiantur, quorum beneficio honoratiores agant, et multis vitae commodis fruantur, eos una cum libertate, quam venalem habent, oppressa libertate patriae, impune melioribus imperare. Hunc fructum Terekium navatae Solimano operae adversus suos, hunc triumphum de patria victa et redacta in servitutem egisse, ut spadonis rugosi mancipium, vitam in ergastulo agat, situ et squalore obsitus, qua quidem nulla sit mors, nullum sit suplicium viro forti non tolerabilius. Ita in unius viri exemplo tam illustri loco nati, instructi tantis opibus fortunae, animi, ingenii, qui non videat, quae omnibus fortunae immineat, quos fallax spes melioris rerum exitu alat, cum plane quid timendum sibi, quid sperandum sit, videri ignorare. Movisse inprimis omnium animos oratio fertur, non ex unius, sed ex omnium ore simul visa manere: ut inter se complexi omni humanitatis officio certarent, sic in posterum comparatis animis, ut pro patria in acie nidia, cum de copiarum numero, quartum quisque peditum, quartum equitum contribueret, tum quod unum omnibus erat praevertendum de belli ducibus actum. Qui numerus fuerit, non traditur: duces delecti duo Andreas Bathoreus et Petrus Perinnius, quorum communi consilio, pari auctoritate res bellica administraretur. His ita constitutis, cum iam appeteret tempus, quo ex Caroli Caesaris praescriptione erat conventus Spirae agendus, eo iussit frequentibus Principibus convenire, quorum suffragiis de summa imperii decernitur, proficiscitur, nihil prius agi, quam de inferendo Turcae bello passuros. Id

quo minus facile impetraret Francisci Regis legatus effecit, ob eam causam iussus his conviviis interesse, ut Ferdinandi Regis postulatis, simulato pietatis studio obviam iret: sive enim illum odium in Caesarem moverit, potentiae emulum, sive studium minime obscurum in Solimanum, cui gratificari in omnibus studebat, sive alia causa, quae nobis sit minus comperta, a communi Regum consensu discessit; unum ipse quidem videri noluit spectasse, christianae reipublicae otium, afflictae per tot annos perpetuis bellis. Cuius vires attrictas, ubi cum Solimani florentissimis conferentur, fore non dubitabant, quin insignis a nostris acciperetur clades non a viribus aeque, atque ab animo paratis; quorum neutrum ullum habet usum ab altero separatum. Ergo cum de Thracio bello, referente, ut sit, Ferdinando, sententiae prorogarentur; regius legatus, facta dicendi potestate, in hanc sententiam diseruisse dicitur. Ita semper fuisse omnibus exploratum Francisci Regis animum in christianam rempublicam iam inde a regni illius initiis, ut insignis illi fieri iniuria ab eo videretur, qui tanquam de dubia re, de eo pluribus sibi statueret agendum, unum quidem illius studium ne posset silentio praeterire dignum, eo cognomine, abesset verbo arrogantia, quod relictum a maioribus pari pietate cultum tueretur, fecisse adversarios, qui, violato gentium iure, Regis legatos cum mandatis de rebus gravissimis Byzantium euntes, interceptos, necandos crudelissime curassent. Cum enim superiore Ratisbonensi conventu crebri nuncii de Solimani adventu in Vngariam afferentur: pro eo ipso suo eximio studio in christianam dedisse operam, et per eosdem legatos, barbari animum incensum ad bellum ab incepto avocaret, quod

non Vngariae solum, sed finitimae etiam Germaniae, intelligeret ingentes clades, vtinam non pestem atque exitium importaturum. Hoc esse Regem officio functum, ubi liceret, per caedis ministros, ex litteris Regiis, notis arcanis scriptis, quae apud illos exstent compertum iri: cuius officii fructum uberem sibi ad gloriam atque ad hominum famam futurum, ita Regi praereptum inimicorum iniuria, ut eo esset fructu contentus futurus, qui a nemine corrumpi posset, et totus positus in conscientia rectissimi animi lateret. Nam quod rumores varii a suis inimicis essent dissipati, a Francisco Rege Solimanum in Vngariam vocatum; cum eos ipsos suos inimicos, coram fidem elevare, qui quiescentem hostem potentissimum, immemores suarum virium, lacessissent armis, tum viduae Reginae, et pueri Regis legatos, qui Solimani opem, suplices ad pedes obiecti postulassent. Neque vero Regem facturum, ut pluribus tam putidam calumniam diluendo agnoscere videretur, aut hunc honorem inimicis suis habiturum, molestis illis quidem potius, quam callidis suis consiliis tegendis, ut eorum accusationem responsione dignam censeret. Eum enim esse Regiae in Gallia splendorem, ut qui eo essent evecti, neque innocentes patrono indigerent, et inprobis accusatores et testes, qui reos convincerent, non deessent. Neque vero esse levem, quae iis infligeretur poena: nulla enim posse plecti graviore, quam famae et nominis iactura, qua qui fecissent, qui esse homines, nedum Reges posse, qui ad immortalis vim maiestatemque proxime accederent. Ac quanto satis apparet Franciscum Regem vere legatis mittendis spectasse, christianae reipublicae quietem et securitatem multis adversae fortunae fluctibus iactatae, spe-

ctasse Germaniae otium, quae eius nobilissima pars haberetur; rogare magnopere, ut in declaranda sua sententia de turcio bello, qua de re in praesentia consultatio esset, agnoscerent veterem suum animum, quem ab eo usque tempore, quo regnum iniisset, ita semper experti essent in Germanos beneuolum, et prolixum, ut nunqnam dubitarent, quin suam constantiam, tam praeclaro instituto esset retenturus. Daturus quidem se operam omnibus summae necessitudinis officys certando, ut omnes homines intelligerent, sanctam esse apud se veteris germanitatis memoriam, sancta amicitiae iura, qua Galli cum Germanis essent coniuncti. Atque antequam de re ipsa agere agrederentur; quod in omni deliberatione primum spectari oporteret, eorum rationibus refutatis, qui contrasentirent, quam non expediret bellum geri, qua de re deliberandum esset, breui oratione se demonstraturum. Neque vero regem ignorare: facillimum esse cuncti utilitatis partes ex presenti rerum statu, et ratione temporis, sententiarumque bellum suaderet probare. Nosse quam an plus aperiatur campus de ijs rebus verba facienti, quae in praesentia in disquisitionem venirent ad exigerandos clades, per vrbium auersiones, exustiones agrorum, populorum caedes, raptus in seruitutem, sacrorum iuxta, et profanorum locorum incendia ad interitum ruentis regni; scire, quae verborum faces ex horum commemoratione audientium animis ad eos excitandos ad arma solerent admoueri; sed illud etiam scire, quominus raperentur, vnde detereret ratio, solere prudentes homines consilio, grauitate, constantia occurrere inconsultae temeritati. Commemoraturos enim illa omnia, qui secus sentirent, ex minime ob-

scuro tamen atque intimo artificio: non Vngariae solum, cuius iam regiam Turca occuparet, sed Germaniae etiam conducere, cuius illa arx etiam et propugnaculum esset, occurrere neque tum primum orienti incendio et eo serpendo in contingentia progresso, ut nisi christianorum regum arma, sanctum amicitiae foedus et concordiam stabilem validiora reddantur, nisi idem ardor animorum, eadem gloriae cupiditas excitet inertes animos ad rem gerendam, in suis malis obstupescentes: sit de communi salute desperandum. Iam si honestas gloriae et laudis decus, fama, nomine mouerant fortia pectora; quae arma speciosa magis, quam quae suscipiantur, pro tuenda maiestate Christiani imperii, pro sanctissima religione, a barbara superstitione vindicanda, quae horrendis monstris inuoluat terrarum orbem. Germanos vero inprimis hanc gloriam manere, ut quorum semper creditae sint inuictae vires, firmissima animorum robora sumant sibi in magno reipublicae discrimine, principes pietatis partes communi omnium salute defendenda. Falli qui credant insuperabiles Turcarum vires, nunquam non imbellium, ubi vindicant in uiros. Non illos domestica virtute, non disciplina rei millitaris, non viribus ullis, quas numerus, et augeat et minuat, sed Christianorum regum discordia in tantum magnitudinem crevisse. Initi numero molles, et imbelles, quibus sit in aliena virtute, non in proprijs viribus spes vincendi, viros fortes audacia subnixos, et magnitudine animi, multitudinem numero inpares contemnere, ita vincere assuetos, ut in sua virtute victoriam non in militum numero habeant constitutam. Vicisse nobilissimos populos, Grecos Romanos, Macedones, hostium copias innumerabiles,

una virtute fretos, quibus Germani vetustate gloriae memores, ubi bellum capessunt, paribus animis non sint inferiores futuri. Nam et Joannem Huniadem patrum memoria, ut ejus Matthiam regem filium Stephano Bathoreo duce viro fortissimo, tum Alexandrum Epiri regulum clarissimas victorias non insignibus numero copiis, sed fiducia et praesentia animi, qua invicta per tot secula Germania stet, retulisse. Hoc, aliaque his similia ab his solere ex locis comunibus conmemorari, qui sint belli gerendi auctores, neminem fugere; sed illud aeque omnes scire, fieri nonnunquam injuria temporis, ut quae fortia consilia sint, ubi quis iis utatur, in temeritatem vertant. Numquam Germaniam, quantum quis vetera memoria repeterit, majoribus discidiis, controversiis, discordiis, aut de rebus gravioribus, laborasse; quae quidem, ut in corpore, quamvis optimae constitutionis, affectiones pugnantes, in fortissimis populis, et nationibus nobilissimis robur, et vires frangerent. Quod si imbecillum corpus, deficientibus viribus everteret quantumvis infirma, atque imbecilla admota manus; quid statuendum esse, ubi valentissimus agrederetur? Augere hostis vires, qui invalidus cum fortiore se congrederetur, neque ullam faciliorem explicatioremque victoriam, quam quae de eo referetur, qui sciens et prudens vinci vellet. Non esse Solimanum adeo contemnendum hostem, ut qui eum amicum quam hostem mallet, timidum, quam cautum magis; qui ultro lacesseret, et contemneret, magis strenue agere, quam facere videretur. Sigismundum Caesarem ad Nicopolim, ad Varnam Uladislaum ungarorum et polonorum regem, atque hos quidem quamquam contractis validissimis copiis, Ludovicum regem recenti memoria ad

Mohácsium suorum temerario consilio, cum ungaricae nobilitatis flore, ducentis amplius armatorum millibus, objectum ad caedem, bellum coeptum infelicibus auspiciis, pari eventu clausisse; neque tamen qui Turcam semel praelio vinceret, quod vix ei esset sperandum, qui paribus etiam viribus fretus cum eo signa conferret, continuo victorem statuendum, victurum enim proelio, invictum bello. Itaque prius invictorem instauraturum vires eum, qui esset victus, quam crederetur animum ab accepta clade collegisse. Quod si contra accideret, ut qui si victorem credidisset, sua spe falsus discederet victus, neque illi reparando bello, neque colligendo a terrore animo in barbarico solo, et procul ab omni spe auxilii, affuturas vires. At illud dici, cum Germanis, quorum maxime interesset, ungaros consensuros. De quorum perseverantia gerendo bello, quantopere sibi deberent spondere, neminem magis posse, quam Germanos judicare, qui ita paullo ante cum Ungaris arma conjuxissent, ut ungaros pro Solimani victoria acerime pugnantes, sustinerent hostes. Numquam illis, cui servirent magis, quam quanto cum compendio servirent, curae fuisse, nunc Ferdinandum regem, nunc Joannem, mox Joannis heredem puerum, vel Solimanum potius, modo quaestuosa servitus esset, dominum agnoscere paratis. Nam in Germanos adeo Ungarorum esse inexorabile odium, ut si datae optio esset, Turcae Christi nominis hosti infessissimo, quam Germano servire legitimum imperium gerenti mallent. Interea tamen non placere nudam patere Ungariam hostium armis, quorum quidem, etiam cum pacem colerent, amicitiae foedere conjuncti esset suspecta fides; unum enim Turcas agnoscere gentium jus, quo tenerentur, ut tamdiu

colendo jure gentium essent officii memores, quamdiu nulla occasio ejus violandi ostentaretur; levissima quaque objecta re, unde spes compendii esset, pacis atque amicitiae nomine, ad struendas iis insidias, qui se tutos foederis religione existimarent, abutentur. Placere arces tum muniri veteres tum novas, quam usque posceret exstrui, propugnacula erigi, firmari praesidiis oppida, importari in urbes commeatus, cetera comparari, quae oppressis subito bello ad comprimendos hostium impetus futura usui crederentur. Neque tamen, dum haec intentione cura administrarentur, placere caesari, aut actionem de pace intermitti, quae ad eum diem verbo magis inter christianos reges, quam ex animi sententia, et vero pietatis studio jactata esset. Id quo felicius succederet, dari operam placere, ut discordiae tum aliae tollerentur, tum quas viriae populorum de religione sententiae invexissent, quae non minus infestae nomini christiano, quam Turcarum arma haberentur. Eam curam Paulum tertium pontificem maximum ubi regibus tanti ejus esset auctoritas, quanti esset aequum, cum spe certa tantorum finiendorum malorum, pro mandato sibi in terris munere suscepturum. Hanc unam rationem videri tutissimam ad nullam aliam, praetera reipublicae quasatae et convulsae per tot annorum spacium domesticis atque externis bellis consulendi. Nihil verius esse, quam quod certa ratio est rerum humanarum usus per longum saeculorum spacium docuisset a disparantibus ad magna imperia, non prius armis aditum, quam eorum discordiis patefactum, quos domitos bello sibi parare coegissent. Ita sibi populum Romanorum olim viam stravisse ad totius orbis imperium, ita

per intestinas discordias et civilia bella, exhaustis viribus, terrarum dominum gentibus, et nationibus barbaris, quibus per multa saecula imperasset, succubuisse. Eandem viam insistere Turcam; quam ita majores explicatam, tutamque posteris reliquissent, ut nisi unus, qui posset hoc unum molientibus occurrereret deus ad universum Europae imperium, Christianorum regum magno dedecore, essent per eorum discordias perventuri. Id sentire Franciscum regem, svadere, hortari, ut non prius se inplicari externo bello paterentur, quam domi sublatis discordiis, liceret integras vires, et tum vere invictus, cum pro Christi causa summerentur arma in Turcam intentare. Ac si sperarent ab se posse in eo praestari oportunam operam, fidelem, et sedulam certe, id quod de se auderet spondere, daturos operam, ut aequi, atque iniqui faterentur, haud illos sua spe, atque exspectatione, frustratos. Parum haec oratio principes movit, non obscuro Francisci regis in Caesarem odio, ejus omnem auctoritatem, fidemque elevante. Cujus tamen, quae erat ratio futura, cum non de bello inferendo, quae ne integra deliberatio esset, praevertens Solimanus jam bello ultra illato effecisset, sed de propulsando ageretur! Neque vero ulla spes erat, Solimanum, cujus mancipium in regia urbe praetor jus diceret, pupillo regi magna parte sui beneficii detracta, eum finem sibi gerendarum rerum facturum: cum praesertim, irrita legatione Ferdinando arma palam, et bellum denunciasset, ita asvetus quod sponderet praestare, ut in anni tempore prohibentur, esset brevi Ferdinandus in sinum gerentem bellum excepturus. Atque hac quidem satis gravis causa fuerat indigenti majoribus viribus ad sustinendam mag-

nam belli mollem ad eos confugiendi, qui, si quid esset in bello incommodi acceptum, essent periculo propriores. Aderat tum Joannes Moronus cardinalis, magnae vir auctoritatis et spectatae prudentiae a Paulo pontifice ad Germaniae principes legatus; qui cum postularet, ut de re gravissima, et pertinenti ad summam rempublicam pontificis legato verba facere liceret, facta potestate, in hanc sententiam locutus fertur: eo consilio se a Paulo pontifice in Germaniam missum, ut quod pridem agi coeptum esset, de loco futuro concilii deligendo, maxime necessaria re ad conciliandos principum animos de religione dissentientium, et publicas res constituendas, quae versarentur in magno discrimine, aliquando transigerentur; in primis, qua una maxime cura ageretur, ut principes excitaret ad bellum in Turcam suscipiendum, si hoc modo per Solimanum liceret, qui pridem exitio Christiani orbis imminens armis effecisset, ut non de suscipiendo bello, sed de defendendo jam illato, magnaque ex parte affecto adeo, consilia a Christianis regibus essent ineunda. Nam et superiore anno cum Caesare pontificem in Etruria congressum, nihil sibi reliqui fecisse, quo accersum ab Africi belli consiliis in barbarum hostem transferret arma, quibus nihil salutare magis Christianae reipublicae, nihil magis oportunum posset eo tempore accidere. Quod cum minus impetrasset, ne nihil actum videretur, id tamen obtinuisse, ut proximo principum conventum, qui Spiram indictus esset, de summa Christianae reipublicae se acturum sponderet, inprimis de propulsando, aut illato a Turca bello, ut quiescenti inferendo nisi hostis praeveniret. Eandem postremo eo colloquio, quo inter Caesarem et Franciscum regem medius ad Nicaenum

provinciae urbem interfuisset, hac una spe incessum pacis jam diu optatae impetrandae Christianis populis perpetua scire malorum per tot annos fessis desperato pacis foedere, de quo minus convenire potuisset, iis paciscendi in decem annos inducias actorem fuisse. Ac ne consilii auctor, otiosus modo belli spectator quasi, qui e terra securi spectarent, qui adversa tempestate mari conflictarentur, et tuto loco exspectarent, belli exitium videretur, ubi caesare duce res gereretur, quinque millia peditum suis sumptibus sibi alendos alio duce belli duo millia B. C. obtulisse, qui omnes aut veterani, multis bellis essent in Italia perfuncti, aut ex delecta juventute, qui prima militiae stipendia sacro bello auctorati novissent. Hortari magnopere, ut aliquando vere resipiscenses animis, huic tanto restingvendo incendio, quo jam ardere finitimam Ungariam audirent, vires omnes intenderent, quae, cum florentissimae essent, nullis adhuc bellis libatae, viris, equis, tormentis tuenda ejus causa, cujus beneficio ea se assecutos intelligerent, maxime deberent vigere. His in hanc sententiam dictis, de componendis Germaniae discidiis, quibus nobilissima gens ad perniciem usque laboraret, multa disseruit, quae, quoniam praesentis instituti non sunt, missa facimus, et quoniam ab aliis prodita litteris passim vulgo leguntur. Ergo a Ferdinando luculentis verbis et prolixis, Caroli fratris nomine pontificis legato gratiae actae, et de contribuendo milite ad bellum ex vetere imperii formula, deque mittendis ad exteros reges legatis, ad Italos, atque ad Helvetios nominatim, et ad Christianorum Banorum regem, magna concordia actum. Satis quidem constat, nulla unquam hominum memoria, majore principum frequentia, et cele-

britate imperii comitia habita, nulla unquam consensu, et plausu majore peracta, ut si cum belli initiis postrema consentirent, ita statuendum esset, nunquam laetiores dies, aut faustos magis Christianae reipublicae illuxisse. Omnibus copiis, qui cum summa imperii potestate praecesset, Joachinus Brandeburgensis delectus, qui ne Ungaris esset in mora jam paratis ad bellum, Spira ex templo discessit. Iam nequid de esset gerentibus longinquum bellum, in civitatibus Germaniae veritim pecuniae imperatae, atque attenta cura exactae, tum quod unum maxime erat agendum, Christiano regi, et bellum a religione, et Ceremonia sacrorum auspicanti, et privati, aeque et civitates, inter quas aliquid controversiae intercederet, positis inimicitiis et simultatibus, inter se pacem colere regio edicto jussae: cum illud esset edicto adjectum, per exiguam spem fore recte gerendi, belli ubi adversus hostem Solimanum, cujus vires non numero magis, quam concordia animorum haberentur invictae, milites ducerentur, quorum distractos animos a facultate gerendarum rerum privatae inimicitiae retardarent. In una atque eadem causa sententias varias, studia diversa, odia, simultates, quae pernicionem, et pestem rem gerentibus afferrent; quos in hostem armatum exercere odia, amare inter se, omni genere officii complecti deceret. In omni gerendo bello ita esse milites animo affectos oportere; sed multo in eo magis, quod pro Christi causa essent gessuri; quae quidem pacis auctorem proposterum esset ab iis defendi, quorum arma non prius in hostes, quam in suos distingverentur. Ita dissolutus Spirensis conventus IV. Id Apr. ejus seculi anno XLII., quem quidem ab aliis dissentiens Jovius, Norimbergae actum ait; qui si ignoravit Norim-

bergensem conventum in annum insequentem indictum, viderint illius studiosi homines, quam recte sit habenda fides, res a Selimo gestas patrum memoria ad Tigrim et Euphratem scribenti. Quo autem solutioribus animis suscepta expeditio laetiorem eventum sponderet; bellum geri coeptum inter Joannem Friderium, Nauricium Saxoniae duces, per Philippi Lantgravii interpositam auctoritatem sedatum non hoc quidem magno negotio; Nauritium adolescentem magni animi vero, gloriae aestum ad ungaricum bellum rapiente. Germanorum peditum XXX millia coacta, aequitum gravis armaturae VII millia Jovius tradit, peditatui placuit praeesse Conradum Hessium, illustris nominis ducem, et qui in re militari regnum usum haberet Volphangum et Thodorium e Suevia, impigrum eundem hominem, et clarum prudentiae fama, Brandeburgensi exercitus duci attributi, octo delecti ex omni numero, quorum eximia virtus, et consilium magnis gerendis rebus eluxisset, de quorum sententia bellum administraretur, quae dum in Germania geruntur, pari Ferdinandus cura, quae ad Belli apparatum necessaria essent, adornabat, tum ex Austria, tum ex Noricis, et finitimis gentibus, fortissimis, quibusque evocatis. Horum numerus, levis armaturae aequitum delectorum X millia, quos gloriosi belli fama et spes praemiorum ingentium excitabat; qua genere equitatus maxime indigebat, et ad excursiones faciendas per plana loca et longe lateque patentia, et ad conserendam cum Turca hoste manum, qui pernicitate equi, et levitate armorum magis, quam robore, aut lacessendo hostem pugnam detrectantem, aut persequendo fugientem in terga haerens niteretur. His Hunganotus nomine, genere Stirius

praeesse jussus, insignis vir, multis fortibus factis, Bartholomeus Horvatus nobilitate idem, et rei militaris gloria clarus, qui praeerat Illyriorum turmis, et Nicolaus Zrinius, qui aliquot postea annis, magna cum gloria, Turcarum ingenti edita strage, ad Sighetum occubuit et victoria et morte Solimani oppidum clarum. Constabat ungaricus equitatus ex variis gentibus, appendicibus pannorum, ungaris immixtis: in his, quos vulgo usarones vocant, latrociniis milites assvetos, tum aliorum non contemnendum numerum, quos Gaspar Seredius ex praecipua ungarorum nobilitate, cis Danubium acerrimo delectu, coegerat. Accedebat his validior equitatus pars, quibus Andreas Bathoreus praeerat, tum veterani, et multa jam stipendia emeriti, et superioribus bellis exercitati, Perinnio duce, et praeter hos alii, qui ad ulteriorem Danubii ripam stativa habentes, Agriae circumjectis locis, adversus excursiones praesidio erant. Tantus vero tum Ungarorum ardor dicitur fuisse cum recuperanda libertate, tum vindicanda vetere gloria in pristinum splendorem, ut non desint, qui credant, Giorgium tantae suae conspirationis haud expertem fuisse, in uno cautum, ut nullo se foedere alligari pateretur, cujus ullae litterarum notae exstarent, veritum, ne quando apud Solimanum minimae fallaciae suorum oportunum, in tanto Ungarorum consensu comunicasse cum caeteris consilia argueretur. Res postea in Transylvania gestae docuerunt, id quod res novas animo agitanti erat agendum, ubi minus inceptis eventus responderet, perfugii locum, quocumque inclinaret victoria, tum apud Ferdinandum, tum apud Solimanum callido consilio sibi integrum manere voluisse, satis se gratificaturum utrique arbitratus, si neutro pro-

pendere animo medius inter gerentes bellum videretur. Quae consilii ratio non satis nobis probari potest. Non enim idem est, abstinere maleficio, id quod agit, qui se medium praestat; et copiis et auxiliis juvare, quod vere amicorum, et palam facientium est. Itaque, a victo malam gratiam init, qui ejus, a quo desertus est, auxiliis sperabat se victoria potiri; et a victore multo magis, qui superbus belli eventum eum odit, per quem non stetit, quo minus ab hoste vinceretur, illius auxiliis destitutus. Itaque laudatur illa Solonis lex, quae in civili dissensione, civitate in duas partes divisa, vetat quaqua se medium gerere; jure hoc quidem, cum uni sibi prospiciens, quasi sibi modo natus, videatur recusare, ea pericula scribere, quae dissidentibus de republica, ubi in contentione sint inferiores, obeunda intelligat; quamcumque rationem secutus hoc sibi Giorgius statuerit agendum; de eo non potest dubitari, quin ad declinandam invidiam optimum consilium iudicarit, in neutram partem ostendere inclinatum animum, memor, quantopere superiore bello offendisset, in Turcarum castris sacerdos visus arma pro Turcarum causa gerere, quamquam viduae reginae nomine, et pupilli regis elevandae offensionis gratia obtendere, cujus eadem, et Solimani causae censebatur. Accedebant ad augendam invidiam missa ad bellum auxilia a Paulo tertio pontifice maximo, in cujus verba juraverat, opimo ab eo sacerdotio auctus, ut ferendum non videretur, cum in Ferdinandi castris pontificis signa conspicerentur, adversus illum Giorgium armatum pro Solimani victoria, jam enim Paulus pontifex Alexandro Vitellio magni nominis duce, veteranorum aliquot cohortes Viennam miserat, quae

trium millium numerum implerent, quorum plerique superioribus Italiae bellis, variis ducibus stipendia fecerant, cum virtute, ac rerum bellicarum usu, tum oppugnandis urbibus maxime exercitatis. Id enim dicebatur Ferdinandus a pontifice maximo contendisse, ut cum nihil non jam magnum animo versaret, periti duces oppugnandarum urbium, et quorum virtus, hoc militiae genere spectata esset, milites mitterentur. Nam et antea ipse sua sponte, Philippum Tornelium mercede accersi erat, cum vallida militum manu, qui, eo duce Gallico bello in Insubribus meruerant, Carolo V. Caesare, cum Francisco rege decertante. Cujus exemplum alii secuti honesta incensi aemulatione, tam clarae militiae voluntarii nomina dederant, si recte volentibus, ullum praemium sperandum ex tristi etiam belli eventu, insignem pietatis laudem relaturi. In his cum equitibus sexcentis delectis Sfortia Pallavicinus, summo loco natus adolescens, sacro bello positurus militiae rudimentum. Eum deinceps evectum per omnes militiae gradus, ad summam laudem, inter claros nostrae aetatis duces, venetorum copiis summa potestate praeesse vidimus. His accedit Joannes Jacobus Medices, qui olim domestico bello clarus, quod adversus Franciscum Sfortiam Mediolanensem ducem gessit, mox Caroli Caesaris laetioribus auspiciis, per omnia bella, quae illa multa, et varia gessit, militaris gloriae praeclara monumenta constituit. Ei administratio mandata navalis belli, jam a regis adornata classe, quae numero navium, et magno tormentorum apparatu instructa transitum, hostem si qua irrumpere flumine tentaret, prohiberet. Jam et copiae Germanorum convenerant, de quibus male sibi homines ominabantur, numerus illis

quidem, florentibus et robore militum, sed dispari habitu animorum recenti adhuc memoria cladium, quae superiore bello erant acceptae, tenente feroces animos, qui Germanis fatale bellum, et adversus Turcos nunquam feliciter tentatum exsecrabantur. Alia erat Ungarorum, ratio ingenti cupiditate ardentium, e durissimo servitutis jugo patriam liberandi, quod quidem in tanto consensu Christiani Orbis, ubi praesentem occasionem complexi animo, sibi ipsi non deessent, spectabant sese cervicibus depulsuros. Alebat spem tantus belli apparatus, tot belliduces nobilissimi, tot voluntarii ex universa poene Europa exciti, quibus unum propositum sacrae militiae praemium maximum, propagati christiani imperii fines, ex devinctis barbaris parta gloria, nomen, fama, quam immani barbaro ex Ungaria pulso sibi immortalem spondebant. Non enim esse Turcam hostem, ut esset aut Germano, aut Ungaro militi timendus, si sese proprius, si Turcam hostem nossent. Non Ungaros ab hostibus barbaris proximo bello, non Germanos invictam bello gentem virtute victos; sed unius ducis culpa, qui non ingenii, sed aetatis vitio oneri fatiscens, suis viribus majori succubuisset. Dum omni plus aequo cautus momenta rerum, et temporum sibi maturius ponderanda statuisset, neque intellexisset, non tempora posita in hominum potestate; sed in opportunitate temporum posita hominum vota passum esse illi e manibus occasionem opportunissimam finiendi belli clabi, quod esset illi immortali gloriae, saluti universae Christianae reipublicae futurum. Semel vero neglectam occasionem, nullo cum usu seram penitentiam sequi, nunquam precibus, et votis omnibus expetentibus affuturam. Adhuc validis viribus, et vigentibus

subnixis, ubi fortunae, et temporis beneficio uterentur, finem bello celerem et laetum imponere licuisse, Budensibus a rebus omnibus imparatis, Turco suum adventum procrastinante, apertis urbis portis, ut, aliud etiam agentibus aditus ad victoriam pateret, per tantam neglectam occasionem admissum dedecus, cunctatore duce, et suo sangvine et suorum luisse, cum turpis cunctationis unique admisisset, esset exsolvenda poena, innoxio milite, qui nullo suo merito alienam culpam sua cede expiasset, qua plagae nullam unquam barbarus hostis christianae reipublicae majorem, tetrioremque inflixisset. Nihil perniciosius haberi in iis rebus, qua temporis atque occasionis essent cunctatione, et mora, nulli unquam usui res magnas gerentibus, nisi cum simulata esset hostis ferocia, et temeritas eludenda. Mora fiduciam animi et alacritatem in milite corrumpi, ut impetu vigeret, ita dato ad cogitandum spacio relanguesceret, morae causam quaerentibus; quo quidem multa venire in mentem necesse esset adversa atque incommoda, quae animos a re gerenda retardarent; utendum militum ardore, dum integrae vires, et vigentes spem victoriae afferrent, non hostium ferocia, et audacia magis, quam inerti procrastinatione ad omnia paventium, et circumspectantium eligendae. Quin et eam ipsam audaciam in ipsa re agenda ne verteret in temeritatem in consultam, fortuna, quae raro secunda votis hominum aspiraret, adjurari. Properato modo esse opus: cetera sua sponte audentes, quae praeclara essent consecutura. Pestilentiam in regiam urbem ingruisse, quae, Solimano praefecto cum magno mortalium numero sublato, pavidos Turcos tanquam capite truncato exarcime corpus, de spe salutis deturbasset: ita

autem in dies vehementius saevire, ut nihil certius esset, quam militum praesidium, fore ad nihilum reductum. Nam cives sua sponte male in barbaros animatos, vi opprimeret invitos infesta vis, jam Turcarum fidei periculo facto, ultro ostentantibus infesta signa portas patefacturos. In magnis rerum augustiis rem bene geri non exquirendis in consilio sententiis, qua flagrantes animos pugnae ardore restinguerent, sed in acie conferenda cum hoste mane, non consiliis, quorum nullus esset usus, cum signa canerent, et esset cum hoste confligendum terendum tempus, sed Turcarum caede et sangvine belli flammam, qua Ungaria arderet, restingvendam, intus domestici mali lue, foris belli cladibus ferendis haud pares.

Haec de Industria Ungari duces in vulgus ferebant, ut ad Ferdinandum manarent, cum non desperarent, fore et audita illius animum moverent, quae quoad illum minus pervenirent, amici interiores obsistebant, qui fere omnes Germani septam regiam et clausum ad illam aditum omnibus habebant, in quibus rex de his doceri posset. Desiderarunt nonnulli in Ferdinando, cum alia omnia essent summo rege digna, non quidem virile robur, et animi praesentiam (adfuit enim commulate) sed capiendis consiliis de maximis rebus sui fiduciam majorem. Plus aequo enim additus suis, facile etiam cum praeclare sentiret a suscepta sententia, se abduci paciebatur, quae animi fiducia in Carolo Caesare eminere maxime est visa; Nam tametsi illi minus aliquando fuit felix, non minore tamen laude in eo viguit ejus adversis, quam secundis rebus a fortuna semel, aut iterum, vera virtute nunquam ab hoste victo. Atque aliorum quidem una erat, eademque sententia, repugnantibus Germanis magno con-

sensu, ut Solimani exemplum Ferdinandus secutus ipse rebus gerendis interesset, ab ignavis, per sui aemulationem, magnitudinem animi; a viris fortibus, constantiam in gerenda re expressurus. Excitari milites praesentis imperatoris majestate ad capessendos in hostem viriles animos, qui poena, et praemio inter viros fortes esset discrimen habiturus. Pro absente, quem non viderent, non recte factorum teste, non fortitudinis haberent, tanquam ab eo, qui abesset desperarent, fortitudinis praemium promeriti referre, minus alacriter constanterque pugnare. Errare, qui crederent militem nobilem praesertim, et magni animi, eorum, quae praeclare gereret unam mercedem in decreto sibi stipendio positam habere, (quotam enim esse eorum partem, quae animo intuerentur) cum in gregario etiam milite vigeret animus gloriae cupidus, nunquam inmemore sui generis, quantumvis obscuro loco natus esset, et naturae instituto decus, et laudem appetenta; neque magis audiendos eos, qui fortissimum regem deterrere conarentur Ludovici regis exemplo. Tum tamquam caput destitutum corporis, viribus, juvenem regem, nullo usu, nulla rei militaris scientia, sine exercitu ducem, sine duce exercitum adversus trecenta armatorum millia Solimano imperatore gerere rem, pugnasse. Quid enim potuisse aut tetrius, aut portentosius exeogitari, quam militem fortissimum etiam, et invictum animo, cum ille esset adversus armatorum multitudinem innumerabilem pugnaturus, nulla cum spe victoriae, certo cum exitii metu, objicere hosti ad internecionem mactandum. Nam Ladislaum Jagellonem, qui ad Dionisiopolim pugnasset, majori gloria cecidisse victum, quam Amurathem superstitem vicissem. Quem eventum tamen quo mi-

nus Ferdinandum temere viris fortissimis ducibus, milite rei militaris perito et ob multa parta belli decora, inprimis claro, ducturum adversus hostem neque superiorem numero, et virtute multo inferiorem futurum. Nam quod absens Carolus Caesar ferretur clarissimas victorias de hostibus retulisse, non eo id probari, quod contenderent, quibus placerent meliora consilia; sed confirmari eorum spem qui honesta turpibus praeferunt, quae tamen essent eadem cum eorum salute, quibus consuleretur conjunctura. Ita enim argumentandum videri, qui absens vicisset: multo illum faciliorem victoriam, si ipse affuisset, de hoste fuisse relaturum. Ac si id, quod tum accidisset, minime dissimulandum videretur, haud potiorem victoriae causam in victoriam virtute, quam in eorum, qui victi essent, sive nimia fiducia sui, sive hostium contemptione fuisse. In medio enim belli ardore sui, hostium immemores, ita effusos in conmivia et turpes voluptates fuisse, ut tanquam in regia luxuria agerent, non in castris fortissimi regis, et adversus potentissimum hostem rem gerentis convivia agitarent, choreas ducerent, atque omnium rerum licentiae frena laxarent, se se ultro praebentes imbelli hosti etiam vincendos. Sed haec frustra tum alii, tum ungari maxime vulgo quaerebantur, quibus adversus belli eventus certam perniciem, salutem certam laetus sponderet, qui ne eos falleret, quorum maxime interesset bene rem geri, una celeritas administrando bello esset effectura. Ergo ad majorem urbis cedem suplicationibus indictis, cum rite omnia expiate crederentur, Joachinus Vienna movit, quod felix faustumque esset Ferdinando regi, Carolo Caesari fratri, universaeque adeo christianae reipublicae, vulgo hominibus laetum expeditionis exitum ac

parta de hoste victoria, milite praeda aucto propagatis imperii finibus optatum duci triumphum crebris vocibus, atque acclamationibus ominantibus. Cura commeatuum secundo flumine subhendorum a Ferdinando certis hominibus, amnis navigationis peritis, mandata, quorum sedulitas, fidem tanta administranda re, sedulitate fides, et prudentia peraequaret. Ita vero terra agmen ducebatur, ut optimo consilio ungari equites, quibus erant nota itinera, antecederent agmen, ita jussi explorare, qua suspicio esset hostem adventare, ut servatis ordinibus, et sub signis incederent, ea ratione ab hostium insidiis, et aperta vi tuti futuri, ut enim palatos excipere, si qui a signis temere delaberentur, ita occurrere universis misuri non credebantur, verisimili conjectura nulla adhuc contracta manu, quae par esset, et totius exercitus vim, atque impetum sustinendum. In primi agminis fronte Italum militem placuit locari, cui Alexander Vitellius praerat, ubi occasio postularet, principem pugnae locum minime recusaturum; tantum enim honorem viris fortibus deberi credebat, quorum exemplo alii discerent rem in hostem praeclare gerere. Longe uno praestare principes ad recte agendum praeire, quam praeeuntes sequi, non aeque sua sponte impigros atque industrios futuros. Ita certe fecerunt Vitellium cum exercitus imperatore cavillatum. Quaecunque illi causa fuisset, Italos milites in fronte locandi, fortitudinis laudem illos Germano militi praerepturos. Pallavicinus cum suis jussus his ad subitos casus subsidio esse, qui virtute et ornatu armorum insignes omnium in se oculos convertebant. Hos ungaricus equitatus subsequebatur, cum veterano milite, juventutis robore, ex novis delectibus inmixto, quas patriae caritas dono

exciverat. Horum duces Perinnius, et Bathorius, quorum uterque pari studio, pro generis nobilitate, et majorum gloria operam dederat, ut quasi in Theatro nobilissimarum gentium, cum alio apparatu armorum, tum equorum generositate cum magna ex parte veheretur Trachiis equis, inter ceteros excellere conspicerentur, ut neque ad speciem, neque ad belli usum quidquam desiderari luculentius aut praeclarius posset. Ungarorum Noricus eques, cui praeesse Hunganotum diximus, Noricum Germanus gravis armaturae excipiebat, statariae pugnae invictus miles, impar idem in congressu Turcae hosti, qui potens equi haud dubie ad militaria munera agilioris, non est ipse inequi potestate, qui saepe, mole sua atque armorum facit, ut qui fortis sit, videretur iners, nunquam facit, ut qui sit iners, videatur fortis; cum pondus annorum insigni conficiat vires, in strenuo laxet, ut etiam sit maxime ab animo paratus. Peditatus totum agmen claudebat, exiguo illum spatio ab equitatu dirimente, quem deinceps sequebantur, qui tormentis praeerant, quae varii generis, atque usus, ut sive cum hoste signa conferendae, et in campo atque in acie pugnandum esset sive oppugnandae urbes, atque exscindendae non deesset bene rei gerendae facultas; ducem exercitus dextrum latus tenentem, equitum Germanorum ala sequebatur, e nobilitatis flore delecti juvenes magnae spei atque indolis, qui Ferdinandi regis auspiciis Brandeburgensi duce augustae majestatis principe voluntarii prima stipendia merebant, equestris pompae magnificentia interse certantes. Inpedimenta, quibus grave agmen trabebatur, vetusto gentis more, a tota acie divisa, duorum frestadiorum spatio, pro munimento hosti objiciebantur, ab eam

causam interjecto spatio, ut tum ad peditum aciem, tum ad equitum turmas instruendas, locus relinqueretur. Edixerat porro dux, ut in itinere, ubi esset pernoctandum, seorsum Ungari, Germani, Itali castra ponerent, qua in re Ungarorum erat expernoctare, mos est, ut alibi diximus, quietem non molli strato, unde amoliri somno sopitum corpus operosum sit, sed labore et lassitudine virium captantibus. Neque Italorum alia ratio erat, quibus in longinquam expeditionem proficiscentibus, vix que summe necessaria essent, gestare licuisset, duce priscae severitatis homine, et qui suis non oratione prius, quam exemplo veterum disciplinam repraesentaret, asvetus durare vires, laborum patientia vigilare, sitim, inediam ferre, ubi requieret usus, opus facere, non dierum, non noctium, non fortunae, non ordinis nosse discrimen, ubi quid a duce imperatum esset, quantumvis arduum, et difficile: factum haberetur, quibus artibus et ipse praevenerat ad summum decus, et liberos, ut pervenirent, curavit instituendos, Germanis unus quotidie repetitus labor castris metandis, tamquam contra hostem considerantem et parato ad dimicandum, jussit peditibus delectis, quibus forte obvenisset, per noctem vigilias agere, ac si quae subito irrumpere hostem tentarent, nec opinato adorti, iis quibus, hae partes impositae essent, significare: ut nulla exercitus trepidatione, quam saepe solet injicere inprovisus casus, et insidiis oportuna nox, subito oppressis in auxilio liceret. Ita vero castra locabantur, ut nisi itineris ratio a flumine averteret, laevum latus, nequid ab ea parte esset timendum, Danubius tegeret, quam pro munimento habebat. Ejus consilii auctorem fuisse Tarrovium ajunt, virum inter Polonos, ut alibi dictum

est, rei militaris gloria longe clarissimum, quando minus liceret, per foedus cum Solimano ictum. Polono adversus Turcam gerere arma, quod, salva religione, liceret, id unum duces hortatum, ne in ingerenda re se abduci a flumine, ullo hostis astu fallaciave, atque adeo ne oblita quidem occasione bene gerendae rei, in qua nonumquam fraus subesset, pateretur, unum enim spectare hostes in pugnando numero superiores, ut hostem a suis locis, ubi inutilis multitudo sit, in longo patentia loca abductum, sive per occasionem adversi praelii simulata fuga, sive per alias belli artes eo illiciant, ubi facile sit a multis paucos medicos circumveniri. Nam quod de Buda rapienda cogitarent, ab eo consilio illos avertere, rei jam bis infeliciter tentatae, tristem eventum, qui imperitos rerum etiam doceret, et plane consilii expertes. Neque vero existimari oportere, vigilantem ad omnia Solimanum, et qui sciret semper sibi unum hostem certum Ferdinandum, et Carolum caesarem timendum, qua superiore expeditione spes invadendae urbis esset ostentata, munire cunctatum esse. Quo quidem si illud accederet, ut fretus majoribus viribus veniret subsidio suis, cujus rei fama jam percrbesceret (ne graviora) quam animo praesagiret, rem gerentibus ominaretur) fore, ut multo deteriore conditione bellum gererent, quod ut ex sententia conficeretur, una celeritate se assequi sperarent, de qua minime dubitandum esset, quin multum detraheret Budensis obsidio, quae Turcarum delectorum praesidio, et tormentis ac munitionibus tuta longam requirent moram, ut res ex sententia succederet. Quae ratio esset cum Turca debellandi, cum ipsum Turcam demonstrare, ita in immensum exaggeratis viribus christianorum dissimulatione interse dissiden-

tium, ut frangi illius robur, nisi per pacis foedus conciliatis animis, in unius exitium omnes conspirarent, nulla spes esset reliqua salutis futura. Hac, ut sit, elata in vulgus, militum animos vehementius, quam susceptae expeditionis ratio postularet, turbaverunt, sui exitii quasi imaginem eorum, quae gesta superiore expeditione essent, intuentes. Ita dux et de suo et de suorum salute plus aequo auxius rem trahere, differre, in dies progredi lentius, nunc hoc, nunc illud causari, interdum palam dicere, non inferendi belli, sed propulsandi sibi impositas partes. Armatum militem aduxisse, qui tueretur impari fines, non qui alienos invaderet, minime susciperetur, haud se consequi posse. Satis si facturum recepto muneri, ubi irrumpentem in regnum hostem arceret, firmatis urbibus, praesidiis, quo eum accessurum haud dubia conjectura esset. Fuere innixi praesentibus viribus, etiamsi praevalidae essent. Turcam hostem, tanquam superiorem numero, disciplina militari, et virtute haud parem contemnerent, utroque enim Turcam praestare, ingenti sua calamitate finitimas gentes expertas, in his maxime Ungaros, et quidem, quamquam summae virtutis, atque industriae monumenta Patris de illis clarissimis victoriis ostentarent. Nam et numero Turcam vincere, quo paucorum in pugnando debilitarentur vires; et virtute vincere, qua numero inferiores nunquam pugnam detrectassent, ea imbuti disciplina, ut in acie victi cadere, quam admittere militare dedecus mallent. Accedere ad disciplinam, longum militiae usum, quo quidem corroborata, tum contemnendae vitae, tum appetendae gloriae redderet invictos animos. Veterem militem Solimanum adducturum, multis in bellis, magna cum laude, versatum, qui devictis ferocis-

simis Asiae nationibus, onustus hostium spoliis, Pannoniae et Germaniae imperio immineret. Anhelare populorum sangvinem, meditari incendia, eversiones urbium, christiani orbis exscidium, semper fere vincere, nunquam vinci, et magnae instar victoriae crederetur, fugientem illius congressum. non discedere victum. Haec partim pro ducis indulgentia, partim pro militum ingenio ferebantur, cum nihil eorum, quae commemorarentur, non majus esse hominum fama suspicarentur. Ita quidem multitudinis animos debilitaverunt, ut ducibus minime invitis, retro conversis signis reddituri infecta crederentur, frustra tantum flagitium, tum aliis tum Italis maxime exsecrantibus, qui longum atque arduum iter emensi, damnati inerti mora, egregie gesti belli praemia sibi amplissima pollicebantur. Quo id minus agerent, oportunae reversi exploratores, quos dux praemiserat speculatum, conceptum animis pavorem, trepidationem sustulerunt. Quo hostium consilia, inceptaque omnia explorata ac certa referrent, de belli apparatu, de Solimani adventu, de ceteris, quae cognoscenda in praesentia duxissent, nihil sibi reliqui fecisse. Nullum belli rumorem, quieta in urbibus et pacata omnia, rerum venalium commercium, ac nundinas celebrari, agros coli, nullo excursionum, aut populationum metu tantum audiri, Budam in supplementum, peditum mille, duo millia aequitum missa; classem praeterea neque apparatu, neque navium numero regiae aequandam. ut verisimile videretur, aut non creditam tantum belli mollem barbaris fama acceptam, aut contemptam plus aequo suis viribus fidentibus. Haec ut ita esse crederentur, Ungarorum magnus consensus, ingenti alacritate animorum ut Budam duceretur postulan-

tium, inprimis Perinny oratio efficiebat, cui noti Turcarum mores, et militiae ratio dicenda sententia in ducis consilio autoritate conciliabat. Satis magnam jacturam temporis factam, dum longis consultationibus, rem differendo opportunitate rerum gerendarum, saepius, quam rem gerentibus expediret lubricam, et fallacem amisissent, cujus sarciendae ni aliqua ratio nixetur, poenitentiam certam, et quidem tum, cum ad augendam modo flagitii labem profutura esset, subituram. Habuisse quidem Turcam semper divisa belli, et pacis tempora optimam secutam rationem, ut miles par esset labori militiae ferendo, ita gerente atque administrante bella, ut eum annum, quo in armis esset, sequens exciperet, per militae vacationem ad quietam datus. Ita fieri, ut neque diuturno otio difluens miles inertia enervaret, atque emoliret vires, neque perpetuis bellis atterendo, moerore, et desperatione praemii conficeret, quod nullum consequeretur, si nulla remissio a labore, et animorum relaxatio daretur longa militia functis, cujus quidem fruendae, nisi in otio nulla spes esset, temporis bono utendum, quousque sese daret, neque commitendum, ut quibus celeritas potuerit esse salutaris, mora exitio esset. Quod jam ab aliis praedictum esset, Budae esse exiguum numerum, quem ipsum pestilentia in dies vehementius saeviens imminueret, ut missa tria hominum millia in supplementum circumvallatis hostium castris exiguus numerus esset existimatus. Vinci saepe homines nulla sua cum culpa, interdum multa cum laude; non vincere, qui possit nullo negotio vincere, flagitium non ferrendum videri. Vix quidem qui tanta vecordia esset, posse recusare, quin perfidiae, si nollet cum liceret; inscitae si minus nosset, cum data facultas esset, es-

set dammandus. Quid de his statuendum esse, qui ita possent, ut tempus, occasio, fortuna hostis imbecillitas, ad rem gerendam cum spe certa victoriae domesticae corroborant vires. Irent enimvero fortissimi milites christianae reipublicae propugnatores, quo eos duceret laeta et propitia fortuna, alacres et fiduciae pleni, quod raro accideret, cum quidem certa victoriae spes cum optima causa conjuncta laetam de hostibus victoriam, quod semper votis omnibus expetiisset, polliceretur. Hac oratione confirmatis ad bellum militum animis, qui paullo ante de receptu cogitassent, non exspectato profectionis signo, ultro ituri oppugnatum regiam urbem duce etiam invito credebantur; qui quidem de ceteris assensus, militem a Budae oppugnatione, Pestum avertebat, oportune objectum urbi oppidum ante oppugnandum, atque in potestatem redigendum, quod ad totius belli administrationem maximas oportunitates haberet, arbitratus. In eam sententiam, ut videtur, eum adduxerant Germani milites, qui priore expeditione, a Velsio duce Pesti in praesidio collocati, Turcas, ut alibi commemoravimus, muros oppugnare adortos magna cum constantiae et fortitudinis laude repulserant. A quibus dissentiens Ioannes Iacobus Medices nostrae aetatis calidissimus dux, Perinnio collaudato, cujus eadem erat sententia, ducendum militem Budam et belli initium ab urbis oppugnatione faciendum censebat, in primis regionis peritus, cum integrum annum Strigonii praefectus praesidio, multis secundis proeliis, vires Turcarum fregisset, inpune ad portas usque excurrere audientium; vix ferendum, Ferdinandi exercitum, quo multis jam annis Ungaria nullum vidisset aeque militum virtute, et robore florentem, relicta urbe, quae

Ungarici regni caput esset, parvum oppidum ire obsessum, quod quidem potitis regia urbe (id quod omnino sperandum esset agnoscentibus praesentes suas, et hostium vires) esset non magnae accessionis loco futurum. Quemadmodum, qui in certamine descenderet, unum adversarii peteret caput, quod letaliter ictum, interitus totius corporis sequeretur; ita qui eo animo arma gereret, ut se speraret virtute adnixum victoria potiri, petere sedem belli debere: qua eversa, cetera sua sponte corruerent necesse esset. Pertinere vero ad tuendam Germanorum veterem gloriam in magnam de his exspectationem gentibus omnibus erectis, aliquid illos, belli initio aggredi tanta exspectatione dignum. Neque longe abesse regiam urbem, quae ut in potestatem prima omnium redigeretur, vires omnes nervosque contendere aequum esset, praescriptura aliis suo exempla, quae ejus auctoritatem sequerentur, quid sibi esset statuendum. Si animum inducerent praeeuntem se ducem sequi, quamvis exterum hominem, per viarum compendia, bidui itinere se ad urbis moenia exercitum adducturum. Haec Medices; quibus quamquam meliores assentiebantur; vicit tamen ducis sententia adversus exterorum omnium consensum obfirmati, cum per hanc rationem morae occasione quaesita, ad quod postea creditum est Ungarorum, atque Italorum studia ad rem gerendam propensa se speraret elusurum. Neque vero exteri solum, sed e germanis etiam nonnulli, qui primos ordines ducebant, contra ducis sententiam pugnabant, qui pridem insigni fortitudinis, et constantiae laude parta, adversus Mahemetum Pestum defenderant, quae tamen quamvis ab iis conmemorata haberent ad confirmandos militum animos, ut

credit Iovius, non video; et si enim nihil illos eorum fugiebat, qua cognita spem potiundi oppidi facerent, locorum peritos, qua muri quassati tormentis opportuni oppugnantibus haberentur, qua munitiones inchoatae nondum perfectae; nemo tamen erat adeo rei militaris imperitus, quin crederet, cum satis spatii intercessisset a capta a Turca urbe, ad eum diem, non ea, quae belli jus affecisset, cum cura refracta, atque instaurata esse. Ergo imperatur, quod bene verteret, ut qua insula V i z z e interutramque Danubii ripam intercedit (perperam Iovius Santandream appellat, quo nomine non magnum oppidum vocatur, haud procul Buda situm, duplici ponte ultro ad insulam a citeriore ripa ab insula ultro ad Vaciam, quae est e regione posita urbs, amnis jungeretur. Inde, opere perfecto, de traducendo milite actum, nemine praeire in explorato audente: Vaciam enim, qua erat exercitus traducendus, superiore bello partim a nostris, partim a Turca perpetuis cladibus poene ab imis sedibus exscissa, inter ruderum acervos et passim adhuc stantia tecta (nondum enim plane collapsa erant) opportuna loca tegendis insidiis praebebat, quae ne hostes insedissent, verisimili conjectura nostri adducti verebantur, eo consilio, ut transire conantes, subito coorti ex insidiis aggrederentur. Atque ut certior conjectura haberetur, atque inde magis trepidantium metus augeretur, illud efficiebat, ad tanti exercitus advenientis famam occurrere neminem armatum, nihil usquam tumultus, nihil quod indicio esset locum ab hostibus teneri, exaudiri, tamquam in pacato exercitus non in hostico duceretur, omnia circa quieta, et tranquilla esse. Ita cum vulgo milites stupore defixi haererent, neque quid potissimum agi placeret, satis ducibus constaret, prin-

ceps Vitellius externae militiae petiturus decus, se ultra exploratum iturum profitetur, imperatore spondente postridie Germanicum peditatum secuturum, qui si qua occasio postularet, subsidio esset. Neque diutius cunctatus, suis per insulam ad ulteriorem ripam traductis, cum severe edixisset, ne quis se inconsulto discederet a signis, recta Vaciam contendit. Quae incolis vacua et suis inmersa ruinis taetram, atque horridam belli faciem ostentabat, modo opportuniorem hosti sedem locandis insidiis, quam amicis praesidio excipiendis. Ergo factus certior dux, nihil insidiarum subesse, dato profectionis signo, per otium copias traduxit, jusso Medice parvam insulam classe patere, quam San-Margaretam Ungari, forte a fano Margaratae sacro appellant, paullo infra Budam sitam, atque eam praesidiis firmare. Ita Medices conscensa classe, peritus rei navalis dux, cuius olim insignem laudem domestico bello retulerat, quanquam e citeriore ripa crebris telis hostes incessabant . . . . . amnis cursum secundo, qui quam citissimus ferebatur, robur remigibus addente, cum inter se ipsi certantes, humeris, lacertisque adniterentur, incolumis classe insulam tenuit, atque hostem classe instructa succedentem, quae ad Budam in statione erat, crebris ictibus tormentorum summotum, redire Budam coegit. Atque quo naves tutius commearet, et qui terra aliunde commeatus supportabant, inter Vaciam, et Pestum, qua ponte junctam insulam Vizze cum ulteriore ripa diximus, septem cohortes in statione collocavit, loco nullo fessaque munito, ac levis armaturae equitibus manere ad subitos casus subsidio missis. Inde solicitus de bello, ex captivis percunctando hac reperiebat, in Solimani praefecti locum, quem Bassam vocant, peste sublati,

Balibegum Budae suffectum, impigrum hominem, qui equitum ad duo millia in armis haberet, quos urbi futuros praesidio Solimanus imperator discessurus relinqueret; sed horum numerum credi pestilentia imminutum; barbarorum incuria morbi luem vulgate, quibus hoc persvasum est, adversus vim fati, nulla hominum consilia, nullam medicae artis opem aut sagarum carmina, quarum maxime superstione tenerentur, praesidio esse. His accedere, quos accitos ex propingua Illyrio Vlamanes adducere esset iussus, magnitudine rerum gestarum terra marique inter omnes insignis suae aetatis dux, atque equitum mille, quibus Achomates praeesset, propter summam peritiam rei militaris, ad honestiores militiae ordines a Solimano ab infimis evectus. Peditum Janizerorum ad mille haberi, sive eos a Solimano imperatore Budae, e superiore expeditione relictos, sive Byzantio missos, Segemene duce, navo, atque industrio homine, cujus erat in re militari spectata virtus. In his quidquid esset virium et roboris, constare; nam aliam fere taetram hominum fecem, et colluvionem verius, quam hominum manum, quos latrociniis asvetos vulgo Mantelosios (Martalocii) vocarent, nihil hominis, praeter hominis formam, atque eam ipsam ingenti squalore, et situ horridam, ut ferarum potius, quam hominum, atque ingenia immanitatem praeferre viderentur. Eos tamen non segnem operam navare, tum operi faciundo, tum in classe remigando, non minus quam terra, mari navigantibus infestos. In montibus enim superciliis, qua late pateret in mare prospectus, tanquam in speculis insidentes, ubi longe adventare mercatores conspicerent, qui multi in finitimas Pannoniae provincias preciosas merces importarent, degressos e montibus celeritate

incredibili piraticos lembos, quos ad hunc usum semper paratos haberent, conscendere, atque subito adortos spoliare atque interficere. Nam et saepe agrestium personam, et mercatorem ementitos frequentes Ungarorum nundinas statis anni temporibus obire consvevisse, unde per varias fallacias, igenuos pueros, et virgines forma eleganti abductas a suis, ad Turcas adducerent, quibus magno pretio venundarent. De classe consentientia iis audiebantur, quae per exploratores cognita erant, navium, quae idonae tum vehendo militi, tum proeliando essent, ad LX haberi, paucis biremibus, et majoris forma lintribus, quorum est illa Danubii navigatione crebris usus. adjectis. Imperatum autem severe, ut Budam, Pestumque simul atque quid compertum de adventu hostium esset, confestim eo omnibus contractis copiis, certi duces tuerentur. His salvis, veluti regni arcibus, caeteris credere, haud magnopere laborandum, quae eandem fere fortunam cum urbe regia, unde tamquam a capite in omnes dimanaret, diffusa salus sequerentur. Ad haec omnia jussum esse Achomatem Bellerbejum, in Triballis ad Sophiam subsistere, inferioris Messiae urbem, ut siquid durius accideret, opem implorantibus subsidio esset. Quae cognita non solum non minuerunt nostrorum animos, his multo graviora exspectantium, sed in magnam spem etiam rei bonae gerendae erexerunt, multitudinis ingenia, ita ducum auctoritate moderante, ut cum raro, et quid timendum, et quousque timendum sit, norit, non id, quod res est, sed quod dux censeat, spectet, numquam, aut raro, pro suo sensu aut sperare, aut timere asveta. Ergo dux munitionibus perfectis, non secus, ac si esset proelio cum hoste decertandum, instructis copiis, Pestum quadrato ag-

mine contendit. Neque segnius Turcae, ubi nostri sub aspectum venerunt, porta,, qua Vaciam itur, egressi erumpunt, atque Ungaros equites, primum agmen antecedentes, adoriuntur, quibus cum concurrere, pacis etiam, et induciarum tempore consveverunt. Neque dium certatum est: cum pauci utrinque cecidissent, aequato certamine, nostri in castra, in oppidum barbari redierunt; utrique satis ad virium et fiduciae ostentationem actum arbitrati. Inde nostri nota, atque instituta ratione castra ponunt: Germani majore distantes ab urbe intervallo, quominus adjuvabat natura loci, qui totus planus, et demissus erat, ea castra cura acriore, vallo et fossa muniunt. Vittelius qua muri pars, ad septemtriones vergit, quod ea facilior oppugnatio credebatur, proprius moenia consedit. Namque ad alias oportunitates accedebat maxima vicinitas enim loci, et propugnatoribus tormentorum usum tollebat, et ubi uterentur, tectos nostros a tormentorum iactu reddebat ad oppugnandum alacriores. E regiae enim urbis arce ita erant in eam castrorum partem tormenta obversa, ut non facile nostros petere, et parcere oppido possent, quorum castra erant cum urbis moenibus conjuncta. Alia quoque muri pars, qua est euntibus Agriam iter, quoniam oppidum pro munimento habet, ictibus tormentorum minus exposita erat, qua de loco superiore, cum ex Budae arce, tum ex Gothardi monte in tectos oppidi munimento frustra dirigebantur. Iam levi proelio, virium periculo facto Vitellius, cum retinendum sibi militare decus suorum iam virtute probata statuisset: postridie eius diei, quo die est ad oppidum ventum, cum peditatus parte assumpta Sfortianorum equitum ala, ad moenia contendit, his verberandis colloca-

rentur, qua tormenta locum idoneum speculaturus. Quam in rem unam omnium animis intentis, subita eruptione Turcae porta egressi, contento cursu, quo validior, impressior esset, in nostros incurrunt, nihil minus, quam proelium, aut hostem exspectantes, quam silenti incedentes agmine sese fefellisse arbitrabantur. Neque ob id proculsi nostri, magna exparte veteranus miles, et multis in bellis excercitatus, inter se cohortati capessunt pugnam, neque fiducia animi, neque viribus hostibus cedentes. Atque in principio quidem, ita in se intuentium impetum sustinebant, ipsi pedem conferentes, ut neutro victoria inclinaret. Mox cum barbarorum numerus augeretur, qui fessis integri ex arce summittebantur, neque veterano Ianizerus cederet virtute par, superior numero, sensim primo nostri referre pedem coeperunt, inde urgente hostium multitudine, cum jam qua fuga evaderent, circumspectarent, opportune Vittellius cum fortissimorum militum manu jam minus resistentibus, et cedentibus loco auxilio affuit, cum magna voce, ut ab omnibus exaudiri posset, partim adhortando, ut pristinae virtutis memores in hostem pugnam redintegrarent, partim percunctando, quo fugam intenderent, inter infesta, atque alia omnia adderet animos: si cupidi verae laudis, et gloriae, reditum honestum ad suos, si laborum unum praemium maximum propositum haberent, nomen, famam hominum, ut viros fortes deceret, vitam sibi statuerent, ferro in hostem pugnando, non turpi fuga redimendum, quam illi infestam efficerent, magnis viribus atque animis, in fugientium terga incumbentes hostes, quibus non vera virtus, sed hostium trepidatio, et pavor vires ad pugnandum, et alacritatem augerent. Vinci semper omnibus turpe, sed mul-

to turpius iis, qui de nondum viso hoste, reti magnitudine animi sibi victoriam spopondissent. Nam illud manere victos ultimum dedecus, cum ab hoste imbelli, molli, barbaro vincerentur. Haec locutus, cum vincente pudore metum cupiditate delendae ignominiae, militum animos ad pugnam accendisset, redintegrato proelio, extorquere victoriam e manibus superbi barbari conantur, ubi paulisper hostium impetum repressissent, acrius inferentium gradum, facile se loco pellere obnixos sperantes. Pari animorum ardore ordinum ductores, adolescentes nobilissimi, quos cupiditas gloriae in longinquam militiam excisset, hoc primo daturi specimen virtutis, facto cuneo, Turcas impellunt, jam sensim laxatis ordinibus, de pugnae ardore remittentes, ac mox disjectos, et dissipatos in fugam vertunt. Auxerunt secundum pugnae eventum ex ultimo vitae discrimine erepti duo milites juvenes, ex Insubribus Lande Pompeja, alter e Vistarina familia, Cremona alter e Trochia ortus, cum interfectis equis, hostis barbarus equorum mole, et armorum pressis jam pararent colla secare. Vistarinus equitum turmae praefectus, alter Sfortiae equitatus primus vexilifer, magna uterque de sua virtute exspectatione superata, ad supremos militiae honores perventurus Desiderati sunt tamen nonnulli, in his, qui ordines ducerent, quorumque jam erat militiae celebre nomen, Laurentius Camers, qui cohorti praeerat, et Mazza Cortonensis, multis fortibus factis clarus. Hoc accepto detrimento Vitellius, totus animo sarciendo intentus, exultantem hostem fiducia sui, et barbara arrogantia, quae raro a temeritate abest, elicere ad pugnam, locum nactus aptum insidiis, primo queque tempora constituit. Erant, qua castra posuerat, regii horti, non

ita magno intervallo a Pannonum et Germanorum castris. Ita vero perpetuo muro septi claudebantur, ut densa arbore, et procera prospectum impediente, magno militum numero tegendo apti haberentur. Ergo ne cum Perinnio communicata, cum quid fieri vellet, ostendisset, eum etiam atque etiam orat, ut oblatae occasioni bene gerendae rei quando tempus, loci situs, ante omnia barbarorum nimia fiducia, consilium adjuvaret: deesse nolit. Hinc animadverso genere pugnae, quo maxime hostes valebant, ita suos instruit, ut hastatos ad reprimendum primum barbarorum impetum in prima acie pugnare, inde, eorum densato agmine, qui tormentis ad manum proeliando utebantur, tectos jaculari in apertos jubet, unum adhortatus, ut omnibus viribus adnixi, locum, quem ceperint, teneant; ubi cedendum multitudini hostium sit: sensim, servatis ordinibus, referant pedem, ne quid fugiat eorum, quae temporis ratio requirat, ad accipienda imperia intenti. His praeceptis peditum parte intra hortorum septa abdita, in insidiis duodecim cohortes instructas, quae reliqua pars peditatus erat, cum equitum Sfortianorum ala, magno ambitu, secundum fluminis ripam ducit. Qua re Turcae animadversa, cum nihil sibi ad victoriam defuisse superiore proelio crederent; praeter suorum auxilium, multis precibus suos obtestati, ne laborantibus deesse velint, patefactis repente portis, in nostros ingenti clamore sublato, infesti feruntur. Qui cito duce imperatum erat, conferti, cum speciem Macedoniae phalangis praeseferunt intestis horrentis hastis, certo, ac composito gradu in hostes ibant, ut quemque temeritas, et casus agebat, de victoria securos in nostros irruentes. Ita cum barbari commisso proelio diu disjicere fru-

stra densatum nostrorum agmen conarentur, atque eorum caderent multi, e citeriore ripa Turcae, qui Buda spectandi causa descenderant, traducti lintribus, cum eodem tempore alii ex oppido aggrederentur, laborantibus suis opem ferunt. Ita proelio instaurato, cum barbaris suorum adventu audacia crevisset: nostri, imperii memores, sensim loco cedere ac retro signa referre incipiunt. Quo successu barbari sublatis animis, tanquam defuncti pugnae discrimine, et de victoria securi, acrius invehuntur, omnibus viribus adnitentes, ut ordines turbarent, adhuc sedato gradu, et pede presso retrocedentium, quod unum modo morari victoriam videbatur. Ergo cum satis spatii ab oppido abducti, non procul ab hortis regiis abessent: simul nostri a fronte ex insidiis consurgentes, simul Perinnius, ut convenerat, in aversos jam ab oppido invectus, terga nostros insequentium cedit. Neque Germani ejus decoris expertes fuerunt, in his Mauritius dux, qui postea magnitudine rerum gestarum Germanico bello, ingentem sibi gloriam comparavit, magnam eorum edidit cedem, inter multos, ut dignitate, et majorum gloria, sic in gerenda re virtute, et magnitudine animi princeps. Nam in magno pugnae ardore, immisso equo, qua Turcae validiore nisu impetum nostrorum excipiebant, cum insignibus armorum conspicuus omnium in se unum arma, telaque convertisset, facile in medium acceptus, et circumventus, sui fiducia, mortis contemptione ferox, virtutis summae, et fortitudinis insignia edidit documenta. Equo enim sive consternato vulnere, sive impulsu hastarum effusus contra obnitentium, neque se deseruit, et per confertos hostes impressione facta, incolumis evasit, magnus nostrorum victoriae comes. Ita barbari a tergo, a fronte, a latere circum-

venti, ut effugium nullum ad salutem pateret, ad satietatem caesi. Nam tormentorum jaculatores in cornua recepti, cum crebris ictibus aeque aversos, atque adversos sternerent, necessariam fugam, victis, eandem inutilem, qui a tergo instabat Germanicus, atque Ungaricus equitatus reddebat. Si quibus tamen perrumpere licuit, corona circumdatis, ii pavore consternati, cum unam omnes peterent urbis portam, eam, qua esset petenda, ignorarent, nullo suorum, magno hostium discrimine, aeque in obvios, et in aversos hastas infestas intentabant. Nam in ingressu, ubi eo fuge delatis pervenire licuisset, cum aditum augustiorem multitudo ingredientium efficeret, qui ex his saucii, aut mortui in limine cadebant, insequentibus, quo minus ingrederentur, erant impedimento. Neque melior eorum exitus fuit, qui flumen petierunt, ad extremum enim ripae marginem acti, ubi etiam si navium facultas esset, eriperet terga cedens hostis, trepidis metu delectum tollente, in omnem praecipites deturbantur, quingentos eo die dicuntur Turcae e suis desiderasse, in his Janniczeros centum amplius, quorum major aliquanto jactura fuit. Omnium consensu neque nostrorum modo, sed hostium etiam fuit ille dies tum aliis e nostris, tum ducibus honestissimus, e quibus Vitellio tanto major laus cessit, quanto caetera Perinnio par, superior consilio adornandis in hostem insidiis, virtute atque industria re exequenda fuit. Quidquid inest in exercitu Turcarum nervorum et roboris, Janniczerorum militia constat, delecti militis e nostrorum descriptione, qui Turcarum imperio parent. Singulis in lustris, de more ministri regii, quascunque in provincias visum est, iis exceptis, quae immunes imperatoris beneficio habentur, mittuntur,

qui e quinque marium numero unum suo arbitratu ligentes (acerrimus vero in eo delectus habetur) a parentibus abducant. Spectantur vero quam acuratissime, quae cum animi indolem, tum corporis aptam constitutionem, et membrorum quasi solidam et firmam compagem indicent, ut spes sit militiae addictos, et viribus lacertisque et pernicitate, et agilitate quadam corporis praestaturos. Hi in Septo imperatoris inclusi, ubi Mahemetis sacris initiati, legis praecepta hausere, durantur laboribus assiduis, cujus agenda rei magna datur facultas. Mittuntur enim ubi ad imperatoris usum et voluptatem, cum hortos et suburbanas villas, atque amoena loca alia, tum aũ alios usus, ubi aedificia exstruuntur, quibus per vilia ministeria quidem, sed quibus ad militares labores ferendos firmantur et corroborantur vires, oportunam operam navant. Ita duratos laboribus excipit rei militaris disciplina, qua quidem aliquamdiu severe habiti, tum gladio comminus hostem ferire, tum eminus sagittis docentur, inprimis hoc tempore recte ferreis fistulis uti, quo genere industriae nullis gentibus cedunt. Nemo quidem dubitabat, quin si eadem fuisset in omnibus animorum alacritas: belli finis, quem maxime vellent, brevi esset secuturus. Quantus quidem dux Vitellius fuerit, res ab illo gestae docuerunt, et ante eam susceptam expeditionem et mox Germanico bello, quod Carolus caesar gessit adversus principes Smalcaldici foederis: nullum certo bellum, ex quo tempore gerere arma coepit, est in Italia gestum, nullum foris, Italia quieta ab armis, in quo non illius virtutis, et fortitudinis clara, atque insignia monumenta exstent. Ita, re ex sententia administrata, erectus dux in spem potiundae urbis, ubi Germani incitati

studio gloriae, virtute cum aliis, et magnitudine animi certarent, proprius admovere castra, et locare tormenta loco idoneo ad verberanda moenia jubet, cratibus humo refertis haud dissimili corbium forma, quas caudas vulgo milites vocant, ante tormenta exstructis, quae pro munimento tormentorum ministris essent, tela in hostes ejaculantibus, quos quidem magnam tormentorum facultatem habere non ignorabant. Sed in hac re tota administranda a peritis inesse vitium animadversum est. Longius nempe a muris collocata, si quando concepto igne, pilas in muros emissa evolvebant, intermortui ictus, loci spatio plus aequo prolixo intercedente, irriti cadebant. Qua re Vitellius cognita, secum Medice assumpto, Ducem adit, atque ei, quid vitii sit in collatione tormentorum, demonstrat. Ni prius castra jubeat admoveri, unde validiore ictu tormentorum muri verberentur, parum susceptum consilium de urbe oppugnanda processum. Credere supervacaneum, quod res et ratio adeo doceret pluribus demonstrare. Audendo, propius conferenda signa, non gerendo, in restitantium ac tergiversantium in morem a pugnae discrimine refugiendo,— bella recte, atque ex sententia administrari. Magnum recte factorum praemium, gloriam, decus, laudem, sed quod multis laboribus, gravissimis periculis, vitae contemptu, ac rerum omnium, quae multis expetendae videantur, oporteat comparari. Siquidem ubi ex serio ageretur, et ut dignum tanto belli apparatu, dignum Germanorum gente esset, quorum res gestae insigni cum laude gentium omnium annalibus essent consignatae, non recusaturus, quin in oppugnanda urbe, et omni belli discrimine obeundo durioris sibi susciperet partis per disjecta urbis moenia tormentis

principi loco cum suis signa in urbem illaturus. Ergo dux, ut par erat, Medice et Vitellio collaudatis, castra propius promoveri ad urbem jubet, interea utrumque adhortatus, ut promissorum memores, quam de sua virtute spem concitassent, constantia in re gerenda representarent, simul pollicetur, se delectorum peditum cohortem, qui subsidio, ubi res postularet, laborantibus essent summissurum. Inde contra urbem quadraginta majoribus tormentis collocatis, coepta moenia quati, quae antiqui operis, et parum valida ad tormentorum ictus perferendos, facile quo e tormentis contorta tela adigebantur aditu oppugnantibus in urbem patefacto proruta cadebant. Quare Vitellius cognita, ne vanus modo verborum ostentator, ubi requireret usus, parum suae constantiae memor videretur, ad suos conversus, »En vobis milites, inquit, quam semper expetiistis, oblata occasio, vestrae virtutis et fortitudinis, gentibus et nationibus exteris testificandae, quae quidem si numquam cognita suo proemio caruit, est, cum veram et solidam gloriam vos jubeam sperare, decus, famam, nomen, tum quae sua sponte haec sequuntur, vitae commoda multa, divitias, copias patefactam, atque explicatam viam ad summos militiae honores, qui nunquam verae honores sunt, nisi cum virtute, et insignibus invitam meritis hominum habentur. Quae ipsa quamquam sint expetenda, semper viris fortibus, ubi sint cum virtute conjuncta, multo tamen uberiora proemia a conscientia recte factorum spondent, qua una magni animi aluntur, qui ita sunt verae gloriae amantes, ut haud illam magni faciant, nisi sibi conscii sint, prius se illam promeritos, quam adeptos. Quid vero vobis pulchrius in reliqua vita, aut eximium magis, quam ju-

stissimi gloriae tituli, qui parta de hoste victoria, vos manentes. In omnium ore, et scriptorum omnium monumentis, apud gentes et populos universos, qui Christi nomen sanctissimum colunt, versabitur vestra decantata et celebrata laus. Vos christianae reipublicae propugnatores, vos liberatores nobilissimarum gentium, vos communium ultores malorum, conservatores patriae, vindices libertatis, quibus titulis, qui potiorem vitam habent, ne illa ipsa vita quidem, quae est illis natura prima, videntur digni habendi. Nam quod dixi, vos conservatae patriae laudem manere, ita vobis statuendum est, non vos hodie pro Ungarorum victoria magis, quam pro Italiae salute, pro conjugibus et liberis, pro dei immortalis sanctissimis delubris, quibus idem, qui Ungaris, Germanis et nationibus exteris omnibus imminet casus, pugnaturos. Quo pervenit fama taeterrimi hostis, Christianis populis exitium minantis: eo sunt perventura arma, nisi vos, viri fortissimi, pectoribus vestris, quasi propugnaculis objectis, aditum sibi in patriae sinum, ad vestros lares, Christi augustissima penetralia barbaris molientibus obstruatis. Fingite vobis animis, quasi in conspectu totius orbis liberos, parentes, conjuges, quique vobis sunt in vita carissimi, vestrae virtutis spectatores, unum sunt a vobis postulaturi, ut positum in vestris dextris Italiae salutem, tot provincias, tot urbes nobilissimas, tot in his religiosissima templa, in quibus sancti patris, castae virginis, pudicae matronae, dum vos pro Christi nomine armis rem geritis, precibus placant dei immortalis terris iratum numen; ne patiamini vobiscum pessumdari, ita statuentes, aut immortali vestra cum laude, cum victoribus mansura vestrae virtutis, et pietatis aeterna monumenta, aut, quod

omen in hostem vertat Deus, cum victis interitura. Sed alia vobis multo major pietatis laus expetenda, quam vobis vestra virtus spondet, christianae religionis vindicandae, in antiquum decus, quae per tot annos perpetuis bellis afflicta, vestram fidem opemque implorat, ad extremum perducta casum. Quae causa fuit Paulo tertio pontifici verae Maximo, vos milites delectos ex Italiae flore, fortissimos juvenes, quorum spectatam fidem, et pietatem habebat, ad hoc bellum mittendi, cujus feliciter gesti titulo sperat se memorabilem pontificatum in omni posteritate relicturum. Enimvero felicissimum bellum, ut pie susceptum, ita pari vobis constantia, et praesentia animi gerendum, bellum, quod nobis victoribus, id, quod me juvat sperare, optimam de hoste praedam, honoris illustres accessiones, uberiora stipendia spondet aeque victoribus, et victis immortalem et beatam vitam, unicum desponsum pietatis praemium a Christi vicario recte defunctis sacrae militiae munire, sibi ominari, ac sperare adeo svadet.“ Hac oratione suos Vitellius adhortatus, atque illius exemplo duces alii Mauricius, Perinnius, Hessius, ita inter se belli munera partiuntur, ut Mauricius et Torniellius sint castris, et munitionibus praesidio, rem alii adversus hostem gerant, Joachimus dux, ut convenirat, simul atque certior fieret cum suis Vitellium murum ascendisse, delectos Germanorum subsidio mitteret. Praeerat in Urbe Turcarum praesidio Segemenes dux, cum rei militaris peritus vir, tum, ut esset, qui Vitellio et Medici opponeretur, assvetis ducibus haud plura audacia, atque aperta vi, qua quidem ubi res requireret, nunquam est eorum virtus desiderata, quam consilio, atque industria confuere, callidus idem, et magni consilii, ut

cum diffideret suorum virtute, numero impar, non de essent bellicae rei artes, et ad vitandas pariter hostium insidias, et ad struendas, si quando requireret usus. Is jam sua sponte, cum minime dubitaret, quin muri vetustate collabentes, vix primos tormentorum impetus sustinerent, ne qua subito proruta muri pars, facilem ingressum in urbem oppugnantibus aperiret: fossam a suis curaverat ad muros ingentis altitudinis ducendam, cujus interiorem orum egesta humo ita exaggeraverat, ut proclium descensum suis, ascensum arduum scandentibus hostibus, siqua tentarent, praeberet; jam dolio, quae humo, atque arena compleverat, tum textas corbes cratitio opere terra oppletas hostibus opposuerat, eo consilio, ut pro munimento iis tectis Janizeris, et sagittariis essent, qui pene considebant, secundum quos, quasi in statione positi equites, cum pireite pugnare erant jussi, dimissis equis, quorum ad eam rem nullus erat usus. Jam cum murus antiquo opere quadrata forma minime ex interiore disciplina muniendarum urbium, qua nostri hoc tempore excellunt, esset exstructus, qua ducta fossa in longitudinem ab uno ad alterum muri angulum pertinebat, utrimque aggerem exstrui jusserat, ita ut alter e regione alteri objectus, si qui in fossam decurrere, et perrumpere auderent: eodem tempore ab utroque aggere collocati Turcae, quasi in insidiis, in temere desilientes, per crebras fenestellas, qua aggeris paries interior in fossam despiciebat, immissis ferreis fistulis et tormentis minoribus, glandes, globosque ferreos in utrinque circumventos contorquerent. Sperabat vero fore, ut ubi glandes e fistulis majores, globi e tormentis, ignis violentia acti remitterentur: inde arcto loco concepta flamma, virgultis, atque aridis

sarmentis incensis, quibus temere conjectis imum fossae solum stratum erat, frustra receptum ad salutem quaerentes torrerentur. Interea nostri, Vitelli oratione confirmati, cum signa concinuissent, certatim muros inter se adnitentes omnibus viribus conscendunt, magna ruderum coacervata vi, qua muri corruerant, facilem illis ascensum praebente. Augebat militum alacritatem, consulto ad nostros fallendos a barbaro duce suis imperatum silentium. Erat vero res digna admiratione, in extremo urbis casu, quam exercitus centum hominum millium circumsessam haberet, neminem prodire, qui fidem faceret, non defuturos, qui in urbis oppugnatione, ascensu hostem prohiberet; sed multo majore admiratione dignum Vitellium callidum ducem, et magni usus, quo minus ultra suos progredi pateretur, subesse insidias non suspicatum. Jam nostri muro potiti, quod magnum in re militari decus habetur, coeperant in muro statuere signa, qua commodius in subjectam fossam se demitterent spectantes. Qua re Turcae animadversa, qui ad interiorem fossae marginem tecti munitionibus delitescebant, in nihil tale exspectantes, quorum jam magna pars in fossam descenderant, subitam glandium, et sagittarum procellam effundunt, cum eodem tempore, qui in aggeribus excubabant, quos ad utrumque fossae caput exstructos diximus, ferreis fistulis et aliis tormentis admoto igni, magna cum clade circumventos medios a fronte, et ab utroque aggere sternunt, frustra, quo se se verterent, in extremis salutis discrimine circumspectantes. Neque tamen nostri, quamquam obruti, improviso malo non ignoraret, quanto in periculo, qui priores ascenderant versarentur, deficiunt animis; et Vitellius aderat adhortator, qui succedere

ad muros, memores suae virtutis, ut superatis difficultatibus omnibus, opem suis ferre laborantibus in magno salutis discrimine juberet. Sed hactenus potuit Vitellius proficere suos adhortando, ut in perdita, et deplorata re animi constantiam retinerent, et, quae laus est viris fortibus rerum omnium prima in vestigio mori, quam loco cedere, in quo constitissent, efficere, ut superarunt animi virtute, quae sua natura insuperabilia essent, et majora humanis viribus, non potuit. In magno caesorum numero, praeter alios peditum, atque equitum profectos, et qui ducerent ordines nonnullos, Jovius recenset nobiles aliquot adolescentes, in his Carolum Meliteum, e sorore Vitellii natum, magnae virtutis, et fortitudinis, editis documentis. Reliqua multitudo, ducibus, ac signiferis interfectis, cum ad caetera incommoda, locis urbis editionibus, tum alia telorum genera, tum pilae, saxaque ingentia in fugientes conjicerentur, ad sacietatem caesa. Extremum hunc nostrorum ad Pestum conatum sive fortuna elusit, sive Germanorum desiderata constantia, atque alacritas, quibus insectendis non placet Jovium emulari; quem quidem minime omnium, Italum scriptorem, cum ageret de suis, iis pernobilissimarum gentium dedecus, atque infamiam, quaerere laudem oportebat; certe neque in Germanorum proditionis culpa, qua infamia nulla alia est apud illos major, neque timoris in Ungaros cadit, cum in neutris fidei et fortitudinis sit unquam desiderata laus. Nam Ungarorum maxime intererat, redigi urbem in potestatem, unam maxime oportunam regiae urbi recipiendae, qua pulsos Turcas non erat desperandum, universo posse expelli regno. Atque ut de Germanis loquar, si qui illis aequiores a Jovio dissentiant, quod ipsi in dede-

cus, illi in gentis gloriam vertant. Sapientis enim ducis esse contendant, a certaminis discrimine continere suos, ubi semel accepta clades, sit exitio multis populis, et gentibus futura; neque magis credant Solimano fuisse vitio vertendum, qui superioribus annis, quamquam tercentorum millium comparato, non est ausus cum Carolo Caesare de . . . . verum in certamen; recte illi quidem humanorum casuum memores, quos non saepius ratio, quam fortunae temeritas moderatur. Quae vero spes erat, non in Ungariam, sed proximam Austriam, Germaniamque adeo tenendi, se spoliato praesentibus viribus, barbari omni curae expertes aggrederentur. Neque video magis, quare Jovius plus aequo semper severus censor, ubi de Germanis agit, quod aliis, veterum memoria summae laudi datum est, objiciat universae Genti tarditatem et cunctationem in agendo. Ut enim alios omittam, Lacedemonii, quorum fuit imperium maxime in Graecia diuturnum, hoc nomine, tum ab aliis, tum ab Atheniensibus in primis vexati, imperii aemulos, et ut studiis, ita moribus, institutis, legibus diversos, subire victos armis jugum servitutis durissimum coegerunt. Nam cunctatio in bellicis rebus, ut in aliis etiam omnibus per se numquam aut laudi, aut dedecori ducitur. Causa cunctandi modo, hunc laude, illum reprehensione dignum reddit, quae nempe a metu, et trepidatione oritur tergiversantium, et circumspectantium ad omnia levissima quaeque ita magno homine indigna, ut nunquam satis reprehendi, atque exagitari queat, ille magna digna laude, quod a consilio, et judicio maturo proficiscitur, ubi cum hoste ferro in acie decernendum sit, et suas et hostium vires aestimantium; quo tempore saepe, qui praepropere nimis, atque inconsulto

rem gesserunt, duriores, quam vellent, temeritatis et ferociae poenas dederunt: ut non minus illi sint laudandi, qui hostem cunctando, et diem ex die ducendo eludunt, quam qui suarum virium conscii, extemplo sibi proelio decernendum victoriae securi statuerunt. Enimvero magna quidem res est historiam scribere, ita certe magni momenti, ut minime mirandum, cum tot nostra aetate sint, qui hanc ambiant palmam, vix unum, aut alterum referre. Non enim prius in scriptore requirendum, quam disertus et copiosus in scribendo sit; sed quam locuples eorum rerum testis, quas sibi litteris mandandas suscepit. Nam, ut ingenium, reconditiorem doctrinam, maximarum rerum cognitionem, sic religionem, et fidem vacuum inprimis ab odio et nimio studio requirit animum. Nisi vero omnia habeat in potestate, per qua minus scribenti liceat suae fidei, et religioni consulere, cupiditatem, spem, metum, quod una assequitur probitas et virtus, tamquam arma furiosus stilum temere in multorum perniciem distinguat, ut visum sit laudando immerentes, carpendo, accusando per ludum et jocum, aeternam infamiae notam non innoxiis solum saepe etiam insignem laudem meritis inurendo, ut ne summi quidem reges et viri principes a tam immani licentia tuti agant. Datur haec venia rerum scriptori, et quidem non sine prudentiae laude, si id modo assequi potest, ut quid sentiat, et de rebus, quas scribit, et de iis, a quibus res geruntur, non dissimulet, sed ita, ut a maledicto temperet, et pronunciet, sumpta aliena persona, non nudet ingenium odii, amoris, irae, cupiditatis impotens, ea in primis moderatione utatur, ut cum sit aliquis accusandus: ita inducat accusatoris personam, ut meminerit inducere patroni, quae si a rebus

non est, quibus de agitur, ipse praestet patroni partes, et objecta refellet, iudicium de iis, quae in medium afferuntur, penes eos, qui legant integrum relinquens. Quam moderationem animi ita passus est Jovius in suis scriptis desiderari, ut aliquando recta oratione in civitates populosque nobilissimos invehat, atque adeo ea acerbitate verborum, ut, posita persona scriptoris, ut legitimo judicio accusator acerrimus reos agere videatur. Ita quidem erant Germani reprehendendi, ut cum accusatoris partes peregisset, susceptis ipse defendendi partibus adderet, quae verisimile videretur, ubi de ratione sui consilii ageretur, illos responsuros. Eadem licentia iniquus Ungaris, tum illos, tum eorum Perinnium ducem perstringere, et vellicare pergit; fuisse alienae cladis spectatores, dum Itali cum Turca in muris pugnarent, quam cladem si respondeant, recte noluisse ducem suorum caede atque internecione augere, cum inde nihil commodi sperandum, certa jactura delectorum militum facienda esset, non solum non videatur dux reprachendendus, sed dignus etiam, cui summa impertiatur pietas in Patriam, laus iis conservandis, quibus prospici alia ratione non potuit. Neque his contentus, addit, praedatam auditam Turcae vocem, Italos hortantis, ut ab oppugnatione desisterent, pro Germanorum victoria pugnantes, quibus Turcae mallent temulentiam e capite excutere, Italis parcentes, quam cruentari virorum fortium sangvine. Quae a Turca hoste dicta recte poterant, a prudente scriptore praeteriri debebant certe, ne oblique videretur per hostis conviciantis petulantiam Germanorum genti maledicere ipse voluisse minime merenti. Equidem et ipse Italus hoc audito, quod possum affirmare, eos, qui vere Itali sunt, hoc est, gravitatis suae, et mode-

stiae memores nihil morari dicacitatis, atque ingenii laudem, cujus est avidus Jovius, usque ad legentium fastidium cum cujusquam contumelia conjunctam. Habent enim a domestica virtute, et in scribendi facultate, et in aliis omnibus ingenuis artibus, quamcumque in partem vertant animum, laudati discertant. Interea Joachimus dux advocatis in Consilium auxiliorum praefectis, quique ex voluntariis majoris auctoritatis haberentur, perrogare sententias coepit, minime dubius, quia quae ipse de solvenda obsidione atque atque exercitu reducendo sentiret, iidem essent sensuri. Quod cum Vitellius non ignoraret, contrariae sententiae auctor ita a Iovio inducitur verba facere, ut tota sua oratione eodem quidem artificio, sed minime obscuro, Germanos ab ingenio non discedens perstringat, posterorum nequitiam per majorem laudem proscindendo, a quorum virtute discedentes paterentur aeternum dedecus nobilissimae genti haerere, quae ad eum diem primam in re militari laudem sibi vindicasset. Suam sententiam tutam in utramque partem. Nam et juris fortibus pariter et ignavis prospicere, his ne discedentes hostium fidutia per sui contemptionem aucta foediorem primo ac taetriorem accipiant cladem; illis, ne quid in contentione gloriae remisisse de pristina virtute, et hostibus concedere fortitudinis laude magna cum gloriae juctura apud exteras gentes parte videantur. Tentandam iterum oppugnationem, sed majoribus viribus, ita copiis universis distributis, ut tribus locis eodem tempore muros oppugnare adorti, impares numero propugnatores, et virtute adeo, validiori oppugnationi sustinendae, manus dare, et sese dedere victi cogerentur. Cum nondum Vitellius perorasset, multo his plura adjecturus, interpellavit

dicentem reversus nuncius, quem dux miserat de hostium adventu speculatum, quos quidem non procul esse affirmabat, sive id consulto, ut metu territi duces, aliis quo ipse spectabat, necessarium sibi consilium de prefectione ducerent; sive vere accidisset. Itaque eo tenditur magno Germanorum consensu, permultis repugnantibus, qui feroces suo ingenio fortiora consilia tutioribus praeferebant, in his Ungaris omnium maxime, quibus omnis spes proscindebatur, dissolutis praesentibus copiis, patriam recuperandi, ut omnibus aliis improbatis consiliis, copiae motis extemplo castris, Viennam reducuntur. Neque deerant tamen certae rationes, quibus profectionis auctores contrariam his sententiam tuerentur, in hyemem jam authumno inclinante, quod anni tempus minus gerendis rebus oportunum, maxime curandis sauciis incommodum, et si qui aliqui correpti gravioribus morbis in castris laborarent, jam intecta et hiberna receptum suadent. Verum aegre itali duces, hortando, urgendo, obtestando impetierunt, ut majore quam antea impetu oppugnatione instaurata, muros tormentis quaterent, tum ne iis diuturna voluptas et bene gesta re animos ferociamque augeret, tum ne crederent Germanos desperatione virium, sed certa adductos ratione consilium de profectione coepisse. Namque et illud erat verendum, ne si duces praecipiti consilio castra moveri, et referri signa juberent, fugae similis profectio barbarorum animos confirmaret, et perinde atque victis timoris confessionem expressissent, a tergo instantes lacessendo urgendoque in vestigiis morarentur novissimum agmen. Quae dum ita a nostris administrantur, Segemenes dux, ex laeto rei eventu, spe suscepta majoris proventus, ultro nostros territos, ut credebat, tanto

accepto detrimento, subito ex urbe emptione facta adoriri constituit. Ita nondum plane die dilucescente, emissum equitatum cum firma peditatum manu, qua pedem referentibus subsidio esset, accedere ad nostrorum castra, et turpem fugam, ac trepidationem exprobantes lacessere metu torpentes, ut credebat, proelio jubet. Cum Ungaris pugnae initium factum qui ad gentis existimationem retinendam plurimum pertinere arbitrabantur, conserenda cum barbaro hoste manu sibi desummere principes partes. Diu cum aequato certamine pugnatum esset, neque adhuc, quo victoria inclinaret, appareret, utrimque quasi ex composito omissa pugna, inter se delecti, ex utraque acie, qui pares aetate, et virium robore haberentur, ad singulare certamen provocant antiqua aemulatione gloriae ad tuendum militare decus stimulos addente, interea dum concurritur, ita inducias parti, ut neutris, quod de eo inter se colloquia facerent, esset fraudi, per eam occasionem Turcas, si qui e Germanis, aut Italis militare facinus paullo illustrius edidissent, quinam essent percunctando, ut agnoscere praesentes liceret, orabant, de comitate, et prolixitate, certantes paullo ante hostes, et mox posita arma in mutuam iterum perniciem sumpturi. In his nominatim appellatum Vitellium, Iovius ait a Turcarum praefecto, quicum illum ex ornatu armorum, quo inter multos conspiciebatur, atque ex adolescentium nobilium comitatu, quo stipatus incedebat, agnovisset; non potuerit se continere, quin illum complexus, et verbis honorificentissimis prosecutus, quantum gerenti arma salvo belli jure, liceret amicitiam, omni studio, atque humanitatis officio colendam policeretur. Compositi cum nostris Turcae equites quingentes concurrerunt; ita

militaris virtutis periculo facto, ut penes quos victoria steterit, Iovius non tradat, ex utraque parte desideraturos nonnullos, saucios aliquot, qui paulo post interierint, ex vulnere affirmet. Inter momentum maximarum gerendarum rerum, quasi ludicrum spectaculum interpositum, ut esset, quo animi ab armorum contentione relaxarentur, neque nostros revocavit a profectionis consilio, neque hostes reddidit ad lacessendos abeuntes segniores. Duces suis jussis corpora curare, ad fallendos hostes tessera signo dato, discedunt, tormentis cum impedimentis praemissis, ne his grave agmen, cum expedito equitatu lacesseret insequens hostis, atque iter accelerantibus inferret moram. Quod incommodum tamen minime iis effugere licuit. Vlamanes enim, nostrorum discessu cognito secundum Danubii ripam equitatu amnem traducto, quae ducere proficiscentes audierat, ducit, atque infestius carpendo novissimos sistere agmen cogit, non invitos illos quidem, quibus ad reprimendam sequentium hostium audaciam a ducibus, ut propius adeuntibus consisteret, et in hostem signa converterent, imperatum esset, atque hoc quidem Vitellii consilio inprimis, ut res docuit, opportuno, ut semel totis conversis viribus, ac validius illatis in hostem signis, barbarorum ferociam ab insequenti studio retardarent. Ita hinc Ungari cum delecto equitatu, illinc Germani equites levioris armaturae, subito ut convenerant densatis turmis, et conversis signis in barbaros, acerrime invecti pugnant, subsistentes primo audacius, ac nostrorum impetum excipientes; mox minus jam resistentes, et referentes pedem, propellunt, atque in fugam vertunt, qui iis subsidio essent, magno intervallo Turcis sequentibus, quominus in tempore suis laboranti-

bus ferre auxilium possent. Ita libero cursu nostri barbaros insectati effuse fugientes, ut qui retro Turcae subsequebantur, procul conspecta suorum fuga terga verterent, ordines effecerunt non signa, non servantes, ut fors, et casus praecipites agebat. Iam ventum erat ad urbis portas, quas cum occlusas invenissent, qui erant reliqui in urbis praesidio, veriti, ne inmistos nostros fugientibus acciperent, ad fluminis ripam fugam intendunt, nihil interim nostris de studio, atque alacritate iis insequendis remittentibus. Nam quo fugientibus major esset timenda clades, crebri oppido globi nullo discrimine in nostros pariter, et in suos emissi e tormentis tenebant. Nonnulli quidem e Germanis cupidius insecuti ceciderunt, in his Jacobus Trucses ex ampla familia equitum Svevorum praefectus, cum interfecto equo, frustra alium conscendere ad hunc usum paratum conatus esset. Hic finis insequendi nostris, fugiendi barbaris fuit. Inde Vlamanes, et suorum virtutis, et nostrorum periculo facto, continendos equites ab effusa licentia intra moenia meliore consilio arbitratus, nostris quominus pacatum iter, et tutum ad receptum pateret, non fuit in mora. Qua in re fuit inprimis Medicis industria laudanda, qui classi praeesse erat jussus. Ita re illius imperio, parate naves, instructaequae erant, ut singulae in suis stationibus positae, tum militi, tum tormentis, equis, impedimentisque accipiendis, nullo nauticorum tumultu, quem saepe imperitus miles rei navalis excitare solet, nullo jurgio, certamine, nullo pedites, equitesque conscenderent, severo proposito edicto, ne quis nautis impedimento esset, quominus, ut temporis et rerum ratio postularet, nautica ministeria exequerentur, cum in rapido, et verticoso amni, qui

multos admitteret casus, vel levissima quaeque res parum sedulo administrata, magnum momentum ad perniciem efferret. In uno quam aequum erat gravius offensum, quod tamen ne accideret, non erat in praefecti potestate, omnem ejus rei culpam fortuna elevante, quam praestare hominis industria, et maxime excellat ingenio, et prudentia non potest. Extremum agmen longo intervallo saucii sequentes, aliique variis correpti morbis, aegre assequi poterant citatiore gradu ad naves primos properantes, a barbaris in omnem occasionem bene gerendae rei intentis, sive aliunde sua sponte, sive ab Vlamano missis, nondum nostris a fluminis ripae oras solventibus, immanem in modum interficiuntur, quo tetrior clades et tam foedo spectaculo discedentibus objiceretur, non audentibus suis, in quorum oculis mactabantur, cum jam major copiarum pars esset amnem traducta, quiritantibus, et tam triste deplorantibus fatum opem ferre. Septingentos fuisse Germanos omnes, Jovius ait, qui ea expeditione novissimi ceciderunt. Tristis exitus belli et alios imperii principes movit, qui quot mala inde Germaniam imminerent, non mali vates animis prospiciebant, et Ferdinandum regem maxime perculit, cujus vota, magnis precibus impetrata auxilia usque adeo fefellissent, ut quo impetu sperasset Turcarum imperium convulsum excissumque iri, spe omni excidisset, quae belli jus reliqua fecerat in Ungaria retinendi. Iam et illud monebat, cujus rei fructum nullum, quem sibi uberrimum spopondisset, insignem nominis jacturam retulisset, ea tamquam de se praeclare meritis se obstrictum intelligeret, quo id ferret iniquiore animo, sibi per male gesta rei occasionem, spem omnem praecisam ratus, in posterum Germanorum auxi-

liis utendi, quibus desideratis, nulla supererat ratio a Turcarum impetu, non jam Ungariam, Austriam, Germaniam imperio olim, viris armis florentissimam, sed quidquid esset, reliqui in christiano orbe diutius tuendi. Namque et illa ipsa missa in speciem quidem maxima, re nulla fuerunt. Ita enim erat administrata, ut duci quamquam nobilissimo, atque Augustae dignitatis, esset certa ratio et scripta gerendi belli, octovium illi consilio adjecto, qui non paterentur, extra id, quod in mandatis haberet, proferre gradum, quod in re militari administranda, ut in aliis rebus omnibus, quas temporis ratio moderatur, magnas incommoditates, atque impedimenta habet. Oblata ea occasio, ut volumus gerendi rem, dum iis advocandis in consilium, ex quorum sententia rem administrari oportet, inter varia sentientes disputando, docendo, negando, refellendo tempus tenuerunt; ea ipsa oblata occasio e manibus fluit, ea natura, ut simul atque praesens faveat, celeritatem, atque alacritatem exequenda re, qua de agitur, requirat. Puditum enim est rem gerentem postulare, ut sibi occasio pareat, quae numquam occasio est, nisi cum horae momento, et lubens adest, et avolat infesta. Neque deerant, qui accerimi reprehensores, eorum sententiam damnarent, qui regi auctores fuissent per alium ducem bellum administrandi. Nemini enim dubium erat, quin tanti regis praesentis majestas, ut recte rem administratam laetus sequeretur eventus, plurimum momenti esset allatura. Nam aliud est, ubi de re oporteat agi eum, cujus res sit in consilio adesse, aliud eum, qui quasi alterius cognitor, in deliberando de aliena re, ne que sua opinione falsus labatur, suspensum animum, et dubium habet; cum praesertim non ignoret, ut quis maxime recto

consilio imitatur in agendo, non ex ratione rerum, et temporum, sed quod est in rebus humanis iniquissimum, ex eventu suum consilium, aut laudatum aut improbatum iri. Illud quidem optandum, ut quibus rerum administratio mandatur, ubi de eorum fide dubitandum non sit, et quid sit opus facto, teneant id, quod prudentiae munus est, et acres, atque impigri sint, eo ipso quod teneant recta, atque ordine administrando, ut quem velint, sequatur finis. Alieno quidem consilio cum illigari, cujus imperio est summa res permissa cum spe secundi eventus, non secus esse videatur, ac si quis postulet, ut compedibus vinctus, in stadio currendo percurrat, quam citatissimo cursu de victoria certantes. Ita re bellum gesturus sapientium hominum consilio munitur, ut penes illum optio et summa potestas sit, exploratis omnium sententiis, quam proxime censeat ad verum accedere deligendi, nullius illum imperio prohibente, quominus, id quod maxime expedire conveniat, exsequatur, quod aut regis unius est, aut ejus ducis, qui a rege summam potestatem imperii habeat mandatam. Nam quod Iovius ait, suorum consilio Ferdinandum deterritum a bello abfuisse, de eo consentientia Ungari tradunt; qui eundem bello initio, quod superioribus annis adversus Ioannem regem est gestum, adolescentem incensum gloriae cupiditate ultro ducis sibi atque imperatoris munus summentem, prohibitum a suis affirmant, cum observaretur ante oculos recens adhuc Ludovici regis clades, cujus miserabilis casus faciebat, ut qui Ferdinando adessent tutiora, quam splendidiora suaderent. Sed praesens bellum tantum ab illo distabat, quantum distabant belli gerentis vires, cum quidem Ferdinandus florentissimis copiis esset

praefuturus, et qua militum numero, non virtute solum pacis essent ad justum Solimani exercitum cum spe etiam victoriae oppugnandum Parum laetis auspiciis susceptum bellum, non meliore eventu gestum, Perinii calamitas, quae acceptas bello clades augeret, subsecuta est, quae Ungarorum animos sua sponte in Germanos male affectos, plane a Ferdinandi rationibus alienavit. Captus Perennius, cum soluto omni cura animo in Strigonii arce diversaretur, et arcta custodia asservatus Viennam ad Ferdinandum est perductus, cujus rei quis Auctor Ferdinando fuerit, non fertur, in tam illustri persona cum aliis, tum Ungaris inprimis caussam querentibus. Jovius ad elevandam rei male gesti invidiam, a regiis insimulatum proditionis suspicatur, quasi vinci a Turca Germani, nisi ab Ungaris proditi, non potuerint. Verisimile est hominis potentiam auctoritatemque summam apud suos, tum omnium maxime in re militari spectatam virtutem, regi fuisse suspectam, cum non de essent, qui verisimilem suspicionem in semel exulcerato animo, veris multa falsa affingendo augerent. Sed usque adeo tamen fuisse illi persvasum, quidquid illud est, quod Perinnio inimici crimini darent, ut statueret in eum capite animadvertendum, nemo temere credat, cui sit Ferdinandi mite, ac placidum ingenium perspectum, sed multo omnium maxime religio, aequitas, vitae et morum sanctitas, quam ne inimici quidem non illi cumulate tribuerunt. Equidem ut de re tanta non audeam pronunciare, ita quid sentiam, non vereor in medium afferre, ita re semper se Perinnius gessit in iis contentionibus, quae Ferdinando cum Joanne intercesserunt, ut siquis sit, qui in illo constantiam desiderat, quo habeant, qui illius nomini favent, quod de illo

quaeratur. In regiis comitiis Joanni suffragatus, usque eo, ut non desint, qui affirmant, principem illum sacrum regni insigne nondum regi detullise; anno eundem vertente, victis Joannis ducibus, ut suo loco demonstratum est, novis comitiis Posonium indictis, idem illud sacrum insigne creato regi Ferdinando detulit, insigni levitatis atque inconstantiae exemplo, si de tanto viro libere loqui fas est, quod minime illi tamen fuit diuturnum. Memorabili enim illa expeditione, quo Solimanus Viennam Germanis ad exitium imminens obsedit, ad Mohacsium castra habenti, idem insigne regium, quod Joannis capiti detractum Ferdinandi imposuerat, Solimano christianae Reipublicae hosti perpetuo delaturus, a Joannis ducibus cum uxore, liberis et magna clientium manu captus, et Solimano traditus est, qui mox illum, offensus hominis inconstantia, ad Joannem, qui pro merito de illo statueret, remisit. Ita a Joanne rege oblitteratis offensionibus contra, atque sperabat, et sua, et multorum conscientia revectus est, rursus in gratiam receptus, cum illi omnia restitui jussiset, quorum jure, possessioneque per admissum Majestatis crimen excidisset. Sed neque tamen ita clementer et benigne habitus ille diu mansit in fide. Nam altera Solimani expeditione, cujus haud laetior fuit exitus, quam prioris, cum antea fidos e suis homines Constantinopolim cum mandatis misisset, quorum supra mentionem fecimus, certior factus, Solimanum cum exercitu Mohácsium progressum, cum delectis equitibus sexcentis ad pompae regiae magnificentiam auro, argento, holoserica veste, instructis, advenienti occurrit, jam antea promisit, qui munera amplissima tum Solimano imperatori, tum interioribus amicis offerrent, quos Vesirios vocant, per quorum gratiam sperabat se

quae agitaret animo, consecuturum. Atque in principio quidem vultu totus ad hilaritatem compositus excepisse advenientem, et benigne et amanter Solimanus fertur, jussis suis in castris illi locum idoneum, atque honorificum dare, quo taetrior fabulae exitus, usque eo falso sua opinione videretur; postridie enim ab Ebraimo accitus, interiorum amicorum principe, cum per medium Janizerorum suorum ingenti numero stipatus incederet, ut a Solimano erat imperatum, jussus est arma ponere, et mox comprehensus, cum nonnullis, qui e prima nobilitate eum honoris causa erant secuti, ad Joannem regem remissus est, quem nihil eorum, quae apud Solimanum acta erant, jam ab Ebraimo edoctum fugiebat. In eorum numero, quos Janizeri comprehenderunt, duo clari nobilitate adolescentes, multo animi praesentia et fortitudine clariores memorabile facinus in omni posterorum memoria ediderunt, quod minime duximus nobis silentio praetereundum. Occupatis Janizeris equitibus comprehendendis, dum iis detractis spoliis vincula nectunt, gloriosa morte se a taeterrima barbarorum servitute vindicaturi districtis gladiis in jam sibi vim intentantis irruunt, tanta constantia impetuque animorum, ut duo spe vitae deplorata, omnium in se vim armaque converterent, e quibus cum vulnerassent multos, nonnullos interfecissent, multis confecti vulneribus, simul et pugnandi et vincendi finem fecerunt. Nicolao Pechio alteri, alteri Stephano Delio nomen. Perinnius nondum Joannis clementia, et facilitate tot injuriis victa, in pristinum gratiae locum est receptus, Francisco filio natu majore apud Solimanum relicto, qui esset patris fidei obses. Jovius duriorem se Joannem praebuisse in principio affirmat, negantem venia dignum mobilis fidei hominem, et in uno tuendo morbo

animi constantem, non Imperatori Solimano, a quo conservatus esset, ultimum supplicium promeritus, non Joanni regi, in cujus esset potestate diutius, quam illius rationes postularent, fidum futurum, ubi liceret per suam nimiam facilitatem, quod non tum primum in se flagitium admisisset, impune ferre. Quae ita ait a Solimano audita, ut leuiter Joannem castigatum in sententiam traduxerit. Non tu quidem, inquit, prius inimico, quam tibi prospicis, dum illi ignoscis. Quoties enim in te admittit, quod minus velis, ubi id totum illi condones, illius injuria ei in dedecus, tibi in laudem majorem vertit; ut si fieri possit, sit cur illi habeas gratiam, quod per illius nequitiam, tibi liceat tuae virtutis et constantiae fructum uberem, atque optimum referre. Semel atque iterum ignovisti: ne te poeniteat semel atque iterum recte fecisse. Adhuc recte facere Rege, quo illius in te majus scelus, eo tua major et clarior laus. Difficile hoc, inquis, homini nato, imo hoc nomine, quod difficile, quod arduum, quod superet hominum vires, ignosces. Haec fortitudinis laus in lege conspici debet, quem decet, ut honore, sic virtute, qua una verus honor comparatur, inter homines excellere. His Joannes, ut diximus victus, et sui potens et ingenii magis, quam injuriarum memor, quibus gravissimis erat affectus Perinnio, quominus eadem hora secum rediret in gratiam, non fuit mora. Inde Joanne rege mortuo, in Ferdinandi partes concessit, contra Joannis haeredem, cui vitam, salutem, libertatem debebat, et reginam viduam armis sumptis; cujus alacritatis et studii justum praemium retulit, vitam taetro carcere inclusus finiturus. Sub idem tempus, quo bellum ad Pestum gerebatur, adolescens filius Constantinopoli fuga elapsus custodibus suis dulcedine

largitiorum delinitis, sive astu et consilio falsis, ad patrem rediit. Inde ansam criminandi regii nacti in capitis discrimen adductum pessumdederunt, fabula conficta, quae cum pro vera altius regis animo haesisset, homini exitio fuit, fidem faciente crimini, praeter ea, quae sunt jam a nobis commemorata, restituto filio, parenti, quasi in bello patratae operae a Solimano illi desponsum esset Ungariae regnum, ad evitandam invidiam, vivente Joannis herede, praefecti titulo administrandum. Accedebat ad regis suspicionem confirmandam, hominis inconstantia et numquam plane dissimulata cupiditas regnandi, qua elatus et jam pridem suos ad Solimanum misisse, et adiisse mox ipse armatum, atque Vngaris inferentem bellum credebatur. Jam et ea erat opinio hominum de Ferdinando, ut jam diximus, ut non crederetur tantus rex, fide habita inimicorum calumniis, nisi certiora de illius consiliis cognosset, innocentem opprimi passurus. Perstringit hic Jovius nationis aculeo Liscanum cohortis Hispanorum praefectum, cui a rege datum, negotium erat Perinii comprehendendi detracto, illi aureo torque, et zibellina veste, quibus deliciis nobiles Vngari abundant, Medici classis praefecto adducendum ad Ferdinandum tradidisse; qua in re ita Hispanis animi sordes, et inhumanitatem objicit, ut ingenii memor, scribentis muneris obliviscatur, qui non minuta quaeque insectando, sed persequendo se digna, maximorum virorum res gestas, regum atque illustrium populorum consilia fortunae, et temporum vicisitudines, partes sibi scribendi praestandas intelligit. Eo reciderunt Perinii consilia viri, ut caetera memorabilis, sic plus aequo elati animi, atque quod illi exitio fuit, in privata fortuna regios spiritus gerentis. Ita

quidem in eo dicitur multus fuisse, ut qua iter faceret, praeter regium comitatum, cujus splendor regis afficiebat, equos centum amplius prae se ageret, e generosi Thraciae armentis ingenti pretio conquisitos, ne quis dubitaret, quin instrati ad unius usum essent, manu illos suis ducentibus, quorum semper ingens agmen secum trahebat, qua pompae ostentatione non multo prius offendisse cum in omnium oculos incurreret, res digna admiratione videatur. Dicitur, cum rhaeda vectus non longe Vienna abesset, quo Philippus Torniellius Medici processerat obviam, facta dicendi potestate, cum, ut hoc sibi liceret, enixe precatus esset, ad hunc modum locutus, quod velle videbatur spe ab iis facta, quae diceret cum fide omnia se ad regem relaturos. Potuit fortuna viri fortissimi, in tanta mea calamitate, alia mihi omnia eripere, quae in me effusior, quam quis audeat optare, aliquando largita est, nobilitatem inter meos parentes, et majorum honoribus amplissimis testatam, fortunas, copias, peramplam ditionem, magnorum amicorum, magnum clientium mumerum, mentem, consilium, animi magnitudinem, omnium maxime tutam innocentiam ab omnibus invidiae telis, quae animi bona neque dat, neque aufert fortuna, quamdiu mihi non deesse cognoscam, numquam vero, quantum vis illa in me saeviat, mihi videar esse miser. Sed si quid tamen mihi praeter rectam animi conscientiam erat optandum, id unum erat, ut nobis viris tantis meae innocentiae testibus e vita migrarem, id quod victo mibi singulari Dei immortalis beneficio contigisse. Et si vero satis uberem fructum recte factorum refert, qui sibi conscius est recte fecisse, ut uberior tamen, et solidior sit, efficit una accessio nominis, et famae: quae si minus nostra,

at posterorum causa, nobis, quamdiu vivimus, est laborandum, ut integra atque illibata ab infamiae labe ad illos perveniat. Equidem in magna hominum luce, ita sum magnis rebus gerendis versatus, absit verbo arrogantia, ut quae quantaque mea merita in meos, atque in patriam essent, (majora quidem omnium opinione ut essent, laboravi) nemo ignorare possit. Quorum quidem me tam injustum referre praemium, non mihi magis, quam uni Ferdinando regi calamitosum est, qui quidem, ut omnium regum maximus, ac fortunatissimus esset, non liberis, non fortunis, non sangvini, non jubae peperci, quae mihi semper, causa eius augendi, atque amplificandi. nominis vilis fuit. Ac ne videar tam subito ictus fortunae telos, fracta animi magnitudine, concidisse, una me conscientia rerum, quas gessi, quam non male, paulo ante, dixi, famae et nominis accessione augeri, ita sustentat, ut qualemcunque me inimici mei videri velint, si data optio sit, hanc praesentem meam calamitatem, cum eorum beata vita non sim commutaturus. Unus enim hic est interior sensus eorum, quae praeclare agimus, quem non vincula, non catenae, non carceris squalor evellere a nobis possit. Illud doleo, quod commune malum Ferdinandus habet cum suis regibus omnibus, cum nimia sua indulgentia, tum nequitia, et scelere suorum sibi proprium fecisse, ut, patefactis auribus inimicorum calumniis, per virorum fortium calamitatem, in quorum numero, ut essem, semper operam dedi, crescere patiatur indignos homines, qui hac vita, atque hominum luce fruantur, ut rem vere aestimanti, qui multorum judicio beatissimi habentur, in magnis imperiis positi, sint deteriore conditione, quam qui, aut in fabrica, aut in sutrina, aut in opere rustico vitam agunt.

Quo enim quisque vilior fortuna et despectior est: eo semper plures habet, qui illi domestica mala, atque erumnas ob oculos sive amici benevolentia, sive inimici odio ponere audeat, quibus cognitis, non aegre opem, atque auxilium iis propulsandis inveniunt. Quo quidem commodo carent magni reges, et populorum rectores, ad quorum aures, raro vera dicentibus, monentibus salutaria, detegentibus animi morbos, quibus saepius conficiuntur, quam se sentiant laborare, aditus patet. Saepe enim accidit, ut minus cogniti morbo, et propterea neglecti, insigni cum multorum pernicie, et ruina in viscera abscedant. Canes fideles et certos custodes privati habent, qui ab aditu advenientes, nisi sint bene cogniti, arceant, circumstant reges ex alio genere canes, qui importunis latratibus ab ingressu deterreant probos, prudentes, sapientes homines, qui vera, honesta, conducibilia afferunt; admittunt impuros, assentatores, qui non ea, quae expediant, sed quae iucunda, et suavia sunt, important, omnia ad nutum, atque ad gratiam loquentes; ut saepe magnam pestem in sinu haerentem reges non sentiant, maxime ea parte miseri, qua se esse beatissimos putant, saepe accidat, ut prius ad exitium ferantur, quam se prope esse exitium animadvertant. Equidem neminem, ut rex emuletur, postulo praeter ipsum scilicet ab irato Ferdinando, a depravato inimicorum calumniis, ab immemore regiis muneris, ad eum Ferdinandum appello, cujus religio, justitia, sanctitas, norma, atque exemplar est caeteris regibus ad populos juste et sapienter regendos. Non hoc regis est et obtinentis legitimum in homines imperium, sed importuni tyranni, aquo longissime Ferdinandus rex abest, cujus sit pro lege voluntas, damnare indicta caussa mitto (nobilem hominem,

multis majorum meritis, multis suis, absit verbo invidia, clarum, natum liberum, munitum patriis legibus, gentium jure) jubere rapi ad caedem, inter sicarios, latrones, fures nocturnos innocentem in carcerem trudi. O hominum cogitationes fallaces! o spes inanes! vana mortalium consilia! Perinius saepe pro Ferdinandi jure vitae discrimine perfunctus in hostem pugnando, adverso pectore, vulnera excipiendo, mortem oppetendo; a Ferdinando extremi juris subsidium non possum in vitae discrimen adductus, circumventus inimicorum insidiis impetrare, prius capitis damnatus, quam que sit damnandi causa, intelligam. Per vestram vos fidem, viri fortissimi, perque vestras illas invictas dextras oro, quibus nunc mecum adversus immanes hostes Ferdinandi ditionem atque imperium defendistis, hoc in parte praemii a rege postuletis, quod optime de illius nomine meritis debetur, ut patrio more, quo nec perduellionis quidem reus legis beneficio excluditur, de iis, quae mihi objiciuntur, quaestione habita, apud legitimos iudices caussae dicendae faciat potestatem, minime dubius, quin ubi a se impetrari patiatur, illud assecuturus sit, ut aut nulla sua cum invidia de convicto expetat poenas, aut absolutum judicum sententiis, patriae innocentem restituat; quae si excita suis sedibus vocem mittere queat, sit lacrimis multis, et ultimis precibus a suo cive, olim gloria, fortunis, opibus florentissimo capitis periculum depulsura. Quid vero est, quod mihi inimici mei objiciunt? a Solimano remissum ad patrem filium. Audio: per quem transactum sit de patri regno Vngariae tradendo. Quid, si ille non Solimani beneficio, sed servi Rasciani astu, fugae comitis, et itineris ducis futuri, rediit ad patrem? Capitalis odii est,

quod casu accidit, innocenti ratione repugnante in crimen verti: scilicet, ut quem decebat patri solatio esse, filii desiderio aestuanti, illi maerori, pesti, atque ruinae foret, id crudelissimis hominibus, inimicis meis procurantibus, ut ad patris dolorem, quasi accessio quaereretur, ubi filius rescisceret, patris, cui se gaudium allaturum ex recepto filio speraret, nusquam a se violato pietatis jure se paricidam fuisse. Quam vero me esse inimici mei fingunt? Ita ne ego demens, ita excors, mei oblitus, ut semel, atque iterum falsus, elusus, inductus in fraudem, me, liberos, fortunas fallacissimae genti permittam? Hoc nimirum est, quod longo usu accidere animaadvertimus: nimium homines, quae volunt contendendo, iidem ipsi efficiunt, ut minus, quae velint, assequantur. Pervertit mentis consilium inimicis meis vehementior cupiditas innocentem opprimendi, ut cum teneant, quid velint, ignorant, quibus rationibus perveniant, quae contendunt, — quod eorum proprium est, quorum mentes, loco pulsa ratione, amentia, odium, iracundia invasit. Et si enim iis succedere prava conspiratio me opprimendo, videatur; non id tamen eorum consilio, sed ejus facilitate nimia, atque indulgentia accidit, qui non suo, sed aliorum sensu, quibus semel se totum dedidit, in judicando de rebus gravissimis utitur.

Opportunitas in agendo, ut ex sententia id, quod agimus, eveniat, spectanda est, qui me plane mentis expertem, et consilii arguat, si crediderim jam, a Solimanno Joannis herede in patris solio collocato, contra Solimanum gerenti arma, regnandi consilium processurum. Eodem spectat mea nimis invidiosa potentia, domesticae opes, factiones amicorum, quae omnia mei adversarii Ferdinandum suspecta habere

aequum putant, Solimanum non putent, cujus unum maximum fulcimentum ad stabiliendum tantum imperium positum est, exstingvenda nobilitate, evehendis ad summos honores obscuro loco natis hominibus, quibus non efferat animum generis splendor ad regnandi cupiditatem, praesertim eo regno potiente, cujus beneficio supra omnes suas spe sint elati. Non est consilium, apud nos homines prudentissimos pluribus de iis agere, quae mihi ita multa, caussa mea justissima subministrat, ut minime dubitem, quin iis rex cognitis, de cujus justitia, atque integritate nunquam mihi venit in mentem dubitare, dignam se, dignam opinione hominum, et vero dignam mea innocentia sententiam sit pronunciaturus. Hac oratione duo duces emollitis animis, quos sua sponte moverat, in claro homine tam acerbus spectatus fortunae casus liberaliter polliciti, et se enimvero de illius causa acturos sedulo apud regem se spoponderunt, et daturos operam adeo, ut intelligeret, non frustra de se eam spem suscepisse, quam praeseferre visus esset. Neque illi minus, quam spoponderant, fidelem operam sedulamve praestiterunt. Vsque eo quidem est profectum, ut proclivior rex ad misericordiam, negaret reo a carnifice periculum imminere, quae caussa esset, quare plane sibi liberandum hominem non statueret, in eorum suspitione relinquere, quam sua oratione testari mallet. Ita Neapolim (?) abductus et in caveam conjectus est, tertius ex Ungarorum nobilitate, cujus in magna fortuna conspectior calamitas esset, in non dissimili caussa posteris humanarum rerum inconstantiae illustre exemplum relicturus. In uno quidem majore cum invidia offendere visus est, quod Terechius, et Majlatus Solimano hosti, ille

Ferdinando christiano regi, sive jure, id quod inimici illius videre voluerunt, sive injuria suspectus poenas dedit. Triste parentis fatum liberi, alio quidum calamitatis genere, sed aeque infelicis memoriae repraesentarunt Constantinopoli Franciscus, captata fuga, cum sub idem fere tempus in Vngariam rediisset, quo captus pater, et ad Ferdinandum perductus erat, a fratre Gabriele pulsus, natu minore, qui per illius reditum in cernenda parentis hereditate, cujus se ex asse futurum heredem sperabat, dimidia parte se minui intelligebat. Neque multo post ignotus suis et obscurus, cum apud Turcas magna pueritia parte traducta, caussae justissimae, non patronum, non cognitorem inveniret, veneno, ut creditur, a fratre est sublatus, qui nota paricidii infamis haud meliore conditione in posterum vixit, quam frater innocens periit, quo miserabilior illius casus videretur primo juventae flore exstinctus. Vngari equites, qui sub Perinnij signis meruerant, Germanos exsecrati, Vngaris infausti ominis gentem nullius expectato imperio, dilapsi abierant, non a germanis solum, in quos sublati ducis culpam conferebant, sed a Ferdinando etiam alienato animo, quaeri falsis eorum criminationibus temere fide habita, temere in clarissimum virum, et haud tum dubie facile principem Vngariae nobilitatis animadvertisse querebantur.

IO. MICHAELIS BRVTI

UNGARICARUM RERUM

LIBER DVODECIMVS.

IO. MICHAELIS BRVTI
VNGARICARVM RERVM
LIBER DVODECIMVS.

Bellum quanto majore studio, cura, intentione, laetioribus Christianae reipublicae auspiciis, populorum secundioribus ominibus, atque acclamationibus susceptum, tam foedius gestum, atque administratum hunc exitum habuit, nostrorum non cladibus magis, quam infamia et dedecore memorabilem, cum haec una omnium spes esset, aut his viribus aut nullis praeterea Turcarum imperium eversum iri. Et in eo quidem ipso esset aliquid ad summam profectum, si quemadmodum hosti per adeo nobilem expeditionem, nostrorum essent cognitae vires, cum viribus aequari voluntatem cognitum esset; quod tamen minime illi obscurum fuit, non domestica magis potentia, quam nostrorum dissimulatione, et socordia superbo. Non nempe tum primum virium periculum factum, et jam pridem cognitum est, nostros, quod vinci vellent, ab hoste barbaro vinci potuisse. Neque vero cujus nostrum consilium est, nostras calamitates quaerendo, deplorandoque augere, satis per se graves, atque acerbas, ut nulla etiam nostra querella, comploratioque accedat. Illud quidem nobis propositum est, quod a rerum

scriptore, memore sui muneris, non est alienum, penes quos culpa tantarum cladium sit, quibus quotidie plectimur demonstrare. Nam quod id a nobis, quam velimus, crebrius agatur, iidem efficiunt, qui nobis crebriores querendi causas, jussioresque praebent. Nunquam nostra, nunquam patrum memoria, ut remotiora a nobis tempora omittantur, in mutuas caedes christianis regibus arma defuerant. In Italia, Germania, Gallia per funesta bella exercitus, ad internecionem caesi, longe lateque strati campi cadaverum acervis, excissae atque aequatae solo urbes, incensa templa nobilissima, sanctissima Christi delubra, humano sangvine cruentata flumina, illustribus ad posteritatem titulis, obscura atque ignobilia loca nobilitarunt, ut nunquam liceat pedem proferre, quin in nostrorum malorum insignibus munimentis vestigia imprimantur contra hostem Turcam, et nunc desunt, et semper arma defuerunt. Sed non haec modo a nostris Christianae respublicae illata vulnera, illud unum inflixum maximum, et nunquam satis per omnia sequentia tempora deplorandum: dum Christiani reges in mutuam perniciem exardescentes, aut invadunt aliena regna injustis armis, aut deturbant avitis et legitimis potientes, Turcam per otium, magnam Asiae partem, magnam Europae, Africae, Syriam, Aegiptum suae ditionis atque imperii fecisse: ut cujus olim vires, satis per se formidolosae essent, tanta accessione imperii nostris insuperabiles aeterna inter se odia exercentibus, ad exterminandum e terris Christi nomen pares haberentur. Nostra infamia maxime annum memorabilem (fuit is annus hujus seculi XLII.) cum alia prodigia, atque ostenta multa reddiderunt, tum multi undique praeposteri nunciati pecorum atque hominum

partus, quasi naturae ludibrio in alias species degenerantium, quibus vana superstitione depravatis animis, vulgo portendi ea mala, quae brevi evenerunt, creditum est. Nam mediis aestatis caloribus, nova clades populis invecta, immanis locustarum vis, quae magna terrarum spacia marisque emensae, in Italiam ex objectis Illyry regionibus, vento earum nubes agente, descenderant. Inde magnam Insubris agri partem populatae, cum sata, vineas, arbores, et quidquid herbidi soli in Italiae amoenissimo tractu habetur, depastae foedae essent, nimium solis aestum non ferentes, taetra proluviae mortuae longe lateque campos straverunt. Inde infecto coelo, cum pestilentem aeris halitum non solum aliae aves non ferrent, sed ne illae quidem, quae rapto vivunt, et a cadaveribus non abstinent, aliquandiu agricultorum frequentia, incolarum oppida carue-runt, omnibus ad ea loca confugientibus, quo dira pestis lues non pervasisset Eandem cladem Germaniae magna pars, Silesia, Misna aliae gentes passae feruntur. Jam et multis aliis in locis terra movit, et in Etruria inprimis memorabili casu, Scarpariae, quod celebre oppidum non ita longo Florentia abest, dehiscens solum, insuper exstructas domos, atque insignia alia aedificia, cum non ita diu concussae nutassent, cum universis habitatoribus una hausit. — Sequitur xliij. annus novis aliis nostrorum cladibus futurus insiguis. Ferdinandus enim rex minime dubius, quin male a suis gesta re, Solimanus pro occasione ad instaurandum bellum uteretur, Norimbergam, quo erat a fratre Caesare conventus principum indictus, anni initio venit, secum duobus filiis majoribus natu Maximiliano, qui illi postea successit, et Fer-

dinando assumptis. Quod sua sponte suspicabatur, confirmabat fama, et multorum litterae, quibus certior fiebat Solimanum adornando bello intentum, terra marique christianis arma inferre, quae nunquam vana fama, non nobis nostra expectatione tristiores, et funestiores exitus pertendit. Verisimile quidem videbatur, cum ignobile Vngariae oppidum summis viribus oppugnantibus irriti conatus cecidissent, ut ipse, majoribus comparatis copiis, bellum instauraret, Ferdinandum ex Vngariae possessione ejecturum. Inde rex aliquos diebus ad quietem datis, pridie kal. Febr. principibus advocatis, eorum frequenti consessu de Republica retulit, deque rebus aliis, quarum rerum caussa convenissent, inprimis quo in loco res Vngarorum essent, quorum salute deplorata, minime dubitandum contenderet, quin eorum malorum finis, quae Vngari passi essent, nisi iis sibi obviam eundum statuerent, Germanis esset malorum initium futurum. Superioribus aliis comitiis, cum magno omnium consensu sibi essent desponsa, adversus communem hostem auxilia, ita coepisse de Vngariae rebus bene sperare, ut quamquam non ignoraret, quantus hostis Solimanus esset, et quam validis viribus succinctus: ultro illi arma inferre esset ausus. Hortari vehementer, ut memores suae constantiae, in magno discrimine versante, et suae existimationi conducere, cujus oblivisci, sine magna sua invidia haud possent, et communi saluti existimarent, omni cunctatione omissa, novas copias comparare, non quod male nonnulli crederent, pro Vngarorum salute, sed pro Germanorum securitate, atque otio, quibus eadem mala imminerent, quae Vngari essent perpessi, quod omen Deus immortalis propitius in hostium capita averteret.

Id ita esse, ex multorum litteris se, ne quis crederet a parum firmis rumoribus haustum cognovisse, quas quidem secum faciundae fidei caussa, si quis dubitaret, attullisset. Instrui quidem in navalibus classem ingentem, eo consilio, ut classis dux Ariadenus, cum Gallorum classe sua conjuncta, christianos principes suis defendendis occupatos, a summitendis Vngaris auxiliis deterreret. Ac se quidem, quamquam tributis populi exhaustis, vix auderet, aut militem, aut tormenta imperare, quae belli usus requirat, operam daturum tamen, ut quas sibi partes regium munus imposuisset, atque insita animo pietas, sui a se ne desiderarent. Inde cum litteras proferri in medium jussisset, ne quis a se dubia afferri, aut temere credita existimaret, in medio consessu legendas curavit. Inclinantibus principum animis in eam sententiam, quam praesens rerum status, et temporum ratio svadebat, duo obstabant: Germanorum discidium de religione, negantibus, qui pontificiis partibus adversabantur, quidquam prius se decerni passuros, quam sublatum de re tanta discidium inter populos esset, tum bellum eodem tempore Carolo Caesari in Belgis illatum, ut credi volebat, hortatu Gallorum, qui Martinum Rosemuim, rei militaris peritum hominem, cum valida peditum atque equitum manu vastatum provinciam misissent, magna cum Francisci regis invidia, qui Caesari parato fratri adversus Solimanum auxilio ire, difficillimo reipublicae tempore opem imploranti, impedimento fuisset. Neque hoc solum ab illo excogitatum querebatur, sed traductum in partes Clivensium ducem regiarum nuptiarum spe et ad bellum inferendum ditionis suae populis impulsum. Aderant vero opportune, qui haec augerent, Mariae legati, olim Vnga-

riae reginae, Caesaris et Ferdinandi sororis, quae tum praeerat Belgis, sed ante omnes Granvellanus, cujus erat summa apud Caesarem auctoritas, hujus unius rei caussa Norimbergam missus. Is verbo excusandi Caesarem caussa, re Gallum accusandi, per quem contenderet non licere nolenti tam debito pietatis officio fungi, multa acerba collegit, non sine magna principum assensione, qui multis de caussis erant a rege aversi; in primis illud urgebat, Francisci regis svasu instructam censum quinquagentum longarum navium classem, quae cum classe Gallorum conjuncta, a Messanae freto, toto infero mari, ad ultimos usque Hispaniae fines, redderet suis infestam maritimam oram, scilicet, ut christianissimo rege Turcae antesignano, direptis christianis, urbibus, atque incensis et solo aequatis infinita mortalium vis, aut interiret ferro, aut in servitutem teterrimam abduceretur. Neque se tamen ullis aut hostium insidiis, aut aperta vi deterritum iri, quominus praesenti animo, bello sibi glorioso ad, hominum famam reipublicae necessario, interesset. Rogare modo, ut difficili suo tempore distributis viribus, neque fratri deessent adversus crudelem hostem poscenti auxilia, et se juvarent eodem tempore terra marique Gallorum, et Turcarum armis circumsessum: quo liceret, cujus solutiore animo, quod maximum sibi semper in optatis fuisset, incumbere in Turcicum bellum. In his difficultatibus contendente Ferdinando, unam rebus omnibus praevertendam communem reipublicae salutem, decernitur, ut ex antiqua formula collecto milite, Vngariae urbes sitae in Turcarum finibus, validis praesidiis muniantur, ita suppeditato sumptu, ut rebus necessariis ad bellum, ut ex aequo omnes solverent, quantum ex

principum et civitatum censu imperatum esset. Dum haec in Germania geruntur, Solimanus Hadrianopoli, quo se hiemandi caussa contulerat, intentissima cura, quae idonea bello gerendo esset, administrabat, ineunte vere, quo maturius hominum opinione coeptum bellum, Ferdinandum imparatum opprimeret, in Vngariam ducturus. Perspecta enim Solimano Germanorum ingenia, plus aequo semper in his, quae agunt, consultando, disceptandoque, procrastinantium, spem injiciebant strenue se rem gerentem et si prius Vngarorum urbes oppugnaret, quam ad illos belli fama pervenisset, se ex Tracia movisse, belli celerem exitum laetumque consecuturum. Namque et illud barbari spem confirmabat, per multorum capita rem administrandam, id quod diuturnus rerum usus, et ratio doceret: nunquam cito ad finem perduci, raro perduci ad laetum exitum posse, multis saepe inter diversa sentientes, intercedentibus, quae properantibus injicerent moram, qua quidem interposita, multae saepe occasiones recte rem administrandi e manibus elaberentur, quo incommodo ii carerent, qui ita multos consulerent de iis, quae essent agenda, ut qui consulerentur, in unius potestate esse positum intelligerent, expensis accurate singulorum sententiis, quid magis expedire censeret deliberandi, qui etiam si nonnunquam offenderet, et ad deteriora inclinaret, in eo adjuvaret tamen, quod ubi ad meliore propenderet unus, cujus res esset omnes, quae occasionem corrumperent, recte gerendae rei moras praecideret. Per idem tempus, Polinus Francisci regis legatus, callidus vir et magni usus, Solimanum adierat, ne vana Caesaris querela videretur, de impetranda classe, cujus jam regi spem fecerat, acturus. Jam vere appetente, quod esset tempus maxime ad res

gerendas idoneum, non videri ulterius rem differendam. Rogare, ut adornatam jam classem, ut fama esset, eductam e navalibus, sibi juberet tradi. Verendum enim, ne dato spatio hosti praepotenti ad colligendas vires, et sibi ipse occasionem praecideret Ferdinandum ex Vngaria pellendi, et regi spoliandi fratrem earum urbium imperio, quas multas, et peropulentas a primis Italiae littoribus ad extrema usque Hispaniae littora longo maris, et terrarum spatio possideret. Aliarum rerum omnium jacturam posse sarcire, non posse temporis, cujus praeteriti tristis poenitentia comes, in his, quae nulla cum spe recuperandi amitterentur, expeteret poenas, aut tarditatis si cunctando, aut imprudentiae, si non vivendo essent amissa. Ne res facilis impetratu esset, quamquam regi, ut fictum est, esset classis a Solimano desponsa, Solimanus Eunuchus obsistebat, cujus tum erat summa apud barbarum auctoritas, magnis largitionibus, ut vulgo credebatur, tum a Caesaris ministris, tum a legato Venetae reipublicae a regis rationibus aversus. Addit Jovius aliam hujus rei caussam: non obscuras simultates inter Solimanum, et Ariadenum classis praefectum, quem quidem potentiae aemulum, per occasionem educendae in expeditione classis, crescere apud imperatorem nolebat. Hic est Solimanus, qui anno ejus seculi XXXVII. missus a Solimano imperatore, cum non contemnenda classe, ad Lusitanos ex India pellendos, nulla memorabili re gesta, et tanta expeditione digna discesserat, ut mirum videri possit ita male de Solimani majestate merito, ad principem gratiae locum pervenire licuisse, si iis est habenda fides, qui in tota illa administranda, et gerenda re interfuerunt. Cum nempe nuncium accepisset Lusitanos cum classe adventare, ad dimicandum

paratos, soluta ad Dium obsidione, quam urbem frustra erat oppugnare adortus, suis anchoras praecidere, et vela dare in altum jussis, discessit per tam praecipitem fugam, aucta apud Indos Lusitanorum gloria pari Solimani invidia, cujus nominis fama, et viribus adeo subnixus, non esset ausus proelii aleam tentare, hoc nomine, ut caetera abessent, minime cum Ariadeno conferendus. Erat vero in eadem procuranda re non eadem Caesaris, qui se palam Solimani hostem ferebat, et Venetorum ratio. Nam Veneti vetere instituto, Turca instruente classe paullo majore apparatu, et ipsi classem adornant, atque adeo cum foedus etiam, induciaeque intercedunt, hoc unum semper, ut sibi nulla cum offensione liceret, in paris et induciarum conditionibus excipientes. Neque vero erant invidiosa arma, quae non ad inferendam injuriam, sed ad propulsandam illatam, et tuendum maritimum imperium comparabantur. Monebatur Caesar cum impendentibus malis ab hostibili classe tum praecepta spe gloriae, cujus maxime studiosus erat, per sacrum bellum comparandae, quam illi christiani populi fere eodem consensu destinabant. Neque de eo dubitabat, quin hostium classe inferum mare infestum habente, in Siciliam et suae ditionis insulas, inprimis in Hispaniam navigantes commercii caussa, id quod erat populis, propter portoria, quae pro mercibus exigebantur, magno futurum detrimento, tuto ad terram appulsu intercluderentur. Sed vicit difficultates omnes non Solimani Gallo obstricta fides, ut male Jovius credit, cujus illi, nisi cum suis rebus conduceret, minima cura erat, sed certa rerum gerendarum et temporis ratio, quae gerenti adversus Ferdinandum bellum, distinendum fratrem per hanc rationem ab eo juvando suis auxiliis

svadebat, ut cum videretur Gallo gratificari, eadem opera, et suam, et illius ageret caussam. Ita Solimanus accitum Byzantio Ariadenum, Polini imperio, et si quibus aliis rei maritimae administrationem rex Gallus mandaret, qua videretur classem ducere, et rem administrare jubet. Ergo Ariadenus acceptis mandatis, cum XC longarum navium classe Byzantio profectus, in medio navigationis cursu piraticas biremes ad XL suis adjunxit, quibus auctus viribus Rhegium, superato Messanae freto, classem appullit, quae urbs foede direpta, atque incensa, magno captivorum numero, atque opima, et luculenta praeda inde abacta. Non est consilium, cum Vngaricis rebus, nisi quae illas attingant, externa conjungere, et quibus cladibus barbarorum classis populos affecerit Caroli Caesaris imperio subjectos, pluribus prosequi: esset enim tum infinitum, tum in alieno munere, quod praeposterum est sui obliviscentis. Hactenus quidem haec haud visa praetereunda, ut ex iis appareret, quod Solimani consilium esset bellum Vngaris inferentis, cujus gerendi ex sententia, unam certam rationem tutissimam credebat, Carolum Caesarem implicatum domestico bello, a ferendo fratri auxilio, a se bello oppresso detineri, quas partes suscepisse magna cum hominum invidia Franciscus rex credebatur, cujus refellendae calumniae, si illa modo calumnia, et non rerum crimen fuit, editi libelli a disertis hominibus leguntur. Igitur cum hac parte securus, de belli eventu non dubitaret, jam praefectorum diligentia omnibus, quae necessaria erant ad bellum, comparatis, Hadrionapoli movit, ac justis itineribus ad Savum contendit. Inde exercitu ponte traducto, ne Ungari properantem morarentur, Valponum, qua illi erat iter faciendum, Amurathem, et Vlamanem,

duos belli duces magni nominis, praeire, atque oppidum occupare jubet. Jam Strigonii oppugnationem agitabat animo, atque aliarum urbium interioris Vngariae, quae urbes positae in Ferdinandi potestate, haud dubie mancum illi regnum, et parum tutum amissae reddebant. Ergo totius belli summam plurimum conducere arbitratus, nihil a tergo relinquere, quod ab hoste munitum, dubiam rem gerenti victoriam, et sua spe duturniorem efficeret. his severe mandat, ut oppidum summis viribus adorti primo quoque tempore redigant in potestatem, facile voto potituri, ubi pristinae virtutis memores, nihil sibi ad summam alacritatem reliqui faciant. Neque hoc contentus, equitum praefectum Achomatem, virum fortem, et magni animi, non longo ab Vlamane et Amurathe intervallo, sequi cum expedito equitatu jubet. Erat Valponium, ut alibi diximus, ad Dravi interiorem ripam situm, inprimis ad prohibendum hostem transitu opportunum, quo in oppido ungari in Perinii ditione positum, milites et praesentibus viribus diffisi, et spe externi auxilii destituti, si Jovio credendum est, nullam deditioni moram fecerunt. Non dissimilis fuit Soklensium fortuna. Erant in oppidi praesidio e nobilitate juvenes ad CCC, inprimis militaris gloriae studio flagrantes, cujus magis, quam suorum virium memores, temerario consilio ire obviam advenienti hosti constituunt. Ita erumpentes, cum facile paucorum inanem impetum, multi elusissent, rejecti in oppidum, cum una barbaris irrumpentibus nulla alia spe effugii esset, se in arcem receperunt, quam mox invalidam ad Solimani vim sustinendam necessario consilio id extorquente, ducibus dediderunt. Ita, quamquam accepta fide, incolumes abituros, cum vix egressi porta essent, ad unum omnes sunt interfecti, quam esset fidendum

barbarorum religioni, non primi illi, tamen exemplo futuri. His gestis Solimanus virtute suorum, explicato itinere, Budam cum exercitu proficiscitur, ubi haud diu moratus, praemissa adverso flumine classe, tum milite, tum tormentis egregie instructa, terrestri itinere cum omnibus copiis Strigonium contendit. Vrbs parum per se munita loci natura, molli ascensu in modice altitudinis fastigium assurgit; sed ne in eo satis praesidii sit, e regione efficit objectus collis aliquanto editior, ut nisi nostri, praesidio imposito, vrbi imminentem tuerentur, verendum esset, ne Turca potitus, non propugnantibus ullum satis munitum locum, non oppidanis liberam stationem sub tectis, aut in publicis urbis locis a tormentorum ictibus relinqueret. Vna quidem spes erat vrbem defendendi sua sponte parum firmam, perexigua in propugnatorum virtute, quae in temeritatem verteret, ubi adversus Solimani immensas copias, parum validas opponeret vires. Ex reliquiis superioris exercitus militum circiter mille et CCC variis de causis in Austria manserant; qui urbi praesidio erant, Italorum magna pars, qui pridem, ne vagari incerti, et victum per alienam injuriam querere crederentur, in duas cohortes distributi, duos sibi duces asciverant, sub quorum signis mererent, eo consilio, ut si qua belli occasio ostentaretur, honestiore conditione stipendia facerent, et cum majore proventu. Alter ex his Alexius Nordous, Vincentius Matricius alter, quos verisimile est propter insignem peritiam rei militaris, et spectatam virtutem, caeteris praelatos. In eorum numero Germani etiam nonnulli censebantur, qui certos quidem e suis duces, praefectosque agnoscebant, sed ut tamen omnibus Salamanca, praefectus praesidii cum imperio praeesset, cui munus defendendae urbis Ferdinan-

dus rex mandarat, si Jovio credendum est, haud satis bellicarum artium perito homini; nobis quid de eo statuendum sit, cujus neque patriam, neque nomen, neque ordinem edit, haud satis constat: minime quidem verisimile videtur, Ferdinandum regem, cum difficillimo suo tempore ageretur de multorum populorum, et gentium salute, eam urbem homini parum spectatae virtutis defendendam permisisse, quam amittere perinde esset, atque hostem accipere in sinum, pestem, atque exitium in christianam rempublicam invehentem. Interea Solimanus cum universis copiis propius urbem progressus, castra poni loco idoneo jubet, quae spatium ingens terrarum complexa spectantium oculis de loco superiore, eodem quasi excitam Asiam suis sedibus ad oppugnandum Vrbem Vngariae non maximam subjiciebat. Inde hostis vires nostros estimantes tristis desperatio subibat, que memorem augeret cum cum omnia circa infesta nulla ratio ostenderetur effugiendi in vestigio urgentis mali vim. Accessit ad terrorem augendum Solimani legatio superba, qua poscebat, ut sese ex templo dederent, spe ingentis praemiorum facta alacriter imperata facientibus. Esse eorum res eo loco, ut levi momento in hanc aut in illam partem inclinantibus, aut salus certa, aut certum esset exitium exspectandum. In re facili, et brevis consultationis longa mora non irritandum imperatoris animum. Nam quod tum essent cum spe gratiae facturi, fore, ut paulo post necessario sibi esse agendum intelligerent, neque ulla cum spe veniae, et cum eorum malo metu, quae semper vim experti gravissima essent passi: denunciare, ubi tormenta praeferri, et constitui ante muros paterentur, nullo se discrimine sexus, aetatis, fortunae eodem modo per omne genus cladium saevi-

turum. Delecti consulto erant tres, qui legationis munere fungerentur, Germanus, Italus, Hispanus, ex eorum genere, quos permultos quotidie videmus studio revincandae libertatis, a christianis sacris ad Turcam deficere non sine spe consequendi summos in regia honores, ubi indolem ad virtutem, et generandas magnas res in quàvis fortuna nati praeseferant. Sperabat vero Solimanus, qui maxime celeritati studebant, ubi per sui generis homines obsessis mandata exponenda curaret, citius illos deditionem facturos. Itaque jam peracto legationis munere, illa tamquam de suo addiderunt. Non ferrent iniquo animo se a suis moneri. Ita enim se devovisse externis sacris, ut non exuerint veteres animos, atque antiquos mores, non generis sui, non sangvinis obliti. Quam spem eorum, quod consilium esse? Itane, parum se se respicerent. et hostem, qui cum esset pugnandum, ut tantulis viribus sperarent Solimani vim, atque impetum, tantas ducentis copias, tot trahentis armatorum agmina, tot tormentorum apparatum toleraturos. Agnoscere se quidem gentium nobilissimarum generosa pectora, quibus celebritatis fama, gloria, hominum laus potior vita esset, sed non agnoscere in iisdem consilii maturitatem et prudentiam, quae virorum fortium propria esset. Esse enim veram fortitudinem, et magnitudinem animi a temeraria audacia distinctam. Vt enim amens esset, qui se crederet Aethnae incendium, aquae traemina restringuere, ita illum haud multo saniorem, qui duabus vix plenis cohortibus trecentis armatorum millibus objectis ad caedem, retinere se posse speraret urbem non loci situ, non moenio, non valido pugnatorum praesidio munitam, qui, ut singuli virtute excellerent, ita intelligerent, nisi illa certos sibi

fines praescriberet, extra quos vagari non liceret, in affine vitium degeneraret, ut qui inermis occurrere X armatorum millibus auderet, non fortis, sed furiosus insanusque videretur, vinculis constringendus. Res predita facilis factu, cum manare ab optima ratione videretur, alium, quam legati sparabant, habuit eventum, nostris, a quibus id, quod contendebant, impetrari oportebat, ab iis audiendis maxime animo aversis. Non enim iis majori odio sunt, qui nati Turcae, atque ex majorum disciplina educati in Mahometis superstitione adoleverunt, quam qui a christianis parentibus orti, initiati christianis sacris, in sanctissima religione educati, ad obscena barbarorum sacra, atque immanes ritus defecere. Adeo vero a natura religionis studium hominibus insitum est, ut ne ea quidem, quae vera, et salutaria esse ratio doceat (usque adeo opinio praeiudicata potest) sibi persvaderi, a contra, atque ipsi credunt, sentiente potiantur. Odium vero in optima etiam causa semper pessimus svasor, sive is credator odisse, qui persvadere vult, sive odio habeatur. Raro vero diu habet ocultum odium, qui in alium sive jure, sive injuria suscepit. Quod cum sit, nemo ei credit, quem oderit meliora svadere, et qui scit se odio esse, aeque caret apud eos, qui oderunt, quominus sibi fidem habeant, auctoritate.

Solimanus interea cognita Strigoniensium voluntate, optimo consilio, quod nostris, ut diximus, aliis rebus omnibus erat praevertendum, collem urbi superstantem insedit, quem quidem si nostri tenerent, haud dubitabat, quin suis, qui pro castris in statione erant, omnia redderent infecta, simul suos jubet tormenta in verticem collis subducere, quae quidem ita collocabantur, ut qua in subjectos telae emitterentur,

ora proclinata haberent a posteriore parte, quas clunes tormentarii vocant, paullum a terra sublata, in his erant, quae vulgo ob formae similitudinem mortaria vocant, quibus lapideas pilas trecenta pondo, atque eo amplius dejiciebant, ad deruenda fastigia, domorum omnium praesentissima pestis. Inde distributis copiis, singulis ducibus militum praefectis certae oppugnandae urbis designatae, ne in gerenda re milites concursantes, et minus agnoscentes sua signa, aeque et ad accipienda et exequenda imperia redderentur segniores. Admiratur hoc loco Jovius barbarorum industriam in universa urbis oppugnatione administranda, sed ut ipse credam, rem futuram multo majore admiratione dignam, si minus recte, atqae ex rei militaris disciplina esset res administrata, cum Solimanus tantus imperator tot nationum et gentium victor adesset, ex cujus auctoritate, atque imperio omnia agebantur. Usque adeo vero admiratur, ut non dubitet affirmare, non fortunam nostris magis, quam fidem defuisse, non obscuri certos e nostris homines perstringens, quorum venalem fidem Solimanus spe ingentium praemiorum solicitasset. Quid vero magis verisimile, quam integra etiam nostrorum fide, multos in nummerosissimo Solimani exercitu fuisse ex Italis, Germanis, Gallis, qui nostrorum emptam fidem minus illi necessariam redderent. Quis vero dubitat, quin etiam, si gravissime in eos sint sancitae poenae, qui e nostris Turcam sua industria, consilio, arte adjuvent, plures Solimanus praemii spe ad se attrahat, quam Christiani reges deterreant ab eo poenae metu adjuvando. Per triginta annos, quibus tum adeptus imperium regnabat, vix unus, aut alter annus vacuus illi a bello fuerat, ut tot victoriis clarum, terra marique partis, tot de victis hostibus

erectis trophaeis, tot triumphis actis, haud esset credendum, non magnam urbem oppugnanti, consilium aut bellicarum rerum scientiam defuturam. Erat ita exstructa urbs, ut duplici muro cincta exteriore muri ambitu priscis temporibus suburbia clauderet. Ante ortam quidem inter duos reges controversiam de regno, aeque magno civium, atque exterorum frequentia incolebantur, qua enim flumen spectabant, devexa via ac levi clivo ad amnis ripam prona, ut totam eam partem, tum propter hortorum amoenitatem, atque urbanarum aedium elegantiam, tum propter celebre rerum venalium forum magnus hominum concursus frequentabat ingenti incolarum compendio, qui per amnis opportunitatem, et suos fructus divendebant, et pro mercibus, quae importabantur, exigebant ab exteris magna portoria, quorum erant in Vngaria ubique celeberrimi conventus. Magnam urbis felicitatem tot annorum continentia bella Strigoniensibus fortuna invidit. Obnoxia enim militum excursionibus, cum accederent gravia civibus hiberna, hac parte maxime lacerari, vastarique est coepta, quam illis cives tectis urbis parcentes, ad hiemandum praebebant. Atque ante Solimani adventum ita Salamanca praefectus suburbia munitionibus firmaverat, ut non desperaret, se illa adversus vim Turcarum tueri, non arbitratus, ut videtur, se tanta belli mole oppressum iri. Idem simul atque audivit tantas secum adducentem copias hostem adventare, meliore consilio, exterioribus munitionibus desertis in interiorem vrbis partem, quam arcem appellant, se cum suis recepit, munitiore loco hostium impetum moenia oppugnantium repressurus. Inde a barbaris duabus ex partibus verberari muri coepti, cum e majoribus tormentis crebris emissis pilis, in muris neminem consistere paterentur, ut defen-

dendae vrbis propugnatoribus, quamtumvis ab animo, et viribus paratis spes omnis tolleretur. Iam enim aliquot locis muri quassati, turris portae adjuncta, qua est euntibus Budam iter, poene collapsa procciderat, nullus, qui defendere adversus tantam vim certo cum vitae discrimine, nullo cum usu locum, in quo constitissent, audentibus. Tantus quidem dicitur impetus tormentorum fuisse, ut murus, qua turri adhaerebat, prorutus, repente ingentem ediderit ruinam, insigni quidem cum nostrorum incommodo, qui ita erant ictibus tormentorum expositi, ut in ruinas pilae vi ignis et sulphuris adacta e lapidibus in minuta frustra disjectis, qui temere strati passim solo jacebant, foede eos vulnerarent; ex his nonnullis membris mutilatis, qui nulli usui postea in vrbis propugnatione fuerunt. Quae quamquam ita essent, nondum tamen nostri animis deficientes, muris exterioribus desertis, in quibus vigil praesidii erat, (quod extremum sibi reservaverant in malis consilium) quaesito in mediam vrbem receptu novas munitiones instituunt, breviore quidem ambitu, sed majore cum compendio, in usum vertentes, quod erat necessario agendum in augustioris loci spatium se recipientibus. Exiguus quidem propugnatorum numerus, si quis illos cum barbaris conferret, quorum erant eodem contractae ingentes copiae, parum idoneus munitionibus defendendis, ubi majore laxioreque ambitu circumducerentur. Qua re Turcae animadversa, e nostrorum timore, ut credebant, fiducia sumpta, munitionibus succedunt, non magno labore sperantes, nostris loco pulsis, se in vrbem irrupturos. Quae illis audacia haud satis ex sententia cessit. Cum ter rejecti, ingenti animorum ardore pugnam instaurassent, conglobati nostri, ferocius hostes contra ingruentes in

arctius spatium densato agmine excipiunt, objectis hastis, quibus tum longitudine, tum pondere ad ictum validioribus, aut se se inducrent propius inferentes gradum, aut retrocedere, et terga vertere cogerentur, non ita armati, ut sustinendis nostris pares essent, in phalangis modum ita toto nisu corporis, lacerisque adnixis, ut multorum quasi uno ictu eodum momento temporis hastas intendentium, et recipientium hostem ferirent; quae causa est, ut ab omni alia vi tutus hastatorum ordo, nisi tormentis disjecta, et contusa hastarum strues dispellatur invictus, impenetrabilisque habeatur. Ita virtute nostrorum. repressa hostium audacia dux, cum nequidquam ad sustinendam hastatorum vim suos hortaretur, nulla in ultimo discrimine data timoris significatione, in vestigio cecidit; major militum pars, effusa fuga, se in castra receperunt. Dum haec ita gerebantur, e Turcarum classe, quae ad fluminis ripam in anchoris stabat, cum egressos remiges cum alia lixarum, et calonum turba, sive spectandi studio, sive alia de caussa, nostri de loco superiori conspicati essent; iniquo animo ferentes per suam dissimulationem tantum barbaris licere, atque exigendas a sui comtemptoribus audaciae poenas clamantes, duo duces, Italus alter, Gvalter Germanus e duabus cohortibus delectorum militum, manipulos aliquot eductos sequi se, et praesentibus animis aggredi nihil tale expectantes jubent. Neque secus, quam nostri existimaverunt, accidit. Perculsi Turcae necopinato malo, cum neque in ducibus audacia, neque consilium perturbatis suppeditaret, aut cadunt hostili ferro interfecti, aut ad classem se recipere conantes, ut in trepidis rebus solet, dum sibi quisque per alterius exitium fuga prospiciunt, inter se fuga, interclusi interficiuntur. Nam

si quibus licuit ad ripae marginem pervenire, inde se in flumen dejicientes, cum etiam nandi peritis amnis rapidissimus aegre facultatem ad effugium daret, interierunt. Ne major barbaris inferretur clades, unius virtus et magnitudo animi perfecit. Zimarus classis praefectus suorum trepidatione, et fuga animadversa, classiarios consurgere, atque e navium tabulatis sagittis, glandibusque insequentes nostros effusius fugientium turbam propellere et retardere ab incoepto jubet. Hic finis insequendi nostris, fugiendi barbaris fuit. E Turcis caesos ad CC Jovius tradit, ad quorum jacturam accesit alia major, Zimari classis praefecti, dum cohortaretur suos ad rem impigre gerendam, ab uno e nostris, qui in praetoria navi ceteris conspectiorem designaverat ad caedem, cum ad ictum collimasset, ferreae fistulae ictu interfecti. Haec ita gesta, ad praesentium malorum solatium aliquid, ad summam belli parum adjumenti attulerunt, cujus ut maturior hominum opinione finis sequeretur, caetera prona Solimano ad victoriam tantis viribus intenti unius perfidia, scelusque perficit. Erat inter tormentarios (ita vulgo appellantur, qui igni tormentis admovendo operam subministrant) senex Crotoniates, ex nobili olim Italiae urbe ad sinum Tarentinum posita. Is spe melioris fortunae, atque uberioris stipendii, cum e suorum exitio, quando ex hostium nulla spes erat venari privatum commodum, non usque adeo immane scelus duxisset, ad Solimanum victo avaritia animo transfugit, ac quae ratio potiundae urbis esset, quam explicatissima docet: esse turrim ad ripae marginem contra urbis arcem, ad aquae usum exstructum, quam pervulgato artificio, e flumine haustam tubis cives in urbem perducerent. Ex ea nostros, qui essent in praesidio, tormentis ad unam tur-

rim collocatis, justis spatiis muro fenestrato, quaqua versum flumen subeuntes ferire, magno cum exercitus detrimento, cum ultro citroque naves commeantes, quae Buda commeatus in castra subveherent, clam emissis globis e tormentis deprimerent. Iam et opportuno loco parvam insulam esse, quae turri directa fronte objecta, ubi eam praesidio imposito occupparent, magnam facultatem ad turrim exscindendam, eo traductis tormentis, esset subministratura. Id ubi accideret, non esse dubitandum, quin oppidani, per turris demolitionem aquandi facultate sublata, nullam moram, quin se se dederent, essent facturi. Igitur transfuga collaudato, et jusso de imperatoris liberalitate bene sperare, datur Vlamani negotium, ut ex transfugae consilio rem gerat, eodem tempore aliis ducibus undique munitiones oppugnare jussis, quo citius nostri in partes diversas viribus distractis, necessarium subire consilium de deditione cogerentur. Ita cum ea omnia essent impigre administrata, et nostri simul in arce, simul in suburbiis, atque ad turrim, quam ex insula Vlamanes quassabat, oppugnarentur: ferocia animi repraessa, dare locum tutioribus consiliis coeperunt. Accessit ad frangendos feroces animos obsessis novus incidens casus, qui quidem nostris in triste prodigium vertit, barbaris laetum creditus belli exitum praesagire. Cum in aeneam crucem majoris aedis fastigio impositam, tamquam in nostris sacro sanctum symbolum, ictus intenderentur, dejecta crux ictu tormenti, cui illitum aurum, ex solis repercusu longe lateque magno cum fulgore, interdiu micabat, ingenti cum luctu inde commune fatum complorantium despondere animos cuncti, et de salute desperare coeperunt. Provocatum tandem Deum immortalem

Vngarorum sceleribus, edito clarissimo irae suae documento, frustra ab irato implorantes opem deseruisse, multo illos tamen prius a se desertos, profanato sanctissimo religionis cultu pravis hominum opinionibus, quem majores sancta ceremonia per tot secula venerati posteris illibatum tradidissent. Sacrosanctum crucis signum sublatum, quo muniti majores, ingentes saepe fudissent barbarorum copias, insignes victorias retulissent, longe lateque protulissent imperii fines. Sed patere tamen resipiscentibus apud eum misericordiae locum, qui esse Deus, et non esse misericors haud posset, merito illum quidem impiis, sceleratisque iratum, sed ut aliquando resipiscentium sperandum, esset, suorum scelera tanto innocentium effuso sangvine, tot cladibus, tot caedibus, tot malis expiata, quibus paullo ante regnum florentissimum esset eversum condonaturum, parsurum patriae afflictae, sacris locis, sanctissimis delubris, in quibus supplicibus praecibus castae matronae, virgines filiae, innocentes pueri, regni exscidium, populorum internecionem, barbarorum servitutem taeterrimam, ab infesto quidem merito suorum votis, sed suorum tamen depraecarentur. Hae voces tristi ploratu, clamoribusque intermixtae, per urbis vicos et fora cum liberis, et conjugibus civium discurrentium, ducibus spe alia omni salutis sublata, ut sceleri deditione barbari animum placare, delinireque tentarent, ultimam necessitatem imposuerunt. Ne hoc quidem loco temperat Jovius a maledictis duobus Hispanis Salamancae et Liscano infestus, numquam certe temere quemquam laudare asvetus, nisi cum est illi compendiosa laus, opulentis hominibus, malis rationibus luculenta praeda parta, vitam esse vilem, non potuisse, cujus facile essent

passi viros fortes facere jacturam, qui eo bello cum barbaro hoste certantes, pro Christi causa occubuissent, gloriae, quam vitae avidiores, sibi quam unam sponderent praesenti belli fortuna functis, beatam et expertem curarum esse potiorem. Atque haec ille quidem, qui satis cumulate videri poterat debitum suae fidei officium persolvisse, si explicata re liberum de ea judicium permitteret legenti. Ergo Salamanca cum Liscano re communicata, fidum sibi hominem, atque navum, e muro nocte intempesta demittit, ac, fide accepta fraude non fore, adire Solimanum, aut unum e ducibus jubet, atque illi significare: sibi quidem esse in animo urbem dedere, sed iis conditionibus, quae suis salutares sibi honestae, certe neque sibi, neque suis essent dedecori futurae. Sperare, si sibi fieret colloquendi potestas, non aegre de conditionibus, et de ceteris conventurum. Remissus nuncius, cum licere respondisset, accepta et ipse fide ad Achomatem perducitur, et ad alios duces, quibus cum multa proposuisset, quae non conservandis suis solum essent, sed ab injuria etiam et maleficio tegendis, ad omnia alia perplexe respondentes, unum illud urgebant: non esse e Solimani majestate, ullos accipere ab hoste victo conditiones, qui armatis, atque in acie stantibus dare pacis leges consveisset. De imperatoris animo, modo ne pergerent importunis postulatis illius animum fatigare, omnia libere se dedentibus, et nulla cum exceptione sperando, quae, ut invictum armis adversus hostes, sic temperantia, fortitudine, moderatione adversus iracundiam, et animi impotentiam docerent. Quod vero continuo advenienti portas aperuisset, quod tormentorum vim, impetumque exspectare, erumpere, ultro pugnare adversus tantas vires essent

ausi, iis vero invitum condonaturum: ut pateretur profligatos, victos, in ultimum discrimen rerum omnium adductos, cum victore de conditionibus disceptare, non sperare ab illo posse impetrari. Ita quidem sibi, quod peterent praeposterum videri, ut id eorum ipsorum caussa, qui ut de eo agerent, tam vehementer rogarent, non essent ad imperatorem relaturi. Inde cum jussissent imperatoris in castris responsum expectare, de iis, quae acta essent in arcano consilio, se relaturos dixerunt. Hoc tantum poscenti permissum, ut scriptis litteris ad Liscanum, illum ad maturandam deditionem hortaretur, neve pateretur, quod necessario esset agendum, mora corrumpi, id quod intelligeret sine certo suo et multorum exitio accidere non posse. Unam eam certam pestem, paciscentes incolumitate manere, si incolumitatis spem in ulla alia re, quam in Sulimani clementia, misericordiaque positam arbitrarentur. Jam Salamanca, antequam in castra hostium veniret, curaverat milites monendos, qui ad flumen erant in turris praesidio, ut interea, dum ipse cum hoste ageret de conditionibus dedendae urbis, darent operam, ut se in urbem reciperent, quicunque eventus victos sequeretur, eandem cum caeteris fortunam subituri. In uno esse laborandum, ne cum tumultu, et trepidatione rem agentes efficerent, ut fama ad hostes, qui in propinquo essent, de eorum profectione manaret, qui omnino essent fallendi, tutum in urbem quaerentibus receptum. Trepidi milites tristi nuncio accepito, cum in salute procuranda, quod fere solet perturbatis accidere, cujusvis rei potius, quam salutis memores essent, de iis, quae cariora essent, asportandis plus aequo solliciti fugam hosti prodiderunt, cum aliarum rerum, tum jacturam salutis, et vitae

facturi. Cognita hostes nostrorum profectione, expedito agmine sequentes adepti, consistere cogunt, atque ex iis nonnullos onere suarum rerum, implicatos magis, quam praessos interficiunt. Interea Liscanus certior factus de Solimani sententia, ne diutius cunctando deterioribus conditionibus transigere cogeretur, ultro et ipse dare, quod non jam suae, sed ejus, qui posceret, potestatis esset, necessario consilio constituit. Inde militibus advocatis, quo in statu res sint, et quanto in discrimine versatur communis salus, exponit. Praecisa omni alia salutis spe cum egregie militiae munere functis omnia citius, quam virtus, et magnitudo animi defecissent, eo victis descendendum, quo aliis multis, viris fortissimis, et magni nominis descendere necesse fuisse, ut se se hostibus barbaris dederent, quod eo illis esset aequioribus animis ferendum, quo magis omnes intelligerent, id eorum culpa accidere, qui suos praeclare de Christi nomine meritos, positos in extremo vitae periculo deseruissent. Non habere fortitudinis laudem, sed furoris, atque amentiae dedecus ab hoste, per quas conditiones desponsam salutem prodere insigni cum multorum maleficio, qui temerario consilio, pauci numero, non ad pugnam verius, quamquam ad caedem ducentis milibus exponerentur. Satis illos magnum specimen domesticae virtutis dedisse, non solum suorum, sed hostium etiam testimonio insignem fortitudinis laudem adeptos, quod illis esset in omni posterorum memoria gloriosissimum futurum. Volentem plura dicere plures simul nuncii interpellarunt, ab imperatore missum Halim, unum e copiarum ducibus adesse ad portas, et tamquam de urbe dedenda jam esset transactum, portas sibi aperiri jubere. Quod simul atque Lisca-

nus audivit, ut potuit, dissimulato in praesentia animi dolore, ac vultu ad hilaritatem composito accurrit, ac portis patefactis, ingredientem accipit, ac se se ei urbem, milites, et quidquid hactenus in ea urbe suae fidei permissum esset, tradit in potestatem. Prima cura barbaro, quidquid muri reliqui tormenta fuissent, atque interiores munitiones praevalido suorum imposito praesidio firmare. Inde jussi milites arma tradere, in his ferreas fistulas, et oppletas pyxides tormentarii pulveris. Quibus eodem coacervatis, temere conjectus funiculus incensus, cum casu pyxidi haesisset, unde ut videre esset, aliquantum pulveris effusum, sensim conceptam edidit flammam, magno nostrorum horrore, multo majore Turcarum, qui, quod casu acciderat, ad eos insidiis circumveniendos, quos vincere vi aperta nequiissent, consulto factum minas conviciis miscentes videri volebant. Et jam caedis initio facto, erat futurum, ut nostris major acciperetur clades, nisi militum praefecti ad preces conversi, orando, obtestandoque obtinuissent, ut sedato tumultu, maturius de re tota cognoscerent, de iis, quos haberent in potestate, ubi tanti sceleris reos deprehenderent, ut visum esset, supplicium sumpturi. Aegre tamen, jubente praefecto quiescere, odio atque iracundia inflammatos, a caedibus temperatum est. Inde habito omnium delectu, qui in praesidio erant, quos flos aetatis, et forma commendabat, seorsum concedere jussis, ad alios conversus; vestra, inquit, milites virtus facit, satis nostris spectata, ut Solimani imperatoris nomine, volentibus sua sponte sub illius signis merere, ubi multo luculentiora stipendia, et honestiores militiae ordines spondeant. Hoc unum quidem non patiar vos ignorare, apud nos, non fortunam, non

stemmata, non generis nobilitatem, quae apud vos, magnae admirationi sunt, sed unam virtutem, atque industriam facere discrimen inter hominem, atque hominem: ut nemini ad summos militiae honores, quantumvis obscuro loco nato, modo virtus adsit, viro forti dignatus sit aditus praeclusus. Atque hactenus ille quidem; nostri prae iis, quae audiebant, acerbiora omnia, durioraque expectantes, secum bene agi existimarunt, si ulterius saeviendo barbari ne progederentur. Ex omni tamen numero, quamvis tam prolixa pollicitatione provocatos, LXX conditionem, Jovius accepisse ait, ne ipsos quidem facile ad barbaros transituros, nisi maligne a nostris soluta stipendia, alienum aes, et alia militiae incommoda, quae egestas et penuria rerum omnium augebat, ad tam foedum consilium descendere coegissent. Quaecunque illis causa fuit, Halis navibus impositos una cum ea juvenum manu, quam e multorum delectu imperatoris servitio destinaverat, adduci Budam secundo flumine jubet. — Duos Hispanos praefectos, Salamancam, et Liscanum pretiosa suppellectili, et pecunia exutos missos fecit, quam, si Jovio credimus, haud contemnendam intra equestrium sellarum pulvillos, sperantes sibi ad iter equos concessum iri, vafro commento abdiderant, quod tamen aeque callidum barbarum non fefellit. Jussis equos quasi spectandi caussa producere ita stratos, ut iis ad bellum, uti consveverant, non esse opus equis navigantibus, cavillatus ademit. Eadem tum aliorum militum fortuna fuit, eorum maxime, quos insignior militiae ordo, aut nobilitas honestabat, cum inter multos, ut dignosci possent, aut ornatu armorum, aut cetero militari apparatu conspicerentur. Hispani Viennam profecti ad caussam dicendam, a Nicolao Salmo

qui tum pro rege civitati praeerat, liberali custodia asservari jussi (iam enim tristis deditionis fama ad regem manaverat, qui tum Pragae Boemorum conventum agebat) simul jussi manere duo Itali duces et tertius Germanus, quorum supra mentionem fecimus, ut essent, quorum testimonio de reis judicium perageretur. Ferunt Turcas, per nostrorum discessum, inter se omnibus humanitatis officiis certasse, iis fovendis, et sublevandis, qui aut saucii, aut aliis morbis affecti minus sequi abeuntium agmen, maxime iter accelerantium pari celeritate potuissent. Callido consilio Solimanus credebat, sua sponte ad saevitiam propensus, belli initio per fallacem levitatis, et dementiae famam, Vngarorum studia, quos memoria adhuc recentium vulnerum deterrebat, facta vi, ingenio, sibi conciliare voluisse. Eo vero haec majoribus laudibus efferebantur, quo erat magis vulgo Vngaris persvasum, superioribus bellis per omnia immunitatis exempla crudelissime vexatis, barbaros homines, et nullis ingenuis artibus ad mitioris vitae cultum conformatos, ab omni humanitate abhorrere. Nobilem deinceps urbem in Vngaria, et secundum regiam, primae dignitatis, Solimanus satis loci natura tutam, operibus munire instituit, ita muris, qui collapsi corruerant, instauratis, ut interiore aggere suffultis, validioribusque interjectis propugnaculis, non facile adire hostis, nisi apertus propugnantium telis, auderet. Res quidem summa admiratione digna Jovio videtur, per XIV perpetuos annos, quibus Strigonium fuit in Germanorum potestate, non magni ambitus urbem, pingvi immersos otio (haec illius verba sunt) munire neglexisse, in eo quidem non male, quod nemini per tot annos venerit in mentem, munire; pessime in eo quidem

quod in Germanos, hoc est in Ferdinandum regem culpam rejecerit, quae unius culpa erat, cui parcere voluit, sui ordinis homini. Namque is cum a Joannis regni initio per tot annos opulentissimo sacerdotio potitus esset, sacerdotii vectigalibus, quibus inertes homines multos vere in pingvi otio Vngaria alit, non muniendam urbem curavit, Vngaros praesertim Solimano perpetuo urgente bello, qui ab homine non inertissimo, industriam, et vigilantiam extorqueret. De quo homine rectius, ne id dici potuerit, quod Germanis probro dat, an de Ferdinando, quem, quot annos regnavit, ita aut cum Joanne rege, aut cum Turca bellum gessit, ut illum continentia bella nulla intermissione exercuerint, viderint ii, quibus est sancta Jovii memoria. Nam quod barbaro id admirationi fuisse ait, nihil scribenti proclivius, quam per alienam personam, cui visum sit maledicere, quo tamen effugio in primis ad declinandam invidiam opportuno, non ille saepe utitur, quandocunque est visum asvetus recta oratione, quo odio fertur nominatim in summos reges, et viros principes bacchari. Intentissima inde cura Solimanus operis coactis cum ne militi quidem parceret, ita urbem brevi munivit, et nullam nostris spem reliquerit, magnis etiam fretis viribus eam in posterum recuperandi. Inde ad Tattam cum exercitu itum, parvvm quidem, atque ignobile oppidum, sed quod tutum non esset a tergo relinqui, positum in hostium potestate; oppidum milites XXC descendebant, Hannibale Tassio duce, a Philippo Torniello in praesidium missi, qui tum cum aliquot militum cohortibus Comari agebat. Neque longa mora fuit. Tassius ad primum hostis adventum suis viribus diffusus, Strigoniensium exemplo, Solimano

oppidum dedidit, in eo tamen minime illorum virtutem aemulatus, ut non prius tantum flagitium admitteret, quaem suae virtutis, et suorum periculum faceret. Deditos Solimanus veste et aliis muneribus donatos cum fide ad Torniellium Comarum remisit, multo dedecore militari infames, accepturum. Ducem enim, in quo uno culpa tanti flagitii haerebat, frustra dei immortalis, atque hominum fidem implorantem, prisca severitate capite plectendum curavit, ut videtur, non re ipsa magis, et si satis illa quidem per se foeda, quam levitate hominis, et jactantia motus, cum magnificis verbis, Turcarum multitudine contempta, sibi partes defendendi oppidi depoposcisset. — Nonnullis intempestiva securitas visa non erat tum urgente rei militaris disciplina, quae sine paricidii nota, ingenti cum pietatis laude, parentem sumere de liberis capitale supplicium svadebat. Ducem alium Germanum, Aulium nomine, quod Jovio pro cognomento est, veritus gentis offensionem, ad regem, qui de illo, ut visum esset, statueret, Torniellius misit. His gestis Turca oppidum nulla alia re magis, quam sua clade nobile futurum, jussit incensum solo aequari, alio loco oppidanis ad habitandum concesso. Jam Solimanus terribilis Albae Regali imminebat, quae urbs quamdiu esset in Ferdinandi potestate, non credebat se regno Vngariae potiri. Vna enim erat inter omnes delecta inaugurandis novis regibus, et defunctis vitae munere efferendis, unde illi Albae-Regalis nonem. Ea egregie loci natura munita, perpetua palude quasi corona ambitur, quae tamen aestivis caloribus, limo tetros vapores halante, crassius coelum, atque inclementius reddit. A tribus locis aditur, e quorum singulis exstructi aggeres, tantum in longitudinem prominent,

quantum ad extremos ripae margines, quibus finibus terminatur, panditur palus. Solum quamquam palustre, culturae patiens, et hortis serendis aptum, pertinaci incolarum studio vincente naturam, palustris humus, ut egregios fructus gignat, et sit idem solidum ad majoris molis aedificia sustinenda, quae tum ad usum, tum ad amoenitatem in aggeribus frequentia oppidum habent. Ita vero utrinque multa visuntur, ut satis ampla via, media intercedat, qua per aggeres civibus exeuntibus in agros, et commeantibus ad urbem commodum pateat iter. Quae aggeres ad extremas oras commituntur, ut belli tempore patefiat in urbem liber volentibus accessus, in propugnaculi modum validiores alii extructi portas tueuntur, quo praesidio tuti urbani homines ab hostium excursionibus, suburbanas domos, atque hortos belli etiam tempore frequentant. Paludis alveus, ne tum quidem cum aestus ardore flumina siccantur, ita aqua destituuntur, ut tuto navari possit, praealto coeno, et tenaci, neque humani vestigii, neque equorum patiente. Ipsa urbs non muro magis valida, qui tamen multa aggesta humo ab interiore parte munitur, quam e palude aqua in fossam perducta, quae non absimili a paludis, soli natura, cedit ingredentium vestigiis. Nam raro, etiam cum solis ardor omnia torret, ita aqua subsidit, ut non satis uberem copiam fossae implendae subministret. Atque haec quidem, quibus freti Albani spei, atpue alacritatis pleni, Solimani adventum tanti hostis exspectabant. Interea Ferdinandus rex cum minime dubitaret, quin redacto, Strigonio in potestatem, rerum gerendarum seriem secutus, peteret Albam, eo praemiserat aliquot Germanorum cohortes, atque equites gravis armaturae ducentos, tum Vzaronum quingentos, quos homines latrociniis faciendis,

quam in bello operae navandae aptiores, satis contumeliose Jovius Vngaros appellat, certe ne ille ipse quidem negat: esse vsaronum infame nomen, qua nota cur aspergeret nobilissimam gentem, praeter odium, quo in omnes capitali flagravit, non Italia natos, nulla causa erat. Nam si ob eam causam Vngaros, quod censerentur in Vngariae regno, cujus olim erant latissimi fines, eadem ratione liceat et Getas, quos unum Valachos et Moldavos vocant, et alios Moesiae, et Pannoniae populos, tum qui Ilyry montana incolunt, homines maxime barbaros, Vngaros appellare. Iam cum belli initio rex cognovisset, Strigonium oppugnari, sollicitus de retinanda Alba, cum Torniellio de tota ratione belli gerendi egerat, Italum ducem magni nominis, atque in omni militiae genere exercitatum maxime aptum tuendae urbi adversus tantam belli molem arbitratus. Praeerat Torniellius quatuor Germanorum cohortibus, qui omnes veterani, et oppugnandis urbibus, et defendendis aeque idonei habebantur. Neque ipse verbo conditionem recusabat, quamquam maxime ab ea averso animo, sed, dissimulata vera causa, multa afferebat in medium, que esse impedimento volenti, contenderet, quominus rem susciperet, non temere assvetus quidquam aggredi, cujus certa spes non esset ad laetum exitum perducendi. Esse infesta itinera Tartarorum, qui omnia tenerent, qua Albam eunti essent copiae ducendae, quae ne satis expeditae ad pugnandum cum barbaris essent, ex itinere infestis occurrentibus impedimentis prohiberentur, quibus in longam expeditionem euntes, recte carere non possent. Eo enim consilio a Solimano praemissos, ut dum ipse in diversa regni parte rem gereret, spes Ferdinando adimeretur per insessas ab hoste vias, auxilia suis indigentibus sum-

mitendi. Non sperare. nisi validiore praesidio equitum et peditum munitum se posse tuto cum suis Albam pervadere; quibus viribus perrumpenti per obstantia barbarorum agmina, quo iter intenderet, ducere incolumes liceret. Eam militum manum, cui praeesset, multis aliis in rebus, quas dies, atque occasio ostentaret, egregiam posse operam navare. Delectos enim veteranos, viros fortissimos, et magni animi ex multorum numero, quorum fortia facta pares futuros adversus tantum hostem bello gerendo testarentur, ut in tanto rerum discrimine, non magis eorum caussa, quam Ferdinandi regis, cujus res ageretur, viderentur conservandi. Id, quod sperari non posset, ubi vagantibus barbaris per ea loca, quibus illos duci oporteret, praedae objicerentur, perpetuo itinere pugnae discrimen aditur. Aliud erat postulatum, quod de magis necessaria re eo difficilius impetratum, ut facile appareret a querente effugium ad negandum, quod rex posceret, haec excogitari. In magnis aerarii angustiis, quibus rex praemebatur, postulabat, ut trium mensium stipendia militi in praesentia numerarentur, cum dux callidus cavendum diceret, ne dilatus militi stipendii dies, in magno momento gerendarum rerum, quo nihil perniciosius esset, militari seditione orta, aliquid detrimenti acciperetur. Ita militem sanguinem, et vitam habere venalem, ut si quid in eo indolis, atque animi esset, non posset aequo animo praetium vitae, et sangvinis diutius desiderare. Id accidere eo tempore, quo magis esset in milite animi studium, atque alacritas requirenda, vix sine ingenti rerum periculo haud posse, quibus rex maxime perspectum vellet. Haec atque alia multa dicta in eandem sententiam ita vera esse ministri regii non negabant, ut illud etiam adde-

rent, non esse commitendum, ut minus in tempore provisa, aliquid incommodi in ipsa gerenda re importarent. Sed cum haec dicerent, simul iidem rogabant, quando ratio temporum obstaret, quominus praestari possent, quae necessaria belli usus postularet, ut statueret, dificillimis Ferdinandi rebus praesidium ab animi virtute, et consilio petendum. Tantam esse illius militis auctoritatem, ut ad illos in officio continendos, ubi ipse adesset, nihil crederent praeterea requirendum. Interea tamen, faciliora illum omnia, commodioraque sua spe oppinioneque inventurum. Nihil verius esse, quam Albae ingenti consensu tum cives, tum milites, qui adessent, ad urbem defendendam conspirasse, et loci situ aeque, et virtute, ac propugnantium numero illis spiritum, et fiduciam addente. Non commeatuum facultatem, non aliarum rerum deesse longiori etiam obsidioni tolerandae. Cum ita essent cives elati animo spe verae gloriae, ut non essent recusaturi, quin inter se partibus divisis, militem suis privatis sumptibus alerent. Quibus Torniellius ita assentiebatur, ut illud unum tamen urgeret, paterentur sibi omnia integra ad deliberandum manere, quo ad missus e suis exploratum, certiora de his referret: se quidem cognita cum fide iis demonstraturum. Datur negotium eundi Albam Octaviano Scrofatio, homini suis cognitae fidei, et diligentiae, qui dies noctesque continuato itinere, cum sua usus celeritate esset, reversus, iis, que regii dicerent, consentientia retulit. Quae quamquam temere aliis credita, ut tamen Torniellius de sententia decederet, haud satis magnam vim habuerunt. Illud quidem passus est a se impetrari, ut quominus voluntarii quique in eam expeditionem irent, non esset impedimento, deum immortalem pre-

catus, ut, quod omen animo exsecraretur, nihil sperantem de ea expeditione praeclare, falleret eventus. Plures illius opinione, qui nomina darent inventi, cum iis spes gloriae major, quam periculi metus, incitamento ad summum decus laudis capessendum fuisset. Quatuor plenae cohortes cum suis praefectis Albam, signis sublatis contenderunt, facile duce patiente, sive laetus belli exitus sequeretur, viros fortes, praemium dignum summa virtute, et constantia referre, sive secus, quam vellet, eveniret, suis viribus plus aequo fidentes persolvere audaciae, et securitatis poenas. Inde Barcotius olim equitum Noricorum praefectus, cum equitum delectis subsequi jussus, penes quem propter rei militaris scientiam, et singularem virtutis opinionem, placuit summam potestatem rerum gerendarum esse. Quem honorem ne quis miretur, Tornellium a tanto rege delatum, recusasse, non est dubitandum, quin sui rationem ejus consilii novit, non solum illum non reprehendendum, sed laudandum etiam plurimum hoc nomine fateatur. Italorum alii, Germanorum alii sunt mores, ut si in gerendo bello Italis contingat Germanus dux, aut Italus Germanis, quorum saepe inter se sunt pugnantia studia, et diversa instituta tum militiae, tum domi, nihilominus foedum monstrum existat, quam si natura in suo opere a scopo oberrans, foetum hominis edat, cui annexum sit equi, aut leonis caput. Nam praeter alia incommoda, auctoritate dux carebit, quae summa esse in eo debet, penes quem est militare imperium, cum eam non communio sangvinis, non patriae caritas, non ad eandem disciplinam studiorum, et voluntatum conformatio, unde fere amor existit, imperanti conciliat; omnia dissolvunt, quae his contraria habentur. Itaque non raro accidit priscis temporibus,

utqui duce, quem odissent, cum hoste signa conferrent, consulto se vinci maluerint, cum vincere liceret, ne victoria, militum virtute parta, dici apud suos inviso honori esset, quae vera causa Torniellio fuit: cur eam militiam recusaret, cujus bene administratae laus ad alios, male gestae rei dedecus ad se perveniret. Eo accedebat peracre hominis ingenium, et minime aptum militum flagitiis dissimulandis, quorum paullo severiorem animadversionem Germani in duce extero non facile crederentur laturi. Iam nostri Albam advenerant et de totius belli gerendi ratione consultabant, Albae magistratu praesente, quem Ungari Biroum vocant, a Barcotio duce in consilium accito. Ac de aliis quidem omnibus facile conveniebat; de uno erat summa inter Germanos et Vngaros contentio, illis suburbia diruenda censentibus, tuto consilio: tum ne hosti usui ad vrbis oppugnationem essent, tum ut minore militum numero, moenia, quorum erat contractior in coronam ambitus, defenderentur; his negantibus, magna animorum contentione: non solum, quod indignam rem crederent, urbem eversa pulcherima parte sui, sacris templis, privatorum domibus incendio haustis deformari; sed quod hostibus non esse dandam timoris significationem contenderent, ne iis in animis fiduciam verteret, quae potius virium ostentatione videretur minuenda. Pugnare pro se loci situm, cui superando pares non essent Solimani in immensum etiam exaggeratae vires. Iam per aggrestium in urbem concursum, pecoris ingentem vim invectam, magnum tritici numerum, pabuli et rerum aliorum omnium copiam parem, ut non esset a fame periculum timendum. Adjuvare anni tempus, ut hostibus incommodum, sic peropportunum ad rem gerendam obsessis, quod

jam in autumnum vergeret, quo tempore Solimanus tecta atque hiberna spectare, et de receptu cogitare consvevisset, ut si vim intentantem consilio eluderent, quod non esset usque adeo difficile futurum, quin sua sponte mox obsidionem solveret, haud esset dubitandum. Contra alii disserebant: non solum non habere significationem timoris, sed summae virtutis, et constantiae, prudentiae certe; unam comunis salutis curam aliis rebus omnibus praevertentes, quae carissimae haberentur, posse carere. Quid vero inconsultius, quam earum rerum retinendarum causa, quarum jacturam spes esset posse resanari, facere cum iis ipsis salutis et vitae jacturam? In arduis rebus nonnunquam eo descensum esse (Quod dirum omen a suis deus averteret) ut non tectis et muris solum, sed ne hominibus quidem parceretur, senes, pueri imbelles, orbatae virgines parentibus, viris matronae, deficiente commeatuum copia, hostibus objicerentur ad praedam. At hoc solum? immo, quod nefas memoratu esset, non defuisse, qui homines decimandos censerent, quo esca taetra et funesta iis, quibus sors et fortuna pepercisset, extremam pellerent famem. Non a territis, et perculsis metu, sed a suae virtutis et fortitudinis consciis, qui que se viros vere esse meminissent, patrios lares, sacras aedes, hortorum delicias eversas, atque incensas spectare siccis oculis posse. Nam qui haec non contemnerent patriae causa, dignos habere, qui ipsi abjecti, et contempti, e coetu virorum, molles, atque efeminati homines exturbati ad colum, et lanae opificia, inter feminas ablegarentur. Ignorari vero, quid esset de iis hominibus statuendum, qui non auderent redimere vitam tum suam, tum suorum, rusticanae caussa, atque hortensium deliciarum ad breve

tempus amissione, ubi prae manibus adversus hostium tela pectora essent opponenda. At siquis in iis esset humanitatis sensus, qui ita privatae rei incommodo moverentur, non esse dubitandum, quin si vere cives, si vere patriae amantes essent: non patriae excidium prospicientes animis, quod non longe abesset, ni id prohiberet Deus propicius suis, non aliquanto vehementius publico incommodo commonerentur reipublicae christinae inprimis, quae per unius regni, Ungarici exitium in discrimen rerum omnium adduceretur. Ita distractis animis in contrarias sententias, cum nondum, quid prestaret aeque constaret, ut ea sententia vinceret, quae deterior esset, unius hominis oratio inconsulta et temeraria accessit, qui homo exterus, ut fides fieret, parum earum rerum, de quibus dissereret peritum, non argumentis, non rationibus pugnando, sed inani jactantia et strepitu verborum suos eferendo, elevando hostium vires, praeoccupatos urbanorum animos pravo amore suarum rerum in suscepta consilii pertinacia confirmavit, suburbia adversus Solimani vim, atque impetum defendendi ; hoc dico-quodam nostrorum fato a nostris extorquente, ut Solimanus non saepius sua virtute, et consilio, quam hostium temeritate, atque audacia esset bellis gerendis felix. Fuit hujus consilii svasor, qui paullo ante a Torniellio missus Albam fuerat hostium consilia exploratum, Octavianus Scrofatius, non ut tum lingva promptus sit in gerenda re, ma....us futurus. Nam et alia magnifica verba in sui ostentationem effusus, speciosas adhortationes addebat, quibus virorum fortium virtutem in asperis rebus et durioribus temporibus spectandam praedicaret. Ne ab exemplis quidem similibusque abstinebat, quibus ungari in incoepto

prestantes confirmarentur, si videretur gubernator laudandus, qui cum saevior tempestas, et adversi venti flarent, vectorum servandorum caussa jacturam saepe praetiosissimarum mercium faceret, quibus esset onusta, quanto magis esse illius efferendam virtutem, qui navem cum integro suo onere incolumen sisteret in portu? Difficile factu, atque arduum inprimis, neminem negare, sed, ut nemo etiam, qui saperet, non intelligeret, virtutis materiam non in umbra, et otio sed in labore, industria, vigilantia quaeri; oblatam occasionem militibus fortissimis domesticae virtutis declarandae, non esse mora et cunctatione amittendam. Adeundis periculis, laboribus perferendis, superandis quae multis, insuperabilia sua natura haberentur, virtutem enitere. Ut minus aliae essent causae, quae retinenda suburbia svaderent, unam maximam esse, virtutis in strenuis augendae, excitandae in inertibus, ut si non esset Turca hostis, qui lacesseret. sua sponte videretur, consulto, qui lacesseret alius excitandus. Ita consumti otio hominum vires, ut rubigine ferrum, quae in hostes justos intentatae magno hominibus ad veram gloriam et laudem consequendam adjumento. In hanc sententiam cum major pars pedibus issent, et qui ab ea erant maxime aversi, concesserunt, veriti, ne quod secus, quam multis persvasum esset, sensisse de re tanta viderentur, a timoris conscientia profectum crederetur. In his dux Barcocius erat, qui non semel virium Solimani periculo facto, optima etiam ratione bello administrato, dubitare de eventu cogebatur. Quid erant sperandum de ea militia, quae ex vario hominum genere conflata, militi prius inter se manus offerendi, esset occasionem praebitura, quam confligendi cum hoste in acie.

Quam vero haec vera essent, et aliarum antea, quae gesta essent, et superioris belli exempla multa suppetebant, quorum multi poterant meminisse. Quae quamquam ita se haberent, dux ultro volenti concedendum arbitratus, quod invito necessario agendum intelligebat, qua re erat futurum, ut plurimum de illius auctoritate detraheretur, concione advocata, quae acta sint in consilio, milites docet; cum diu disceptatum esset: utrum expediret suburbia demoliri, ne hosti belli sedes ad urbem essent, convenisse eodem concensu, ut munitis opportunis locis militum praesidio, et in hostem tormentis obversis, quam verisimile esse crederent eum impetum facturum, suburbia defenderentur. Summam esse omnium fiduciam, atque alacritatem et quae raro illam non comes sequeretur. spem optatis parem, belli ex sententia finiendi. Ac spem vanam non esse, multis posse rationibus demonstrari, quae ita essent ducibus perspectae, ut de his militi dubitare fas non esset, quibus, ut rei militaris disciplina postularet, ducis auctoritatem rationis loco haberi aequum esset. Haec atque alia Barcocius, quae hujus temporis ratio svadebat, atque adeo renidenti ore, et vultu ad hilaritatem composito, qua alte pressum sensum animi suo ingenio plus aequo timidum, atque imbellem, tectum habuisse Jovius credit; id quidem male existimationis redimendae causa, quae superioribus bellis parta, plurimum apud milites de illius auctoritate detraheret, tum ut albanis se se venditaret, eius sententiae svasor, quae suburbia defendenda censeret. Sed haec Jovius, cujus in omnes intentus stilus raro cuiquam parcit. Nam non timere hostem, cujus vires invictae, eas saepe infeliciter expertum imprudentis ducis, ut non refugere a belli numero,

quantuscumque esset, fortis videbatur. Neque vero in belliduce exigua virtus, interiorem animi sensum, qui cognitus sit militi, in re gerenda obfuturus posse dissimulare. Jam et illud Jovii calumniam refellit (male enim audisse apud suos ait, quod parum aptus administrando militari imperio haberetur) Ferdinandum, regem prudentissimum, temere atque inconsulte urbem, regni primariam defendendam impari non fuisse permissurum. Neque vero est hoc scriptoris munus, suo testimonio quemquam, ut rerum judex in consilio sua sententia, jugulare; cum quidem ex commemoratione rerum, quas gesserit, se etiam tacente, aut damnatus, aut absolutus sit discessurus. Jam Turcae per exploratores cognito urbis situ, ad portam, qua Budam itur, contendebant, quemadmodum postea cognitum est, eo consilio, ut ab ea parte oppugnare urbem aggrederentur; audierant enim eo loco paludem sua sponte sabulosi soli, jam exsiccatam nimio solis aestu, aut nullam, aut perexiguam facultatem urbanis ad munitiones perficiendas inde egresso humo suppeditare. Qui quidem ad reliquas urbis portas, quam intentissima cura, militibus immixta urbana plebs, opus faciebant, subministrante palude cumulatam materiam, ab ea parte soli humescentis, et ad opus aliquanto mollioris. Nam loco summa etiam aestate, uliginoso, et virgulta passim crebra, et inter illa enati vepres apti maxime aggeri extruendo habentur, ut in magno urbis discrimine Albanis adversus Solimani copias tantas ratio tuendae communis salutis non deesset. De ea porta, qua Budam erat iter, minus solliciti, credebant hostium ignoratione se tutos fore, non satis illi quidem callide, pro ejus temporis ratione, in quo quidem nunquam fuit fraudi nimium cavere,

saepe pari. Nihil vero debuit verisimilius videri, quam esse Solimano perspecta, quae ipsi quam occultissima etiam haberi vellent, ex Vngarorum plebe multis in illius castris militantibus, qui per patriae proditionem insigniorem se gratiam ab illo inituros sperarent, indicatisque usum aliquem ad bellum recte, atque ex sententia administrandum haberent; quod non vidisse Vngaros digna res admiratione est. Nam et illud mirandum non minus, cum nihil esset in palude praesidii, quae aqua destituta, propter aestatis nimiam siccitatem exaruisset, id quod etiam Jovius tradit, non cogitasse de loco validiore militum praesidio firmando. Interea germanus dux, cognito Turcarum adventu ad portam, accelerantium milites, qui reliquis portis praesidio erant, eo conversis signis, pergere, atque excipere impetum signa inferentium jubet; simul ne ab opere cessaretur, validos juvenes tum e plebe urbana, tum ex agrestium turba, quorum ingens multitudo in urbem confugerat, ad opus summittit. Ad tuendum enim utrumque munitionum latus propugnaculum instituerat, quod ita e muro excurrens prominebat, ut, collocatis locis idoneis tormentis, succedentes admunitiones barbaros ab oppugnatione arceret; qua in re fuisse illius industriam laudandam, non ita multo post docuit eventus, laetior futurus, si ut opportunum propugnaculum tuendae urbi, ita propugnaculo tuendo opportunae vires affuissent, quae virtute insignes, numero invalidae, non magno usui fuerunt. Nostri interea minime territi barbarorum adventu, erumpunt, usaronibus suo exemplo germanos equites, pedites Italos ad rem bene gerendam adhortantibus. Cum non ita diu esset dimicatum, pugna dirempta, utrimque ita discedentibus, ut satis crederent ad faciendum virium periculum actum.

Eodem eventu in sequenti die, et ab eo altero levia proelia commissa, barbaris, integras vires in proelium, ubi facultas daretur, de summa rerum decernendi reservantibus. Vnum modo spectabant, ut per occasionem leviorum certaminum, semel simulata fuga, nostros in locum iniquum elicerent, quod ne accideret, dux illis, quousque progredi in sequendo fugientis placeret, edixerat. Atque haec quasi praeludia, quibus Solimani adventus finem fecit, cujus innumerabiles copias Albam e locis editioribus aspicientes, atque ex iis suas metientes vires, nec quo perfugerent, horrore perfusi, nec quid consilii caperent, obruti subito malo inveniebant. Unum modo animo obversabatur patriae excidium, quod, deplorata omni spe humani auxilii, ut averteretur a suis, in unius dei immortalis benignitate positum credebant; quem quidem Vngaris iratum, sed non aliis gentibus, et populis minus, qui in Christiano orbe censerentur, Germanis, Italis, Gallis, Hispanis, pro Turca stare sui nominis hoste quererentur, favere suis inferentem arma, cuncti facile atque explicatum iter, serenum coelum, pacata, tranquilla omnia praebere, sternere viam siccatis paludibus ad infelicem patriam igne ferroque excindendam, abstrahendos in servitutem liberos, violandas sacras virgines, grandes natu patres ferro mactandos, polluenda impiis sacris dei immortalis augustissima templa, in quibus Ungarorum reges primi regni auspiciis suscipere regni insignia consvevissent. Has poenas expetere merito iratum suis deum, in eorum expiationem, quae ab his impie in deum, nefarie in homines admitterentur. Interea usarones, ne miseris accessio malorum deesset, cum dux, ne cui exire ex urbe liceret, portas claudi, et transitus

omnes observari jussisset, clamantes se liberos et militiam liberam excurrere asvetos, negant se more ferarum posse manere cavea inclusos, ac ni sibi extemplo aperiantur portae, vim facturos. — Erat magni periculi res tam propinquo hoste foras emanare, in urbe seditione laborari, qui tantis viribus, quam partem in se perpendere intelligeret, esset sublevaturus. Neque ignorabant Huzarones, genus hominum barbarum, et infidum, non a causa, sed a spe compendii consvevisse sumere et ponere arma; quam quidem spem simul atque affussisset nullo discrimine, sive a Ferdinando rege, sive a Solimano esset, magnitudine quaestus non causae, aut religionis haberent definitam. Ita cum nulla spes esset a tam foedo consilio posse flecti barbaros animos, nocte dimissi, silenti agmine ad hostes fallendos, per nota itinera et avias sylvas iter facientes, non fidei, non officii, non religionis memores, quam nullam nossent, se periculo eripuerunt. Iam Turcae castris propius urbem admotis, ne Asapi a nostris, telis disturbarentur, operi faciundo intenti, crebris sagittis et perpetua glandium procella summum aggerem defensoribus nudaverant, nemine consistere audente, quin qua extaret, apertus hostium telis pateret, quae nisi loco cederet, nulla erat effugiendi facultas. Iam et multa arbore caesa, ex his detruncatis ramis, et inter se implicatis, sepem densa fronde opacam texuerant, intra quam qui in opere erant tecti, laterent, neque interea, tormentis contra aggeris munitionem obversis, verberare intermittebant insigni cum nostrorum detrimento. Nam ita pilae in munimenta intorquebantur, ut etiam si ictum milites declinarent, non aliud tamen incommodum effugerent, quod inveheret casus. Qua enim jactae pilae munimenta la-

cerabant, ex opera, luto, et viminibus contexo resilientia fragmina, eodem impetu ignis acta, foedum in modum nostros vulnerabant, cum citius, quam praevideri posset. qua esset ictus declinandus, ferirentur. His nostri incommodis territi, cum deserere locum cogerentur, facultatem hostibus liberam faciendi operis relinquebant. Ita per otium fossa oppleta, cum equitum industria, caesa materia atque ad opus comportata fasces ingentes, insuper arena injecta, quo firmius opus esset, devolverentur. Adjuvabat barbaros pertinaci studio operi insistentes diu negata Albanis clementia coeli, unde frustra supplicationibus indictis, parentes cum liberis sacras aedes obeuntes, optutum imbrem supplicibus praecibus poscebant. Ergo victa operis difficultate barbarorum labore, et constantia, cum ad utramque oram exaequata fossa, stabile solum ingredientibus praeberet, dato signo barbari, qua in parte propugnaculum institutum diximus, vim faciunt, atque a fundamentis subruere dolabris, et securibus conantur, non magno negotio recens opus, nondum ita tempore durata humo, ut satis firmatis ad reluctandum ferientium ictibus haberet, abimo convulsuros se, et demolituros sperantes, qua re nostri animadversa, incredibili usi celeritate, excindere propugnaculum conantibus consilio occurunt, atque in cuniculi modum ab adversa parte propugnaculo sufosso, tormentarium pulverem subiciunt, ita in tempore per incensos funiculos, admoto igne, ut subito propugnaculi casu in sublime evulsi in hostis opus incumbentes obruerentur, quae industria, nullo hostium incommodo, in eorum ipsorum recidit caput, qui fallacis consilii auctores fuerunt. Subito exorta flamma (quo casu, ignoratur) multi ex his, usti sulphureo pulvere interierunt, eorum conatus, et consilia

omnia fati vi adversa eludente, quae pro hostibus pugnabat. Inde barbari constantia adnixi, cum desistere incepto, tanto numero superiores indignum gentis nomine, et gloria censerent, de integro propugnaculo oppugnare, instauratis viribus aggrediuntur, non secus instructo agmine, ac si proelio esset cum hoste certandum. Quae consilii ratio miro usui in re gerenda fuit, multo facilius fessis integros ducibus summittentibus, ubi nulla ordinum perturbatione, qui succederent, exciperent fessos; ii subeuntibus loco concederent id, quod rei militaris disciplina praestat, et miles non in sua positus, sed in ducis potestate, qua in re maxime Turcarum militia excellit. Ita enim Turca novit vitam contemnere, ut magnum sibi statuat vitae praecium preclare mori, non virtute id magis, quam certa persvasione, hac vita pro patria defunctos immortalem ac beatam consecuturos. Hinc nutum ducis modo, et quid imperet, nunquam quare imperet spectat, aeque in eo, et vitae et mortis potens. Neque tamen sibi nostri in salutis extremo casu defuerunt. Tres horas ita vim inferentes, Turcas sustinuerunt, ut se loco moveri, quo vestigium semel impressissent, nulla vi, aut ratione paterentur. Ita eos cicius viribus, quam animis deficientibus duces barbari suos jam remissius pugnantes excitant ac pugna instaurare, et de propugnaculo dejicere stantes pertinacius jubet. Tantum apud barbaros sive cohortatio suorum, sive ex ea ortus potuit pudor, ut per tela et per arma ruentes, qua vesanus furor, atque audacia precipites agebat, magna cum caede nostros loco pulsos dejecerint. Quibus ne ulla spes superesset ammissum recuperandi, duces tria minora tormenta subduci in summum propugnaculum jubent, e loco edito ultro

citroque euntes nostros, ut belli usus postularet, certo ictu petituri. Jam duo templa, inter quae medium erat extructum propugnaculum, Janizeri irrumpentes ceperant, ac, ne conspici possent, occulte immissis per rimas murorum ferreis fistulis, quas tormentis quassati muri passim ediderant, nostros glandibus vulnerabant, unde peterentur, aut a quibus minime animadvertentes. Neque tamen eo die munitionibus hostes potiti, magna cum fortitudinis laude Italorum peditum cohortibus illas defendentibus, inter quos Jovius ait multos sacros ordines professos, quos ipse, inter seria ludens, cucullatos sacerdotes appellat, impigre aut faciendo opere, aut pugnando operam navasse ait. Eadem laude Albanas matronas impertit, e quibus unam muliebri habitu, virili animo dignum facinus edidisse affirmat, quod scriptorum omnium testimonio, posterorum testimonio prodatur: arrepta falce, quae venerat ad manus, tentantibus duobus barbaris in aggerem ascensum, uno ictu cervices amputasse. Eo illustrius facinus, quo inter viros statura justa procerior, non potuit latere. Ex Italis praecipue laudat Carolum Ruffum, hominem insubrem, cujus erat munus instruendo agmine ordines componere, qui militaris honos non contemnendus habetur. Nunquam intermisso pugnandi labore, ingenti robore animi, quem vegetum semper indefessae vires, atque invictae aequarunt, principem iniisse pugnam; inter novissimos receptum pugna defunctum quaesisse. Hanc hominis fortitudinem eo effert majoribus laudibus, quo magis in aliis desideratum ait, quos acri morsu perstringit, praelii fortunae, de cujus eventu dubitarent, non ausos se se committere, cum suorum virtutis, atque hostium ex tuto loco spectatores, submunitiones

constitissent. Cujus multo majore cum laude essent gerenda re aemulatores futuri. Tulisse fertur iniquo animo superbus barbarus, primo suorum impetu urbem non captam, adeo quidam dure, atque acerbe accepisse reversos duces in castra, in quos male rei gestae culpam conjiceret, ut tristior illis ejus oratio esset, quam quae mala per totum diem pugnandi essent passi. Ita ne vero: potuisse parvam urbem Solimani exercitum invictum te ipso spectante hostium virtutem suorum socordiam, integram diem sustinere? Tantasne eodem coactas vires, tot equitum, peditum millia, tot tormenta, tantum rerum omnium apparatum eo recidisse, ut quod esse crederetur ab imis sedibus evertendo Vngariae regno, augendo suorum flagitio, hostium gloriae esset. Miserum semper ab hoste vinci valentem ab imbecillo, adducentem copias innumerabiles, a destituto omnium auxilio, Turcam a Germano victorem omnium gentium, a toties caeso profligato victo, ita miserum, ut mori praestaret, quam diu ea nota infamem vivere. Placere iterum crastino die suorum virtutis periculum fieri, qua si non plane in illis elanguisset, essent operam daturi, ut per multa militiae decora sarcirent tantum admissum dedecus. Primo vero haerere tam faedam maculam Turcarum nomini diutius se non passurum, quam aut caesorum hostium, aut suorum sangvine elueretur, data illis optione: vtrum mallent, ad munitiones ne effundere hostium ferro, an in castris carnificis manu. Tanti erat apud suos Solimani maiestas, ut ne optima quidem causa nitentes, contra atque ipse sentiret, hiscere auderent. Deiecto ad terram vultu, qui habitus culpam agnoscentium est, crimen silentio, quod vera nullum admiserant fatentes. ad perorationem usque

dicentem audierunt, id unum polliciti, ejus diei venia exorata, daturos operam, ut suorum virtute voto potitus, non jam de eorum supplicio, sed de praemiis cogitaret, quae sibi ab illis benignitate et clementia perampla sponderent. Inde duces milites allocuti, et se comparare animis ad instaurandam cum hostibus pugnam in crastinum diem jubent, ab imperatore, aut captae urbis relaturi viris fortibus digna praemia, aut inustae maculae nomini Turcarum dignas suo flagitio poenas persoluturi. Nulla acrior oratio, cujus aculei altius in audientium pectora descenderent. Exigua noctis parte quieti data, cum majorem partem iis comparandis traduxissent, quae superiore pugna corrupta, erant sarcienda; a prima luce excitati, signum ultro pugnae laeti atque alacres poscebant, bello Solimani imperatoris ductu, atque auspiciis inchoato, aeque laetum finem imposituri. Ita bene per se animatis, iniqua nostris fortuna favit. Coorta nebula a palustri, atque uliginoso sole, cum se se lato sole calescente circumfudisset, ad munitiones subeuntes ita tegebat, ut prius nostris incederent comparantibus se ad pugnam, quam movisse e castris crederentur. Nam praeter cetera, quae habet Turcarum disciplina digna laude, verbo duci audientem militem, atque alacrem exequendo imperio reddit. Inde fit, ut in expeditionem euntium nulla trepidatio, clamor nullus, nulla vox, tumultus nullus ordines perturbet, et magno cum silentio id, quod accidere necesse est obtemperantibus ducis imperio, quo ducantur, contendant. Quae res et alias sepe illis saluti fuit, et tum, ut nostri improviso malo attoniti, et stupentium similes oprimerentur, perfecit. Nam et nebula visum impediebat, quo minus conspici advenientes possint;

et silenti agmine incedentium nullus nostrorum auribus sonus, vox nulla accedebat, quae indicio esset hostes adventare.

Commissa tamen acriter pugna, cum alibi, tum maxime ad eam munitionum partem, quae inter propugnaculum ab hostibus occupatum et sacram virgini aedem intercedebant; quem locum delectorum Germanorum cohors tuebatur, quorum fuit ex die eximia virtus, longe fortuna dispar. Cum barbari ita iis e superiore loco imminerent, ut intelligerent desilientibus non esse recusandum, quin ab iis objectis hastis ad caedem excipierentur, oportuno consilio, magnis ponderis trabes, quae commodum ad munitionum usum illuc erant multae comportatae, omnes simul adnitentes in capita Germanorum devolvunt, magna cum eorum strage, qui primi ordine et quasi agminis porrecta frons, periculo erant propiores. Ita hastati, quorum semel perturbata acies raro restitui potest, locum deserunt, manibus aliis, aliis humeris aut sauciis, aut luxatis, aut pondere obtritis, ut abjicere hastas, e tota perturbata acie, fuga saluti consulere, quam evadendi spem fortuna ostenderet, cogerentur. Quod non illis tamen facile erat, iis ipsis, quas abjicerent, hastis ita aut rectis, aut obliquis, transversisve cadentibus, ut earum confusa strages fugam impediret, quam esse explicatam et celerem, ut esse salutaris oportebat. Nam barbari, qui illis fugam infestam facerent, jam a tergo instabant, cum e propugnaculo desiliissent, eo quidem audatius, quominus commoda fugientes nostri, hastas obvertere in se insequentes, si qui modo retinuissent, possent, aptas illas quidem stabilis pugnae; non aeque utiles, ubi celeri motu, atque agitatione est opus, aut declinan-

dus ictus, hastae objectu, aut subita conversione hastae feriendus hostis, tum longitudine, tum pondere, quo id minus recte fiat, praepediente. Eadem aliorum fortuna, Italorum cohortes, de quorum virtute duces egregiam spem suscepissent, in se irruentium barbarorum impetum, cum iis numerus vires et robur adderet, haud sustinere potuerunt. Sed hoc mitius malum prae eo, quod a suis urgebat. Terga vertentibus, ne fuga quidem licuit expedita uti, non in se aequiores hostibus Albanos nacti. Pontis partem, quae urbis interiori parti commitebatur, ne una cum nostris Turcae irrumperent, unius salutis memores, obliti fidei, atque officii, cujus nullum discrimen in extremo salutis casu agnoscebant, reductis introrsus catenis sustulerunt. Inde omnium promiscua secutae caedes, cum ne iis quidem parceretur, quorum insignia armorum inter aliorum nitentia, spem facerent luculentioris praedae, ut nullus vivus redigeretur in potestatem. Ex iis, quos aut insignis militiae ordo, aut nobilitas honestabat, Jovius Carolum, sic, eum honesto imprimis loco in Insubribus natum, Dominum Torniellium Octavianum Strofacium infelicis expeditionis auctorem recenset, aliosque, quorum calamitas illustrior, quam nomina fuerunt.

Barcocius, cum, negato ab Albanis urbis ingressu, non precibus, non obtestationibus locum esse ullum reliquum animadverteret, clamans se a suis proditum, pro quorum salute in vitae discrimen venisset, a supervenientibus barbaris interficitur. Reliqui, cum nulla aliunde spes effugii ostenderetur, in subjectam fossam imperiti juxta et periti nandi se dejecerunt, quorum idem tamen exitus fuit, prohibentibus, qui sequebantur nandi imperitis, ne qui periti erant, nandi facul-

tate uterentur, quae liberam manuum et peduum explicationem requirit: ita enim natantibus crura, ac foemora complexi haerebant, ut, nulla cum spe salutis, quominus qui possent, evaderent e mortis discrimine. essent impedimento, quos in idem exitium (ut erat vis aquae ingens) secum pondere depressos trahebant. Taetra quidem malorum facies et hostibus etiam miserandus, si vestigium ullum humanitatis ferocia pectora retinerent. Nam si qui eorum sequentium complexum eluctati, qua se sperarent evasuros, adnare conarentur, presto erant, qui sagittis transfigerent toto dorso aquis exstantes. Nam aliorum non minus fuga nfelix, qui desperatione melioris exitus se in paludem demisissent, praealto enim et tenaci limo cruribus immersis, cum inde pedes amoveri volentibus non liceret; in vestigio haerentes, immobiles se ad gladium, et sagittarum ictus praebebant. In eorum numero, qui aut fossam tranantes, aut tentantes paludis vada, interierunt nobiles aliquot adolescentes e claris in Insubribus familiis, ut Jovius ait, e quibus tamen Carolus Rufus, cujus supra meminimus, felici ausu superatis omnibus dificultatibus, incolumis evasit. Magna interea omnium Albae trepidatio, ita urbis suprema deplorantium, ut quorum mens excitanda esset ad ineundum de publicis rebus consilium, occupati maero et luctu, deflendo tum suo, tum patriae occasu, querendo dei opem, atque hominum implorando tabescerent omnium potius quam potentes sui. Nam urbis praefectus, eodem tempore tenente multitudinis animos, militibus, qui reliqui in praesidio erant, nova consilia defendendae urbis expedientibus, negat oportere, in desperatis rebus aliud remedium quaeri, quam quod praescriberet natura praesentium rerum, et temporis ratio, cui quidem, qui non parere induceret animum,

neque quanta ejus vis esset teneret, et se ipse esse hominem ignoraret, cujus certum munus esset, nihil temere, omnia ratione, et consilio agere, quorum enim consilia ad arma, et ad vim spectarent, eos nihil aliud agere videri, quam iis malis, quae essent perpessi, tristiorem, funestior emque accessionem quaerere, quae Albanis ultimum patriae excidium esset allatura. Deditionis mora, ne, qui diem proferrent, fallerentur, omnem spem precidi ab eo impetrandae salutis, quum modo spes esset exorari posse, ultro se dedentium studio, atque alacritate.

Namque et illud addebat, fuisse e suis, qui Solimano nondum ab illo Strigonio recepta, spem fecissent, ubi cum exercitu Albam accederet, magistratum cum clavibus obviam occursurum, verumdum in ea spe frustratus, per privatorum temeritatem, multorum peste et ruina statueret sibi in civitate vindicandam promissi destitutionem, aucta offensione animi. Gratias quidem militum ducibus Albanos agere, pro eximia eorum in se voluntate, sed eas non esse, neque publicas, neque privatorum rationes, aut fortia consilia potius, et speciosa, quam tutam mallent, ut in corporum morbis tamdiu remedia acriora adhiberentur, curarentur igne, ferro, quamdiu corpora caederentur, eorum pacientia esse, ubi vis morbi, corporis vires superaret, nollent ulterius medici depositam deploratamque curando, cum unius certa pernicie suam atque artis infamiam conjungi, de munere suo functi, cetera naturae permitterent: ita paterentur viri fortissimi, quando praesentium malorum moles tanta esset, ut iis propulsandis, quae adessent, vires impares haberentur, longe abessent, quae possent propulsare, aut sine graviorum malorum additamento Albanos perire, si

deo immortali visum esset, aut hostis misericordia, sine cujusquam infamia, conservari. Atque his plura locutus. de more edito e muris signo, se velle de urbe dedenda agere, cum duces percunctatus esset: liceret ne legatos ad imperatorem mittere, qui quibus legibus accipi in fidem placeret, docerent; enim vero licere; unus ex his Achomates respondit, multis verbis, adhortatus, ut salutare consilium celeritate atque alacritate Imperatori gratius redderent, quam innixi suis viribus desperarent, ab ejus clementia et misericordia salutem accepturi. Ergo magno civium consensu legati ad Solimanum decernuntur, in his Carolus Rufus, vir non solum in bello spectatae virtutis, sed prudentiae et consilii rebus gravioribus tractandis; primus illis de more cum ducibus ingressus, et arcanorum consciis, a quibus cetera prolixe et liberaliter accepti, illud dixerunt, se non dissimulare, ab illis foede violatam fidem, quam sua sponte imperatori obstrinxissent, simul atque Albanorum fines attingeret, qui illis urbis claves adferrent obviam progressuros, usque adeo vero, quod polliciti essent, non prestitisse, ut advenienti occurrerint armati. Quod flagitium eo gravius esse, quo magis intelligent, nihil aliud adeo importuna, contumacia animorum se aucturos, quam ut spem salutis sibi ipsi praedicerent, quam ab armis frustra peterent, cum sibi ab eo paratam scirent, qui non coactus armis, a quibus invictus esset, sed clementia victus, et misericordia animi dare placatus supplicibus consvevisset. Ad haec legati nonpassi duces ulterius progredi, dicendo, multis in rebus responderunt, male cum Albanis actum, sed in una pessimum, quod non licuisset maxime nolentibus per Ferdinandi duces, in quorum potestate urbs esset,

se se dedere, quo tempore erat futurum, ut deditio esset honestissima. Neque eos magis videre accusandos, qui patriae ruinam prospicientes animis, ejus depraecandae caussa certiora de deditione, quam praestare possent, in aliorum potestate positis, spopondissent. Non enim credidisse tantam vecordiam fuisse in regiis ducibus, ut hostem potentissimum quiescentem, armis lacessere auderent, quae iis semper infelicia fuissent, multo minus credisse, potitum nobilissima Vngariae urbe, aliis incensis, et solo aequatis expectare pestem sibi, atque excidium minantem ausuros. — Sero quidem se se hoc officio fungi, sed eo aequiore animo, quo magis aequi, atque iniqui intelligerent, quorum culpa accidisset, si quae partes miserorum essent, ut praeclare vellent et ut officium studio, et sedulitate praeverterent praestisse, ut possent, quod vollent, praeclare eos prohibuisse, quorum imperio inviti parere cogerentur supplices orare imperatorem clementissimum, ut accipienda civitate in fidem memor suae clementiae, quae in omnium ore et praedicatione esset, paucorum culpa immemor, cujus civitas esset expers, et pacem poscentibus darent, et eas pacis leges, quas non iracundia postularet, nunquam in magnis animis victrix, sed quas illius lenis atque pacatus animus cum fiducia supplices se ad illius pedes abjecissent. Hac oratione quasi praesente imperatore habita, duces ad illum legatos adduxerunt, cui cum non aegre persvasissent, ea vera esse, nemini non verisimilia viderentur, facile, quod voluerunt, impetrarunt, ita accepti in fidem, ut Solimani majestatem comiter conservarent, suis legibus, institutis uterentur, non secus, ac si optimo civitatis statu sua sponte in eos ditionem concessissent. Mili-

tibus, qui e caede superfuissent, salus, et libertas concessa, datis ducibus, qui, quo visum esset, incolumes cum armis, vestimentisque, quaeque seorsim exportarent, deducerent. Eadem lenitate Solimanus provectus spe liberariois stipendii cum alios e legatorum comitatu, tum unum e legatis, et maxime Carolum Ruffum asse elicere tentavit, clam ad eum e legatis transfugis Italis, qui suo exemplo salva religione, quod illi facile per imperatorem liceret, in multo opulentiorem, honestioremque militiam nomina darent, utramque militiam experto se, quam esset misera eorum conditio, qui sub christianis legibus militarent, prae ea, qua Turcae uterentur, posse testari, unos enim apud illos esse, qui rem militarem exercerent, qui quod opifices nulli, institoresve agerent, non holosericam vestem, non alias praeciosas merces, sed sangvinem et vitam, quae nulla reum venalium carior mortalibus esset, antea efunderent, quam illis sangvis et vitae praecium solveretur; quod quidem non liberi aut propinqui adirent hereditate, sed regum ministri improba cupiditate alieno hiantes vocarant, e miserorum caede, et cruore, sibi vitam svavem, et delicatam comparantes. Si meritis hominum aestimandis christianorum regum cum Solimani magnificentiam conferrent, intellecturum, quantum inter veram, et adumbratam virtutem interesset. Regnare apud illos inertem nobilitatem, splendida nomina, majorum statuas, imagines, non homines, quae stupens ad omnia multitudo susciperet in diffidentibus sua aliena virtute nitentibus apud Turcam undecunque existeret, habere virtutem, quo ab imo gradu se attoleret ad summum. Magni animi indicium esse, qui maxime in Turca emineret, in hoste ita aemulari summam virtutem, ut laudaret, admiraretur locupletassetve praemiis, si daretur locupletandi facultas,

nullius magnitudine precii sibi eripi e manibus virum fortem pateretur. Magni quidem hoc animi indicium, sed non calidi, et prudentis minus, qui per honestissimam rationem, honestandorum virorum fortium praemiorum magnitudine sibi eos homines conciliaret, qui maxime essent apti tantae molis imperii sustinendae. Una haec fama illum sibi comparare exterarum gentium studia, una assequi, ut non milites, non duces, non bellicas artes, qui subministrarent, ingeniosos homines desideraret, quorum quidem ingentes catervae non interdictionem a sacris, non violatae religionis infamiam, non suorum odium verentium ad illum convolarent. Inde jussus Achomates cum legatis ire Albam ad urbem recipiendam, negantibus ducibus impeperatori prius urbem ineundam, quam locus humatis interfectorum cadaveribus expiaretur, quorum ingentes acervi, qua erat pugnatum, praeter tetrum odorem, immane spectaculum oculis repraesentabant, triduis spacium loco expiando datum, milites inde cum rebus suis omnibus dimissi, praeter tormentarias pixides novum ad perdendos homines pestis genus, quos relinquere sunt coacti. Caetera veneribus similes, in uno praesentioris mali, qua iis utentes, nullo exteriore adducto igne, nihilominus glandem emittere fistula indusam queant, qua tenui foramine ignis in fistulam admittitur parva aplicata rota dextro fistulae lateri, silicem superne ferrei forcipis tenace morsu strictum, et parum exstantem, ut si qua accipiat ictum, in subjectum calibem, cui est superfusus sulfureus pulvis, vehementi conversione impellat, unde exitus ignis glandem emittit tanto majore cum pernicie, quanto facilius, qui petitur, potest falli, cum exigue magnitudinis pixis ubivis delitescat, et tamen ignis indignus

non sit, quam in silice confectum habet. Datus descendentibus dux Homarus, vir impiger, atque ut eventus docuit, non malo erga nostros afectus, nam a Tartaris primum tutatus, qui omnia itinera insederunt, et mox ab Vngaris in magna licentia armorum, qua spes praedae ostenderetur, impune excursiones facientibus, nonnullis quidem acceptis detrimentis, sed incolumes tamen, quo voluerant, perduxit, his ita administratis, perfectisque rebus, Solimanus cupidus invisendae urbis, in qua per tot secula tot reges nobilissima regni insigna accepissent; posuissent eadem cum vita religionis munere defuncti, triumphantis in morem magnificentissimo pompae apparatu, est in urbem invectus, et mox ad aedem majorem Divo Petro sacram se deduci imperavit, in qua quidem nihil violari passus, advocatum Achomatem, datis certis mandatis praeesse urbi cum imperio iussit, atque eadem hora in castra, paucis post diebus laetum imprimis exitum expeditionis sortitus, in Trachiam est profectus, mox Achomates cum cura per inquisitores lustratis, privatorum domibus produci jussit, qui quo tempore civitas, post Joannis regis excessum, ad Ferdinandum regem defecerat, ut aut gessissent magistratuum, aut private defectionis auctores fuissent. Neque in eo diu laboratum est. Fuisse XLV, Ungari affirmant, de quibus Solimani imperio est supplicium sumptum, nemine prae barbarorum metu, aut privatae, aut publicae calamitati ingemiscere audente, cum quidem uno nomine quid cives essent, in commune ad omnes privatim, ad multos calamitas pertineret, qui reos aut sangvinis conjunctione, aut affinitate, aliave necessitudine attingebant. Ad hunc modum nobilissima civitas, non ita multorum supplicio perfuncta ultimi discriminis metu.

Quod quidem eo tolerabilius visum, quo magis conscia, quam superbo et contumaci animo Solimani postulata rejicisset ad dedicionem adhortantis, gravia sibi, atque acerba ominabatur, fama quidem eorum, quae belli initio acta audierant, satis indicabat, quae essent victis a barbaro hoste et contumeliae insolente expectanda. Cujus animum pertinaci consilio defendendae urbis impares tantis sustinendis víribus asperassent. Neque in eo solum constitit Solimano sive ad tempus simulata lenitas (sperabat enim populorum studia quibus est plausibile clementiae nomen, per hanc sibi conciliatum iri) sive ingenio insita, quod video nonnullis placere, nisi ad ignoscendum proclivem, pertinatia eorum, quos vinceret, irritaret, mitissimum fuisse affirmantibus. Provectus studio, et de sarciendis malis, quae in vrbis oppugnatione vis belli invexerat, cogitavit, et afflictis miserorum rebus severo edicto prospexit, jussis agrestibus ad opus in agros redire, opificibus aperire tabernas, aliis praebere forum venalium rerum, ut consvevissent, cujus quidem rei fama exteros homines e longinquis regionibus excivit ad frequentandas stratas, nundinas, quod urbi ex tot malis recreandae magno adjumento fuit. Nondum a Solimano Alba recepta, Ferdinandus rex magno studio ingentibus comparatis copiis ad Jaurinum castra habebat, adulto jam autumno, sed ut non desperaret, per hostis discessum sibi opportunitatem aliquam bene gerendi rem oblatum iri. Ad sexaginta hominum millia dicitur in armis habuisse. In his a Paulo III. Pontifice Maximo missa peditum ad quinque millia duobus ducibus, insignibus nobilitate Julio Vrsino, et Baptista Sanello, quae copiae ne magno usui essent, anni tempus fecit, etiam praefectus hostis, cui ante

duas captas primarias urbes in Vngariae regno, tot excissa oppida, tot captas arces, tot ungaris illatas clades erat occurrendum. Ne tamen nihil egisse viderentur, missi populatum albanum agrum, cum equitum delectis ad mille Franciscus Capolnaius ungarorum militum, Carolus Serotinus Stiriae praefectus, quos obviam missi turci ad Commarum ita exceperunt, ut multis ex his interfectis, alios cogere in terga vertere, Capolnaium casu equo effuso, prope Vesprimium assecuti interfecerint. Ita satis numerosos exercitus comparatus, ne deesset ad caeteras clades malorum additamento, magno cum nostrorum dedecore dissolutus est, jam autumno in hyemem vergente minime oportunum tempus ad rem gerendam, quod, ut aliis rebus omnibus, sic maxime in bello administrando hominum consiliis moderatur. Memorabilem annum duarum nobilissimarum urbium clade annus XLIV. excepit, qui quidem haud plane nostris malis vacuus fuit. Reliquerat Solimanus in Trachiam discessurus, qui universo regno Vngariae praeesset, magni nominis ducem et multis in bellis, terra marique magna cum gloria versatum, Mahemetem Budae praefectum, qui nequis hostile inter Budam regni caput, et alia. quae in Solimani ditione haberentur, intercederet, Visegradi arcem munitissimam, eandem, et ut alibi diximus, custodia olim insigni nobilem, redigere in potestatem constituit. Ita cum ex proximis vrbibus praesidii militem satis validum manum cogisset, circumsessam arcem unius mensis spatio, perpaucis militibus eam defendentibus expugnavit. Inde latius dissipato belli terrore, qua pervaderet omnia urendo, populandoque ingentem praedam, tum aliarum rerum omnium, tum pecorum atque hominum, cui uni maxime studeret, abduxit,

mox itum ad oppidum kykro (*igy*) positum in Ferdinandi ditione, quod quidem brevi expugnato, cum uni circa regionis tractum, quae ejus oppidi juris esset, redegit in potestatem, neque alibi interea vis belli cessavit. Acomates Albae praefectus, arcem suum kyokhaken (*igy*) populares vocant. in alta rupe, atque excelsa contra Albam sitam, ne quando nostris ab excursionibus, quibus crebris loca finitima infesta habent, receptus, atque effugium pateret, vi oppugnare adortus recepit. Inde ad Strigonium agmine converso, Eredrem, ignobilem quidem arcem, sed hostibus ad multa oportunam, VI millia possuum Buda distantem, eodem belli tempore cepit, cum nullae circa nostrorum vires essent, quibus spes esset, resisti posse. Praeerat eo tempore Jaurino Bartholomeus Horvathinoviczius, vir industrius, et magni animi, qui fama eorum accepta, quae a Turcis gererentur, indignatus tantum illis per regios duces licere, assumpta expeditorum equitum manu, Albam excurrit, atque ignibus subjectis suburbium incendit, qua re cognita, Achomates, qui tum Ozorae arcem obsidebat, veritus, ne quid detrimenti absente se, in nudata urbe omni praesidio acciperetur, soluta obsidione arcis rediit. Jam nostris praefectis idem annus memorabilis Gallorum insigni victoria de Caroli caesaris ducibus ad Carinianam portam, quod oppidum ad extremos Italiae fines in subalpinis est situm. Eam cladem, cum alii multi, tum Ungari maxime adorati numinis animadversionem, revocabant a suis, pro male administrata reipublicae penas expetentis, memorabatur quidem magna cum caesaris invidia, quae anno XLI. in conventu Ratisbonensi essent gesta, quo tempore Ferdinando rege a fratre opem adversus Turcam implorante infelicem

Christiano orbi universo expeditionem futuram diis hominibusque invitis suscepisset. Non in eo Germanorum principium, non pontificis maximi, non venetorum preces, non gentium, non populorum consensus valuisse, qui soliciti de reipublicae salute, imminentem ab hoste infestissimo ruinam praedictam dificillimo suo tempore, a sommo suo custode depraecarentur, neque vero tam diris auspiciis susceptum bellum, latiorem eventum secutum, deo immortali in eo excitantem coelum, mare-terram, quae rerum elementa animantibus omnibus salutaria benignam et tranquillam auram negarent, refugienti a veri christiani imperatoris munere, et eam stationem deserenti, in qua esset a deo imperatore collocatus. Vix áltero anno exacto, Vngariam Solimano majoribus viribus repetente, regem fratrem hosti immanissimo praedae relictum, proditum regnum, quod unum propugnaculum barbaro obstaret proferenti in Germanos, Italos, Gallos, universosque adeo Europae populos hostilia arma, scilicet Gallo rege in Belgas Caesaris arma ad sua tuenda revocante, quae multo majore cum laude, et secundiore hominum fama, cum ejusdem Galli regis sociata, barbarum hostem essent ex Ungaria expulsura. Ac victum quidem ita Italia Caesarem, ut duriore conditione Gallus victor initae cum barbaro crudelissimo societatis infamia, quae loco poenae gravioris esset, plecteretur; hoc deo immortali admirabili providentia procurante, ut hostes suos, per suos hostes, quod in sacrarum litterarum monumentis praescriptum esset, ulcisceretur. Reliqua anni parte et anno sequenti toto ab armis cessatum. — Iam enim Ferdinandus satis arbitratus suam fidem, pietatemque in christianam rempublicam populis probatam, pacem bello praeoptabat, ita solus ob-

jectus potentissimo hosti, ut destitutus Regum auxiliis, inter se immortales inimicitias, simultatesque exercentium, neque esset bello inferendo par, quo quidem, ut hostem ultro lacesseret tanti regis majestas, et praesens rerum status requirebat; neque propulsando adeo ab hoste illato, cujus tanta potentia roburque esset: cujus rei indignitas major, an incommodum esset, discerni vix posset. Ab eo usque tempore, quo iniisset regnum, una cura auxium ea detrimenta atque incommoda sarciendi, quae superiora bella regno importassent, nihil sibi reliqui fecisse, qua re speraret tantam invectam in orbem terrarum pestem sublatum iri. *(Hézag; néhány lap hiányzik)* . . . .

coacta desperatorum manu, aliquid novaret, nihil minus exspectantem in arce circumsedit, unde non prius discessit, quam cum liberis vivum redactum in potestatem ad Solimanum Constantinopolim misit. E duobus liberis alter legitimo thoro, alter erat e pellice natus, qui quidem quam constantes fuerint patria, religione tuenda, non traditur, pater grandis jam natu, ne liberis deesset perfidiae et sceleris exemplum, passus est se Mahemetis sacris initiari, sive redimendae salutis, sive spe honoratioris fortunae. Nihil quidem hoc uno proclivius homini taeterrimo ingenio, et cujus de sacrorum ac religionum cultu, quas aeque contemnebat, una et eadem esset sententia. Per idem tempus Solimani quaestor Budae certior factus, Achomatem Albae Regalis praefectum, majorem urbis aedem avare, foedeque compilasse, quae supererant e sacris vasis ad divinae rei usum, direptis, de eo ad imperatorem perscripsit, qui quidem stomacho, iraque incensus quaestori imperavit, ut Albam profectus, de ea re tota ex sua fide cognosceret, atque hominem ad se mitte-

ret praesentis flagitii poenas et sceleris persoluturum. Ita Achomates peculatus convictus, coactus est restituere ablatum, atque ignominiae caussa, solus, nullis datis comitibus, ire Constantinopolim, et se sistere imperatori jussus, Mahemetis gratia, cujus erat propinquus, capitis suppcitium aegre effugit. Reo tamen, quae poenae loco esset ita infamis relicta, inusta nomini faeda ignominiae nota, ut in eorum numero haberetur, quibus lege ad urbanos magistratus, et militiae honores est aditus praeclusus, quo Mazulos patria lingva vocant. — Deinceps regius quaestor diligenti inquisitione loca abdita omnia sacrae aedis perscrutatus, ne a regum quidem sepulchris abstinuit, barbara arrogantia, et superba numinis contemptione, per temerata gentium jura, quae semper majorum sepulchris pepercerunt, singillatim apertis, atque inde asportatis, quae spem facerent impii quaestus. Inventa regni insignia, coronae, sceptra, orbes aut ex solido auro, aut ex argento, cui superne aurum illitum esset, adhaec aurei torques, magni precii gemmae annullis illigatae, quae omnia quaestor cum cura in rationes imperatoris retulit. E Joannis regis sepulchro, quasi ludibrio ejectum cadaver praetori urbano tradidit, alibi, ubi visum esset humandum, eo ut creditur consilio, ne videretur agnoscere in aliorum regum censu, quiquamdiu regnasset, nomine rex, modo vero rex Solimanus fuisset. Nam et illud dicitur adjecisse: Hic unus e vestris diis (non enim unus nobis satis) quos paulo ante homines mortales, vita functos divinis honoribus prosequimini. Acceptum praetor venerabun-

dus, ac nova arca reconditum ad Michaelis, quae est in suburbio sacra aedes, tumulandum curavit. Anno inde XLVI. nihil minus nostris, quam bellum exspectantibus, Mahemetes magnis coactis copiis, Albensis et Tolnensis Comitatus arces omnes, quae adhuc in Ferdinandi regis ditione manebant, recepit.

Finis libri XII.

IO. MICHAELIS BRVTI

UNGARICARUM RERUM

LIBER TREDECIMVS.

IO. MICHAELIS BRVTI VNGARICARVM RERVM LIBER TREDECIMVS.

Iam septimus a morte Joannis regis appetebat annus, ab occupata a Solimano regia urbe, sextus; cum male dissimulatae ad tempus simultates inter regis pupilli tutores magno cum illius et populorum incommodo in apertum erupere. Ac cum Petruithio quidem meliores sentiebant, et quibus erat unus finis propositus, regno administrando cum populorum ocium, et provinciae quies, tum apud homines pupillo conservati regni a domesticis atque externis hostibus, fortitudinis atque innocentiae laus. Popularis Georgius magis, atque aptior multitudinis studiis sibi conciliandis. Accedebat insignis prudentiae opinio, qua factum credebatur, ut per totum illud tempus, quo Solimanus bellum adversus Ferdinandum in Vngaria gesisset, belli flamma late omnia populante, tutam ab armorum incendio Transilvaniam temperamento quodam admirabili se inter duos medium praebendo praestitisset. Et vero fuit illa non exigua virtus, et scire et posse Solimanum fallere, cujus cum tanta potentia, opesque essent, non minor prudentia, calliditasque haberetur; praesentim quem non fugeret, non voluntate et studio, sed vi et metu, qui recte malus diuturnitatis custos dicitur, Christianis sacris initiatum hominem in officio contineri: ut si utrumvis,

salvis rebus liceret data facultate cum compendio a bene de se merito deficiendi, quo esset inclinaturus, animo non dubitaret. Nam quo minus Solimano auxilia mitteret ad bellum id suo jure poscenti, verae caussae, unam, quae videretur similis verae obten debat, crebras barbarorum incursiones, quibus undique sunt Transilvani circumvallati, cum eorum tempori insidiati sperarent, nudam provinciam militum praesidio, quos suspicarentur imperatori auxilio missos ad bellum, se occupaturos armis. Quae hominis artes, etiam si, ut diximus, quo spectarent, callidus barbarus non ignorabat, in praesentia tamen sibi dissimulandas censebat, certa spe fore, ut ex sententia confecto ungarico bello, a male functo officii munere brevi exigeret poenas. Cujus rei agendae ne diu occasionem desideraret, viduae reginae multae ad illum delatae querellae de eo homine effecere. Nam nomine quidem illa regina, sed penes Georgium regni jus, ac summa potestas rerum omnium erat. Idem regni vectigalia, portoria, decumas, honesto titulo, quod pertinere hoc munus ad regii aerarii praefectum diceret, exigebat, magna cum invidia, exigua eorum parte reginae attributa, quae se aegre et regem filium aleret. Quae potentia tanta, quominus pupilli regno insidianti apud nobilitatem invidia esset; qui ex his maxima auctoritate excellebant, beneficiis multis delinitos sibi adjungere studebat, unum contempta regina, sensim agnoscere fortunae auctorem asvescentes et cujus fortasse gratiae innitentibus majora in dies sperare liceret. Praecipuum vero ejus studium, variis dolis et fallaciis a rege alienare, qui occurrere faede inceptis, et obsistere ad principatum sibi viam sternenti malis artibus, possent. Quae omnia ita regina agnoscebat, ut aegra

animi in principio et consilii expers, quo se verteret, non haberet. Nihil quidem certius est, quam, scriptis in Poloniam litteris ad reginam matrem, de receptu cogitasse. Cujus consilium cum callida femina non posset probare, non ignara futurum, ut per illius discessum, corroborata audacia, licentia grassandi in pupillum innocentem proveheretur, unde aegre retrahi posset, oratores ad illam misit graves et prudentes homines, qui simul filiam a tam pravo consilio deterrerent, simul Georgium officii admonerent, ut memor Joannis regis, cui quantum deberet, multa in illum merita testarentur, quae ne quis ignoraret, illustri loco, atque excelso collocasset, memor pupilli regis, quem suae fidei a patre commendatum haberet, memor denique existimationis, nominis, famae, ita matrem induceret animum obsequio sibi, comitate, atque indulgentia conciliare, ut victa illius officiis de referenda illi gratia potius, quam de vindicandis illius iniuriis cogitaret, cujus rei agendae facultas haud quaquam illi esset defutura. Non enim filiam ita esse ab amicis inopem, divitibus propinquis, in Polonorum regia natam, regi nuptam, qui multos studiosos sui nominis reliquisset, quorum fide, illius orbitas, et solitudo esset munita, ut cuiquam esset ad injuriam animos factura, ut illi laborandum potius esset de referenda illi gratia, pro illius in se officiis, quam de ineunda ratione, qua se ab illius injuriis vindicaret, quae minime illi tamen esset defutura. Ita bonae reginae legatis magno studio adnitentibus, regina cum Georgio in gratiam rediit, injuriarum memoria sopita ad tempus verius, quam oblitterata, cum, quibus artibus peteretur cum callido et vafro homine sibi intelligeret certandum. Georgius quidem, cum non illi esset fidei

cura, dulcedine imperandi major ad ingenium rediit; regina ad pristinam rationem de illius injuriis expostulandi perfugit, tanta cum illius invidia, ut omissis lenioribus consiliis, ad vim et arma videretur res perventura. Quae cum ita se haberent, nobiles homines Vrbanus Batthianius, Franciscus Patocius, Antonius Losoncius, qui iidem Georgio infensi, reginae studiosi habebantur, aegre consilium adversus illius injurias expedienti erant auctores, ut, quod semper apud gentes et populos omnes in more fuisset, rationes ab eo exigeret per tot annos administratae aerarii praefecturae. Ita enim in ejus muneris procuratione versatum, ut simul suae existimationi consulere, et eorum rationem reddere, quae expensa pupillo ferret, pro exactis per tot annos regni vectigalibus, haud posset. Sive antem non refugiat, quod minime credendum sit, fore, ut nulla cum invidia, illum regina cogat se magistratu abdicare, sive recenset male reipublicae administratae conscius, suam ipsum causam jugulaturum. Cui enim umquam ubi auctoritas legum potior, quam vis et arma essent, hanc legem effugere licuisse, ut maxime etiam perspectae fidei atque integritatis haberetur, ut cum obiisset publicum munus non ejus administrati ei, penes quem esset, summa imperii, redderet rationem? Ita fore, ut reginae querellae tum apud alios omnes, tum apud Solimanum, ad quem summum jus regni pertineret, haberentur justiores. Ergo regina amicis assensa, cum de aliis rebus, tum de reposcenda a Georgio ratione male gesti magistratus, unum rebus omnibus sibi statuit praevertendum, ut de illius injuriis ad Solimanum scriberet certum vindicem atque ultorem domesticorum malorum futurum. Frustra se ab apertis hostibus im-

peratoris potentissimi armis liberatam, cujus beneficii memoriam nulla umquam aetas esset oblitteratura, si pateretur se ab ocultis hostibus, insidiis circumveneri. In unius Georgii potestate regnum esse, regem filium pupillum, se matrem reginam, quorum alterum aetas, sexus alteram, utrumque orbitas redderet illius injuriis opportunum. Modo sibi et filio relicta inania nomina, qui non minus, quam ceteri unius dominationem acerbissimam, atque indignissimam perferrent. In filii innocentis injuria, ejus violari majestatem, cujus beneficio regno potiretur: si modo dici posset, eum regno potiri, qui Georgio Dalmatae serviret, ea conditione nato homini, ut bene cum illo ageretur, si mercenaria stipe, et pudendo servitio, sibi victum apud agrestem dominum in rusticana casa pararet. Non exercitu opus esse ad illum coercendum, non majoribus viribus: unius imperatoris Solimani nutum satis ad continendum hominem in officio futurum, ubi intelligeret minus illum ea fugere, quae in matrem atque filium scelerate ageret. Tulisse ferunt Solimanum iniquo animo rei indignitatem tantam, ac scriptis ad Georgium litteris superbo imperio malum minatus has ipsas attritas tot bellis, Austriae et Norici vires, unde essent adversus Solimanum tantum hostem petendae. Sed in his angustiis rerum dici cetera mitiora reddi Georgii consilio, virtute, constantia, fide, in cujus auctoritate et sapientia, ubi immineret a Turca bellum, esset multum spei et praesidii futurum. Cujus si in Joannem regem umquam exstitisset fides, cui vitam, fortunas, sacerdotii amplissimi honorem referret acceptum, ejus filii tutela administranda, nihil causae videri, quin continuo cum eodem de re tota transigeretur; sed si ita rem institutam haberet, ut a prodi-

tione pupulli auspicatus, quem pater vivens illius fidei commendasset, sponderet principio consentientem finem, quem non videret, nihil aliud assequi, qui cum eo ageret, quam gravem apud omnes invidiam, cujus esset unus Georgius fructum Transilvaniae regnum opimum et luculentum relaturus? Errare, qui crederent quemquam ita esse velle sceleratum, ut admissi sceleris, ubi utrum vellet, liceret alium fructum referre pateretur. Georgii consilium eo spectare, ut per Ferdinandum pupillo pulso, mox eo ipso Ferdinando per Solimanum, ipse medius variis artibus barbaro delinito, regnum vacuo et soluto animo invaderet. Non dubitare se, quin nonnullis vaticinari videretur, qui haec futura praediceret et de futuris tamquam de praesentibus non secus ac si ex oraculo haberet hausta, pronunciaret. Enimvero vaticinari, sed non ut ebrii, vinolenti et furentes solent, id quod nonnulli credant, sed ut prudentes homines, et quibus ratio, et divina quaedam vis ingenii dux praeeat iis, quae sint eventura, multo ante quam eveniant, quam longissime providendis; quam vim ingenii tentare, ut sibi non sumat, dedisse tamen semper operam, ne quis in se patriae salute, et suorum procuranda ne desideraret. Quam vero rationem subesse, ut quis credat, quidquam sinceri aut sancti, in proditoris pollicitationibus tam speciosis, et prolixis haberi, qui quidem si fidem eximiam, et vires habeat fidei pares: non tamen cuiquam sit temere persvasurus, se Ferdinandi regis caussa laborare, qui maximarum illi cladium, atque adeo amissi magna ex parte regni opulentissimi fuerit auctor, dux, perfector, transactor. Quod cum neminem fugiat, quem non videre a scelerato homine, per deturbatum pupillum, et matrem reginam possessione

regni, Ferdinandum regem optimum et sanctissimum, quod nefas dictu sit, proditori impiae cupiditatis, qua flagret injustae dominationis occupandae adjutorem, administrumque adeo adornari. Quam injuriam tantam eo acrius videri vindicandam, quo magis tectam, celatamque velit, vafro consilio, ut per objectam spem regni, incautus se occulte petenti apertum praebeat latus: ut severius multo in sicarium et veneficum, quam qui sit in aperta caede versatus, leges animadverti jubent. Neque vero illum uno nomine sceleratum (non enim eum Georgium, qui esse possit uno scelere contentus) sed multis. Et in reginam aeque, et in filium, quem in tutelam et fidem acceptum perfide et nefarie regno pellat, et in Ferdinandum inductum, atque impulsum in fraudem, et in deum immortalem postremo (cujus vim malefactis hominum imminentem contemnat), sceleratum esse, non illum quidem hominem, sed pestem immanissimam, prodigium, monstrum, portentum, invisum suis caput, invisum exteris e terris ablegandum. Vnum enim barbarum immanissimum spectare, ut ad se auctorem tam perditi consilii pulso pupillo regnum; ad regem sanctissimum atque innocentissimum sceleris invidia atque infamia perveniat.

Hujus oratione cum appareret regem moveri, unus ex his, qui rem svadebant, ut in suscepta sententia perstaret, dicitur perfecisse exemplo satis pervulgato aurei mali, quod caeno volutatum, is, qui casu oblatum inveniret, ut manum etiam inquinaret, non ob eam caussam ab eo inde amoliendo auferendoque deterreretur. Regnum, cujus caussa magni homines statuerint sibi pietatis jura in patriam violanda, legitimo jure Ferdinando regi repetenti, cujus caussa per tot annos grave gesserit bellum, qui auctor sit, ut

praeter spem a fortuna oblatum aspernetur, ejus quidem posse haberi fidele consilium; aeque ei aptum atque opportunum, cui consulendum sit haberi non posse, parum enim, si id agat, temporis memor esse videatur, quod magnis agendis rebus hominum consilia, rationesque moderatur. Audendo ultro, contendendoque viribus omnibus et nervis ad ardua quaeque viros fortes fortunam fatigare. Ita enim illam multum posse, ut quae sua sponte non det, ab invita extorqueat pertinax virtus. Neque esset tanti faciendas hostis vires, ut Ferdinando parum suis sibi fidendum putet, quae firmiores, validioresque sint, quam sibi fingant, qui prudentiae, gravitatis, constantiae plausibili nomine, turpem pavorem, metumque animi tegant. Paratum germanum militem, Hispanum, Italum, veteranos omnes ac duces fortissimos, qui per tot annos maximis bellis gerendis Carolo Caesari imperatori meruerint. Quem tamquam militem emeritum a cursu gerendarum rerum, per summam injuriam, avocent, qui corporis, non animi viribus credant, rem a summis imperatoribus geri. Qua secunda fortunae aspiret, vela danda, quae si ii, qui portum quaerant, tum contrahant, cum maxime faveat, ubi adversa coorta tempestate in cautes et scopulos navim illisam frangant, non eos debere de fortuna, sed de se ipsis expostulare, qui secundam auram aspiranti defuerint.

Horum sententiam vicisse ajunt, quam in praesentia speciosam mox rerum eventus docuit, diris ominibus atque exsecrationibus detestandam, pesti atque exitio Vngariae populis fuisse. Neque vero satis quadrare aurei mali simile videtur, quod quidem vere, ut ab iis accepimus, qui interfuerunt, usurpare hujus auctorem sententiae ferunt. Nam qui ita oblatum re-

gnum accipit, ut maximum etiam, atque opulentissimum sit, non ille e caeno aurum, sed e flamma candens ferrum, aut e venenato dolio haurire svave vinum verius dicendus est. Aliud enim est mundiciae facere jacturam, et quidem ad breve tempus, aliud salutis, quam minine dubium erat in magnum discrimen adductum iri, recepto regno, quod inconsulto eo, cujus id beneficium esset, alienare beneficiarius rex haud posset.

Ergo ut eo, unde digressa est oratio, revertatur, quod consilium ad declinandam populorum offensionem, reservari ad extremum placuerat, Petruithius, ut jam diximus, de reginae sententia ad Solimanum literas dederat, quibus de Georgii defectione, non tamquam de dubia re, aut in levi in conjectura, et suspicione posita, sed de comperta atque explorata illum docebat. Neque defuerunt, qui per idem tempus eadem Solimanum cognovisse per Henrici Gallorum legatos affirmarent, qui apud Carolum V. Caesarem agebant: non abhorret quidem a vero, si quis cum animo reputet, quas inter se simultates, quam graves, quam crebro aliis super alias exorientibus caussis recrudescentes, Gallus rex et Carolus caesar exerceret. Magno sane steterunt cum aliis Europae populis, tum Vngaris maxime, quibus implorantibus frustra deum, atque hominum fidem, propius haerebat tam saevum ac pertinax malum. Ferebatur quidem Solimani optimus in puerum regem animus, usque adeo, ut matri spem faceret, omnia illi, quae in Vngaria obtineret, ad Ezeekum usque, restituendi, levi tributo imperato pro regni opulentia, quinquaginta florenorum millium, ut stipendiarium regnum Solimani esse appareret. Vna antem lege haec omnia, ut neque ex-

ules reduceret, qui a patre rege ad Germanos defecissent, neque siquos novas res moliri deprehenderet, sineret ferre impune. Iam et illud addunt, per eundem actum, ut ad regni opes firmandas, cum Henrico rege affinitate jungeretur, ducta uxore Margareta illius sorore, quae postea jam grandis nupsit Philiberto Sabaudiae duci. Id quidem si accidisset, nemini dubium erat, quin rerum incrementum ingens accederet Transilvaniae regno. Auxerat praesentia reginae spem, Solimani facilitas arcibus restituendis, quas superiore anno frustra Petruithius, Georgiusque repetierant, veluti iis regionibus contributas, quae in pueri regis ditione censerentur. Erant hae duae arces Bechie et Bechkereke, quas quominus in principio Solimanus restitueret, injecta religione summus sacrorum praefectus effecerat: cum negaret, quibus in locis Mahemeti sacra pontifex semel operatus esset, ea, per leges licere, pollui christianis sacris, id quod accidere necesse esset, ubi regi arces restituerentur. Sed hanc Solimani superstitionem Georgius discussit, traducto in sententiam fallaci legis interprete, magnitudine largitionum, qui quidem novo commento venalem fidem obtexens, et posse id fieri salva religione, et porro factum nonnunquam per interpositam Imperatoris auctoritatem postremo pronunciavit. Iam illud plane insigne benevolentiae argumentum: cum expeditionis Szigetiensis caussa cum exercitu Belgradum venisset, atque audisset puerum regem, pro eo atque aequum erat, optime de se meritum imperatorem salutatum venire, coronam auream, insigne regium, quo venientem honestaret, certum amoris et benevolentiae argumentum parari jussisse. Ergo male re ad Czanadinum gesta, verita regina, ne parum tuta praesentibus, co-

piis adversus Georgii vim esset, ni certioribus viribus inniteretur: admonente Mamutho, qui nondum e Transilvania decesserat, ac ceteris amicis, Solimanum de his, quae post illius adventum essent gesta, certiorem facere constituit.

Litterae vero scriptae in hanc sententiam dicuntur: afflictam matrem multis fortunae injuriis suscepisse sibi filii justissimam caussam defendendam, et materni amoris atque indulgentiae et officii memorem, quod altius animo haereret, quam ut facile dissimulari posset, sed immemorem virium; quae si animum aequarent, haud umquam fuisset futurum, ut vindicandis suis et filii pupilli injuriis, regina supplex ad exterorum regum auxilia confugeret, Solimani maxime, quem crebrius, quam pudor regius postularet, miserandum in modum unius hominis scelere vexata, precibus fatigaret. Sed praepostero ordine rerum, matrem, quae pietatis partes sibi tuendas, defendendo innocente filio, suscepisset, esse inermem, omni ope, atque auxilio destitutam; impium ac nefarium hominem, qui suscepisset oppugnandas, esse armatum. Itaque quod iis accideret, quos omnis alia spes deficeret, ubi Dei immortalis fidem implorarent, id sibi usu venisse, ut deserta, prodita, oppugnata armis per summum scelus atque injuriam, quorum auxilio ab iis miserae fuerit adversus vim, atque injuriam nitendum, ad Solimanum imperatorem confugeret, quem non semel esset experta afflictis suis rebus unum vindicem referentem in terris deum. Quem enim verius deum habendum, quam in quo miseri invenirent perfugium oppressi injuria; audaces ac scelerati homines, injuriae auctores horrerent vim, animum, copias, vires pares ad vindicandas innocentium injurias conjunctas

cum voluptate summa, atque animi studio habentem. Afflicta sua fortuna, paullo ante regis filiam, conjugem, matrem abjectam ad pedes imperatoris clementissimi jacere, quo acerbior casus et durior sit dejectam e celso in infimum gradum, opprimi vero a latrone, violatore divini atque humani juris, qui summae sibi laudi ducat, se perfecisse eo scelere, in quo uno alia omnia contineantur, ut aequitas, jus, fas, victum ac conculcatum concedat armis. Cujus vero certioris habendas partes conficiendi tam immanem belluam, quam quem Deus voluerit, ob eam caussam, tantum in terris posse, ut esset in cujus praesidio, tutum, jus, fas, aequitas adversus vim staret. Ac si dei esset erigere jacentem, rogare, ut porrigeret reginae afflictae, qua se attolleret, invictam manum; si tueri oppressos injuria, ne pateretur proditorem, transfu gam, barbarum hominem et crudelissimum triumphum agere de victa innocentia; si ulcisci hominum scelera deterreret improbos multos, unius scelerati supplicio a male agendo. Nam si hostis indignitas augeret per se gravem et acerbam acceptam plagam: quantopere sibi dolendum, evectum hominem ex infimo loco ad rerum humanarum altissimum gradum per fortunae insigne ludibrium, ut esset, qui reges, quorum nomen in terris homines religione summa, venerationeque colerent, quorum majestas proxime ad Dei immortalis majestatem accederet, de regio solio praecipites deturbaret. Didicisse non se unam modo aliorum exemplo, sed multos etiam suo, de justissimo ac potentissimo imperatore bene suis rebus adversis sperare. Numquam futurum fuisse, ut praedicaretur justus, misericors deus, nisi hinc essent, qui innocentes vim paterentur, ab improbis et nefariis hominibus il-

latam, hinc qui vim inferrent scelerati; ut in alteros judex severus atque ultor acerrimus, pro iis, quae nefarie agerent, immitteret iracundiae tela; in alteros pater, defensor, propugnator indulgentiam suam misericordiamque exerceret. Cujus aemulatores in terris reges, atque eum inter illos maxime, qui secundum dei immortalis numen, et potestatem plurimum posset, cum miseris in spem salutis erigendis liberalitate et munificentia, tum persequendis impiis, igni, ferro, hinc vim severitatemque, illinc benignum, et misericordem animum aequum esset repraesentare.

Movisse plurimum Solimanum sua sponte ad misericordiam proclivem reginae litterae dicuntur. Itaque unum e regiis internunciis, quos Ciausios vocant, Ali nomine, acceptis ad reginam mandatis magnis itineribus proficisci, atque aureum vexillum regi; vestes de more auro distinctas Petruithio benevolentiae ergo offerre jubet. Atque quo magis probaret sibi pueri caussam curae esse, eidem negotium dedit, ut adduceret secum Georgii legatos, quos Byzantium miserat caussa diluendi crimina, quae a Petruichio ac caeteris reginae amicis, injuria innocenti objecta querebatur. De iis, ut regina statueret quemadmodum visum esset, pro Solimani in illam indulgentia, et regem filium, permissum. Inde celeriter Ali confecto itinere, reginae, quae in mandatis haberet, exponit ac, quantas maximas copias contrahi posse speraret, primo quoque tempore habere paratas atque expeditas in bellum jubet. Simul significat imperatum Valachiae utriusque et Budensi praefectis, ut quantum equitum, et peditum numerum satis esse ad reprimendam Georgii audaciam crederent, conscriberent, atque extemplo reginae auxilio adducerent. Quibus re-

gina auditis, prolixa oratione imperatoris in se et filium regem munificentiam prosecuta, legatum muneribus multis, atque eundem Joannem Zalancium Budam, qui mandata perageret, tum alios cum litteris ad utrumque Valachum misit. In hoc tanto rerum motu, varia erant populorum studia, nunc in reginam, nunc in Georgium inclinantium. Et si autem ut ab Georgio animos alienarent, per summam injuriam jactata regina, et puer filius efficiebat, et quidem ab eo, cui licere quantum esset ausus, nisi se omnium mortalium postremum fateretur, haud posset. Quod tamen coacta metu ad Turcam confugisset, rem magis spectantes, quam animis horrebant, quam caussam etiamsi eandem optimam, et quam divina, atque humana jura omnia tuebantur, ob oculos obversantia, ab hoste crudelissimo impendentia mala, provincia populanda, urendi agri, abducendi liberi in servitutem, urbes, arces, oppida exscindenda, quorum malorum est acerrimus sensus, oppressi regis misericordiam susceptam animis vincebant. Per praesentes enim discidii occasionem veterum malorum memoria refricabat animos, quae Joanne rege cum Ferdinando de regno dimicante, atque eo mortuo, tutoribus pupilli per XX amplius annorum spacium perpessi essent. Quibus malis potuisse carere Vngaros credebant, si e duobus regibus, qui superior caussa esset, aequitate animi superare adversarium, quam victor armis obtinere regnum cum populorum ruina, atque excidio mallet, cum multo quidem magnificentius crederetur ad hominum famam, potuisse carere regno, patriae caussa, quam per patriae excidium potuisse potiri. Inde pupilli caussam, ut etiam illam justissimam, et divinis, atque humanis legibus munitam fate-

rentur, cogebantur odisse, vincente omnem aequi juris aestimationem eo ipso sensu mali, qui interior urgebat. Hanc alienationem animorum augebat variis fallaciis et dolis callidus vir et veterator, cum ubique eadem urgeret concionabundus; referre vero Vngaros fidei praemium a regina luculentum, cujus partes pertinaci studio, libertatis, fortunarum, vitae jactura tueri pergerent, proditam patriam barbaris hostibus a sceleratis hominibus, quibus se totam tradidisset, in se nullo suo merito saevientibus, cujus semper fuisset eximium studium tuendi populorum ocium, concordiam, securitatem. Quem vero alium finem Vngaros manere. quam ut addicta plebs barbaris servitio taeterrimo emanciparetur; principes Vngaricae nobilitatis, regiae majestatis homines, nullo discrimine, amici ne an hostes essent vincti, catenis pro effuso in acie sangvine acceptis vulneribus adverso pectore, ad ultimos Ponti Euxini accolas, fame, sordibus, paedore carceris conficiendi amandarentur. Nullum esse hominum genus magis Turcae invisum, quam quos nobilitatis splendor, et majorum gloria illustraret, satis gnaro tam immanem dominationem neminem passurum, nisi qui nihil praeter corpus haberet, quod amitteret corruptis sibi ipse vilis. Nam quanta res esset, qui on nosset, cognitam non omni peste taetriorem duceret, sub hominis forma tectum pecudis ingenium habere· Neque vero sceleratum initum consilium, laetiorem eventum reginae, accito Turca in Transilvaniam, quam Budae olim, utinam falsus vates esset, polliceri; qua in re quidem non negare tum falsum se esse, sed ita, ut male suscepti consilii exitus, quo minus censeret in posterum tuto posse salutem regni permitti Turcarum armis, fuerit documento. Quem

vero non videre, ubi Turcae per occasionem civilis belli aditum sibi in Transilvaniam patefaciant, ac regionem auri feracem, agrorum ubertatem, pagorum atque urbium opulentiam adamare incipiant: fore, uti itinerum et locorum periti, cognito, quam opportune adire exercitibus armatis, qua ad receptum praebere transitum, locorum augustiae superari, vadari flumina, difficiliora transitu ponte jungi possent, cupiditate ejus potiundae elati, de illa invadenda cogitarent. Sic Graeciam illis, sic Thraciam, sic Macedoniam, atque alia omnia, quae tum in Asia, tum in Syria, Aegypto, Africa, atque Europa universa occupata armis habeant. Flagrare Turcam inexorabili in Vngaros odio; ut etiamsi amicitiam, foedus, societatem jactet; tamdiu credatur in officio futurûs, quamdiu illi affulgens spes compendii, quaestusque vigeat; simulatque spes deficiat immani cupiditate omnia hiantem, unius sui, non officii, non religionis, non fidei memor, quantumvis arctis vinculis obstrictae, sit memor. »Scitum illud, inter eos, quorum diversa studia, voluntates, mores, atque instituta sint, non posse vere aut pacem aut foedus coire.« Quod quidem si verum esse, et exempla multa atque illustria, et certa ratio doceat; quem fugere sub specioso nomine fidei atque officii, quasi latebra fallacias hostium, et dolos latere, capiti ejus insidiantium, quem verbo defensum, servatumque velint. Sed id tamen ferendum videri aequo animo, si in eo unius salus, libertas, dignitas haberetur: illud diris omnibus detestandum, verbo, unum Joannis heredem tam apertis insidiis peti, re per unius sublatum caput, ultimum patriae excidium Transilvanis importari. Cujus propulsandi non malus ipse artifex, ut de se quammoderitissime loqueretur, unam re-

ginam depravatam, paucorum consiliis a salutaribus aversam, quorem ipse esset auctor, inimicam, infestamque haberet. — Haec, aliaque hujusmodi, vir acri ac vehementi ingenio, crebro repetendo, cum metus impedentis belli aliarum rerum sensum omnem abstulisset, multos sibi adjungebat, qui ad eum diem acerrime pro reginae caussa stetissent, obliti, quorum malorum culpam, Georgius in reginam conjiceret, eum ipsum, qui haec illi probro daret, auctorem exstitisse, et quidem eo gravius accusandum, quo callidior ipse et sceleratior, feminam, (pestem atque exitium illi moliendo) eo confugere, unde erat omni ratione revocanda, coegisset. Quo enim reginae consilium minus videretur reprehendendum, vis illa credebatur, quae ubi adest, tollit recti et pravi discrimen; cum in iis, quae homines agimus, aut dedecus aut laus volentem, non coactum et invitum sequatur. Neque vero erat factura regina, ubi utrumvis liceret, ut ei referret salutem acceptam, qui salutis a se quasi justum pretium libertatem, et regni fortunas posceret, numquam in regis filii potestate futuras,[1] qui esset Solimano tanto beneficio devinctus, quod illi pridem insigni cum totius regni clade ad Budam pulsis Germanis, Turcarum armis, accidisset. Nam, spe salutis praecisa, cum aut Georgius dominus agnoscendus, aut Solimanus asciscendus caussae patronus esset, ea tolerabilior pestis videretur, quae objecta in collatione malorum, speciem recti consilii susciperet, speciosi certe et plausibilis magis ad inimicum ulciscendum, qui cum injuria contumeliam conjunctam atque indignitatem haberet. Neque reginae tamen aut consilium aut studium defuit, iisdem artibus, quibus petebatur, fallacem hominem oppugnandi:

cum enim de duce deligendo ageretur, qui belli administrationi praeesset (abduci enim a rege Petruithium non placebat) Melchiorem Balassam nobilem hominem et peritum rei militaris, in partes traduxit, pollicita se illi arcem Diod restituturam, quam a fratre Emerico Joannes rex abjudicaverat, majestatis sub illius vitae exitum damnato. Quae quamquam ab illa ita administrarentur: non usque adeo tamen potuit concitatae nobilitatis, et civitatum consensum, conspirationemque magis in dies gliscentem reprimere, verentium ne per accersita Turcarum auxilia de communi salute et libertate in discrimen venirent, una cum rege turpi servituti addicto (cui, cum serviret, tot populi parere liberi qui possent.) Turcarum mancipia futuri. Quam pestem ita sperabant posse declinari, si puero in potestatem redacto, per principum et civitatum suffragia, summa reipublicae pulsa regina et dejecta procuratione regni, administraretur. Itaque crebris missis ad illam nunciis, in principio lenibus verbis et summissis, ut reginam aequum erat, orabant, ut pateretur se in sententiam traduci, mox aversam a communibus consiliis se vim facturos, pecibus atque obtestationibus minas miscentes, palam testabantur, ubi obfirmata adversus tantum populorum consensum pergeret suorum votis precibusque obsistere. Honesta vero in speciem caussa regem poscentium objiciebatur, et quae non matrem solum, sed matrem indulgentissimam etiam moveret, nihil enim postulabant, quod a filii majestate, commodisque alienum esset. Magnificus quidem et speciosus titulus occultis consiliis obtendebatur, cum jam rex adolesceret in illius verba populos per sacramenti religionem adigendi, quem legitimum regem, et suscepturum legitimum imperium

aequum esse contenderent agnoscere a puero suos assvescere, et disceret se esse regem, ab iis cultum, quibus esset imperaturus. Quae quidem quorsum spectarent, haud reginam fallebat, et sua sponte callida femina, et prudentium hominum consilio munita, de quorum voluntate et fide non poterat dubitare: una enim erat vera caussa poscendi regem, ut rex Georgio traditus, aut illi faciliorem rationem redderet agenti de compositione, quo apparebat illum necessario descensurum, aut efficeret minus illius invidiosa arma, cum in eius potestate positus rex fidem faceret minus alte illius consilia perspicientibus, pro rege illum, non adversus regem gerere bellum. Jam cum exercitu instructo Georgius ad moenia Albae Juliae progressus, reginam cum iis copiis, quae temere colligi, et subito potuerant, arcta obsidione circumsedit. Neque interea tamen quidquam memorabile pro hominum exspectatione actum, qui nihil sibi pacati de Georgio spondebant, cum Petruithius, qui copiis praeerat, quod diffideret suis; Georgius, quod integra sibi vellet omnia servari de compositione agenti, quamquam multo superior viribus, proelio abstineret. Satis jam magna sibi conflata invidia, ita intelligebat se reginam, quam armis peteret, vulgo Transilvanis reddere invisam, ut apud peritos rerum homines, non levaret tamen aliena invidia suam, exorsus enim a perfidia et scelere, ut regina potiora ea consilia duceret, quae tutiora essent, novo scelere scelus cumulando perfecerat. Accessit, quo magis ad pacem inclinaret, aliud incommodum, facta a siculis militari secessione, quae erat potior exercitus pars, quod inviti se dicerent contra reginam et innocentem puerum, tanta calamitate indignum,

pugnare. Videbatur vero eorum querella eo justior, quo necessaria magis, querentium longe a suis se ablegatos inerti mora tempus terere, relicta cultura agrorum, qua liberi, conjugesque alerentur, id quidem ob hanc unam caussam, ut Georgii scelus sua vita et sangvine cum sui nominis gravi infamia tuerentur. Quam vero aliam sibi fuisse caussam eundi ad arma si quis quereret, posse respondere, quam quod delecti suo malo fato essent, qui pro Georgii injusta dominatione gerendo arma per proditam suorum salutem, contra legitimum suum regem impium gererent bellum, et quidem cujus esset dignus exitus initio futurus, et sua et patriae ruina. Plecti miseros alieno scelere, quo armis persequendo, non fovendo aequum fuerit conferre vires, ut si id pertinacia augere pergerent, quin duplici malo mactarentur, illis non esse recusandum. In tempore resipiscere oportere, ne sera paenitentia, et propterea nullo cum usu male initum consilium oppugnandi innocentis regis, certo cum suo exitio consequeretur. Quae cum palam jactarentur, ne malum latius serperet, Georgius armatus conscenso equo, inter confertos progreditur ac blande allocutus, hortatur, bono animo sint. Quod tum faciant, ut cum dedecore discedant, nullo adhuc suae virtutis, nullo suae fidei insigni dato documento, propediem fore, ut compositis cum regina rebus, susceptae expeditionis justum praemium referant, quod illis se cum fide spondeat exsoluturum. — Hoc sibi propositum fuisse ad arma eunti, ut dignitatem suam potentia iminicorum oppugnatam, armis, quae nemini perniciosa futura, reginae, regi filio, Transilvaniae populis universis salutaria essent, tueretur. Usu jam pridem animadversum nullam esse

magis firmam et ratam pacem, quam quae inita inter arma esset; imminenti enim rerum discrimine ante oculos obversanti, paullo ante feroces animos, atque aversos a pacis consiliis, mitiores reddi cum utrimque arma, utrimque tela, vires utrimque, et animi parati ad dimicandum, inter spem victoriae, et exitii metum, eos, qui essent in certamen descensuri, haberent suspensos.

Hac oratione, Siculorum impetu retardato, ut cetera cum oratione consentientia essent, cum regina accuratius per suos egit, posita paulisper animi iracundia, qua nulla esset gravior pestis sanioribus consiliis, integra adhuc re, si adiri pateretur: sperare cognitis suis postulatis, quae aequissima essent, fore, ut ad quietiora consilia ferocioribus damnatis converteret animum. Multa quidem erant, quae reginam a colloquio deterrerent: hominis perfidia, indignitas, scelus, cujus supplicio speraret se tot artibus et dolis elusam, et postremo petitam armis, animum atque oculos exsatiaturum. Sed plus potuit temporis vis et ne quidquam diu expectata Turcarum auxilia, cum fiducia suarum virium nulla faceret animos, tolleret exigua commeatuum spes, obsidio non calamitosa reginae solum, sed indigna, quam injuriarum memoria, atque earum ulciscendarum avidus animus, quo quidem inimici exitio explendo, non desperabat sibi aliquando occasionem idoneam magis oblatum iri. Quae cum ita essent, neque conditionem aspernata, et facile de colloquio assensa ita respondit, ut non negaret vere illum resipiscentem atque ad sanitatem redeuntem seauditura. Itaque cum pactae induciae in aliquot dies essent: mox de pace facile convenit, quam angustiae temporis, quibus regina conflictabatur, quam voluntas

magis extorquebant. Ejus conditiones fuerunt, ut Georgius militem exauctoratum dimitteret, atque eodem, quo antea, loco mandatum tutelae munus ac regnum simul administraret; inprimis daret operam, ut ejus diei memor, quo data dextera a rege in gratiam esset receptus, iis, de quibus convenisset praestandis, neque fidem a se, neque constantiam pateretur desiderari. Ferunt, cum haec agerentur, Georgium compressa ad tempus animi arrogantia, quae incredibilis erat, cum vili atque obsoleta veste indutus, supplicis habitu ad reginam esset admissus, ad pedes advolutum, atque multis profusis lacrimis testatum animi dolorem, veniam errati impetrasse; negante regina quemquem minus venia dignum, quam qui, ut sibi petenda venia esset, tanto admisso facinore effecisset. Ac si parum illum moveret hominum existimatio, dignitas, nomen; at religione moveri debuisse et violatam ab aliis reginam, cujus salus a praeclarissime de se merito rege esset illius fidei commendata, defendendam sibi acerrime omnibus suis, et regni opibus censeret, qui existens sacerdos, christianus pontifex, antistes sacrorum, innocentis pueri tutor, quem nefarie crudelissimque prodidisset: nihil eum sibi reliqui fecisse, quo tam vastam cupiditatem animi praetexeret, tantamve minueret culpam, qua regem filium, se matrem, universum regnum in salutis discrimen conjecisset. Impelli alios in regni cupiditatem nobilitate majorum, quae non procul abesset a regni majestate, rerum gestarum gloria, summis militiae honoribus, populorum studiis, omnium maxime spe posteritatis, cujus augendae studio flagrarent, cum iidem aetate vigerent, ut spes esset parta tuendi, et longe abessent a sacris rebus, et religionibus procurandis, ut minore

cum verecundia, cum spe compendii majore accederent ad scelus, per impia bella, et scelerata arma, aut per occulta consilia, dolos, insidias, venena, de medio sublatis iis, quorum essent justa et legitima imperia, praerepturi. At non posse judicari, utrum ejus flagitium majus, an stultitia sit, qui nulla earum rerum spe, quibus regnandi cupiditas allatur, certa cum nominis atque existimationis jactura, haberi improbus et scelerus velit. Unum Georgium inventum religiosum hominem, sacro sanctum, coelibem, ut intelligat cadente se, omnes spes suas secum interire, quem nec vitae genus, nec fortuna, nec grandis jam aetas, a cupiditate invadendi regni potuit liberare. Proditum regem, filium, se matrem reginam, quorum infirma aetas, et imbecillus sexus hostem infestissimum christiani nominis ad misericordiam flexerit, et quidem ab eo homine proditum, quem ab infima fortuna, ad summum usque honoris et potentiae gradum Joannes rex evexisset, pupilli pater, atque id quidem abjecta spe verae gloriae, quae munere tutelae caste et religiose functo, immortalis esset speranda. Quorum omnium ita post hac cum memorem esse oportere, ut multis recte factis eorum memoria, quae foede et flagitiose admisisset, obmeretur. Quae cum ad hunc modum agerentur, ferunt, qui adstabant omnes, cum puero rege in miserationem conversos, atque in lacrymas effusos, tristem quandam rerum faciem repraesentasse; vafrum hominem, animum componere, atque ad praesentem fortunam orationem conformare, ratione temporis cogente. Vix milite dimisso, cum diutius omnium opinione dilata auxilia, reginam in eam sententiam adduxissent, ut dehis crederet desperandum, certi nuncii afferuntur, Budemsem Bassam Moldavum

secum ac Transalpinum adjuncturum in Transilvaniae fines per Lippam, maximis instructum copiis, ingressum ad Totvaragiam adventasse. Quorum adventu reginam perculsam metu, jam altero disjecto, majore a praefecto Budensi impendente, et litterae, et nuncii alii subsecuti pertenuerunt magis. Litterae autem erant in hanc sententiam exaratae: adduxisse illi copias auxilio, quibus illatas puero regni injurias a scelerato tutore, ut imperator pro sua clementia lenitateque imperasset, vi atque armis ulcisceretur. mittere ad se delectos e suis homines, et majoris consilii, atque auc oritatis, quibuscum de tota belli ratione consultaret; simul ederet eorum nomina, qui cum Georgio adversus filium regem conjurassent. Daturum se operam, ut omnes intelligerent, quod ad Solimanum non semel jam supplicis fortunam miseratum, supplex regina confugisset, recte illam suis rebus consuluisse. His sua sponte reginam anxiam, anceps suorum consilium in partes diversas distrahebat: sive enim pateretur ulterius progredi armatum exercitum, fore iis praedae regnum, honesto objecto nomine tuendi regem animadvertebat: sive daret operam, ut exercitum barbarus reduceret Budam, levitatis, et inconstantiae notam apud Solimanum intelligebat sibi esse subeundam. Ita, quod in malis mitius visum est, obviam cum muneribus legatos mittere placuit, qui apta ad praesens tempus oratione, barbarorum feroces animos delineret. Quod imperatori non discedens a vetere sua consvetudine, supplici reginae imploranti auxilium non defuisset; se illi vero quas deberet gratias, hoc est maximas, atque immortales agere, nunquam illius beneficii immemorem futuram: nullam enim sibi spem aliam testificandi sui animi reliquam esse; sed agnoscere se tamen suis rebus praesentem, et propitium

deum, cujus divino beneficio factum esset, ut cum Georgius positis armis, atque abjectis belli consiliis, rediisset in fidem, parata in praesentia minus necessaria auxilia, in alia tempora, quod ipsum tamen triste omen deus averteret, reservaret. Haud aliter quidem se de praesenti sua fortuna, et regni statuere, ac si parta per Solimanum arma, populis pace, saluti omnium, et securitati consultum esset. Unicum objectum Solimani nomen satis momenti ad sedandos belli tumultus, atque adversariorum frangendam audaciam habuisse. Nequidquam haec audita barbaris: nihilominus enim predae avidi, quam sibi per occasionem armorum peropulentam ex feracissima, atque uberima regione spondebant, hostilem in modum cum ducebantur, vastando, urendoque omnia populabantur, ingenti hominum cum querella par reginae invidia, quae per quaesita Turcarum arma tantum malorum suis, cladiumque invexisset. Inde motis castris, ad Devam proficiscuntur, situm oppidum ad interiorem ripam Marusii amnis. Quod cum regina rescisset, auxia metu non praesentis modo, sed futuri etiam mali, in unum Georgium respiciebat, superbum fortuna sua, et reginae casu, quae vellet, nollet, cogeretur, unde maxime animo refugeret, opem implorare, usque eo, ut rogatus, ecquod consilium, ecqua spes salutis ostenderetur, non vere magis, quam superbe et barbare ausus sit reginae respondere: Eorum esse haec cogitare, quorum temeritate, atque audatia ea ipsa belli procella excitata esset; cum paucis atque otii hostes, Turcarum arma, quae turbarent quietem provinciae statum, arcessissent. Neque ob id tamen remissiore animo agere de bello coepit, brevi ad Zázsebesium oppidum sexaginta armatorum millium exercitu con-

tracto, admirantibus omnibus in homine, qui grandis jam natu ad militiam accesisset, animi magnitudinem, atque in magnis rerum angustiis, cum ea ipsa vim prudentiae et consilii conjunctam. Atque quoniam per exploratores cognoverat, jam Transalpinum movisse, qua illi erat per Brassovienses alpes transeundum, duos militum praefectos Joannem Kemin, et Kendefium industrios homines, atque impigros cum valida militum manu mittit, qui Rubram turrim (Veres torony vulgo vocant) insidentes, transire conantem prohibeant. — Qui quidem adhibita celeritate, nihil minus Transalpino, quam eorum adventu expectante, quam occultissime locum insederunt, cum ad eas copias, quas ipsi adduxerant, ex proximis oppidis, qua iter faciebant, voluntariorum circiter quatuor millia accessissent. Erat occasio bene gerendae rei, si priusquam hostes quidquam de eorum adventu cognoscerent, imperatos dissipatosque opprimerent. Ita undique, tamquam indagine, omni aditu clauso, ne qua fama emanaret, sub primum orientis lucis crepusculum ita instructis copiis moverunt, ut quam latissime extenta frons justi exercitus faciem praeferret; cum verisimile esset, primam aciem, quae illam aequaret, mediam sequi, et pari numero et robore utramque subnixa subsidio. Ad augendam autem hostium fidem, atque ut plures esse sua opinione existimarent, ubi classico datum signum audirent, solito majorem clamorem militem tollere, ac simul undique signa canere, ut vere magni exercitus speciem praeseferrent, propere jusserunt. Igitur cum hostes ex vicinis collibus conspirati in vastam latitudinem explicatos ordines, Georgium adventasse cum universis copiis suspicarentur: non exspectato pugnae signo, qua cuique spes

salutis ostendebatur, per invia juxta perviaque se praecipites dederunt, cum unus mortis metus, qui urgeret, vinceret omnia, non se, non hostes, non quo fugam intenderent, respicientes. Quo hostium pavore duces animadverso, dato signo, sua sponte milites incitatos, ut iis erat praeceptum, persequi palatos, ac dissipatos jubent, qui quidem interse cohortati cum ex fugientum terrore animis fiducia crevisset, quamdiu vires suffecerunt, pavidos caedendo, eorum ingentem numerum interfecerunt. Nam abjectis armis, quo esset expeditori fuga, resistebat nemo; cum non dux, non cohortium, non aliarum praefectus, nulli ordinum ductores alii adessent, qui sisterent fugam, atque ad resistendum adhortarentur. Ad V millia eorum interfecti dicuntur, multo plures in potestatem vivi redacti, signa capta complura, equorum ad tria millia, praeda ingens, atque optima, qua miles onustus, insigni parta victoria, in Transilvaniam ad Georgium rediit. Neque interea apud Devam cessatum est. Erat Joannes Törökius, Valentini filius, magni animi adolescens, ac plane tanto parente dignus, qui non ita procul ab oppido Deva, Huniadum arcem praevalidam obtinebat, ita domesticis viribus fretus, ut facultas ad defendendam arcem cumulate adesset. Is cum accepisset a Budensi praefecto Devam equites ad ducentos praemissos in subjecto arcis loco consedisse, quod unum maxime in votis habebat, praeclaram occasionem nactus, sangvine hostium parentis manibus parentandi, loci praefecto traducto in sententiam, eo equitum delectos haud multos, pedites ad octoginta adduxit. Inde sub lucis ortum, opportuno maxime tempore, cum alto sopiti somno hostes per hospitia dilapsi quieti operam darent, ad arcem con-

tendit, mox peditibus jussis per hortorum sepes irrumpere, per patentem ipse portam objicibus et repagulis refractis, cum equitibus irrumpit, atque aegre se expedire e stratis, et arma sumere conantes, inermes, interclusa fuga, ad sacietatem cecidit. Ac ne quid adolescenti ad summum decus deesset, unam petenti ulciscendi voluptatem, ex equitum praefectis adortus, unum dispari certamine peditem, equos subito consilio equo desiliens gladio petit, atque pugione per latus adacto, transverberavit. Alter praefectus Feraga, atque cum eo alii fere omnes ad unum interfecti, per pancis e caede superstitibus, qui, ut sit, ad minuendam ignominiam, cum de hostium numero, veris multa adjiciendo, rem auxissent, tantum terroris reversi, barbaro injecerunt, ut vasa colligere ex templo, ac castra movere Budam iusserit, veritus, ne majore accepta clade, reditu intercluderetur. Res quidem facile credita, quae ad ejus temporis rationem accederet, praesertim suis referentibus, quorum maxime intererat id credi. Terekius interea cum audisset Transalpinum, exercitu per Rubram portam traducto in Haczakum penetrasse, Benedictum Vas, qui totum illum tractum reginae nomine obtinebat, praemittit atque assumpta militum manu, qui subito conscribi, armarique potuerunt ad eum transitu arcendum contendere jubet, eodem fere tempore, quo Kendefius, ut jam diximus, ad eosdem saltus insidendos erat a Georgio missus. Ita Forgachius, a quo quidem non nihil Centorius variat. Non enim ait, Joannem sua sponte rem gessisse, sed Georgii imperio. Fuisse autem hoc Georgii consilium, ut cum ipse occurrere Turcae constituisset: hinc Varkoczius, quem Varadinum ad conscribendum militem praemiserat, ubi is Marusium

copias traduxisset, hinc parte alia Terekius aggressus. novissimum agmen, quoad ipse adveniens totis viribus rem gereret, moraretur. Neque caedem illam factam Devae ait aequitibus somno oppressis, sed cum equites a barbaro praemissi ad exploranda loco essent, commisso utrinque praelio, cum Turcae Vngarorum impetum non ferrent, profligatos victosque multis ex iis interfectis. Atque quominus audeam Centorio temere abrogare fidem, Gastaldii auctoritas facit, qui mox Ferdinandi dux, gerendis rebus in Transilvania praefuit. Ejus quidem litterae leguntur, in quibus ait, se plenum commentarium de iis ipsis rebus Centorio tradidisse, unde, quae scripsit,est mutuatus. Verum ut ad rem redeam, certior factus Georgius, barbarum, retio acto agmine secum universis copiis recipere Budam coactum (quo enim sertis castris per sex dierum spacium pervenisset, inde unius diei itinere erat reversus) ubique bene gesta re, movere adversus Moldavum constituit, qui Siculorum totam regionem, impune populando omnia, incendendoque, cum fere qui apti ad ferenda arma essent, sub Georgii signis in Transilvania militarent, pervagabatur. Sed ne ulterius Georgius progrederetur, Moldavus perfecit, qui accepta fama eorum, quae apud Rubram portam Transalpino accidissent, rebus suis eundem exitum veritus, retro retullerat signa, cum militum ad triginta millia in armis habuisset, quorum grave praeda agmen Siculis multis dabitus afflictis, in Moldaviam reduxit. Magna cum gloria Georgius provincia a Turcarum metu liberata, cum ita liceret ex hominum memoria obliterare, quae summa cum populorum offensione ad eum diem gessisset, eam ipsam sibi partam tantam gloriam invidit, cupiditate atque ambitione incredibili elatus.

Intemperantius enim fortuna usus, cum nihil sibi ita arduum fingeret, quo non se pervenire posse virtute adnixum, atque industria speraret ea persequi, quae jam inchoaverat, majore audacia constituit, unde originem omnium malorum Vngari agnoscunt, quae per civilia arma postea sunt in Vngariam invecta, de quibus nobis est ordine disserendum. Atque in principio quidem multis videbatur quaedam oborta lux affulsisse publicis rebus, neque in eo fallebantur, ubi unius hominis virtutem, atque animi magnitudinem par fides consecuta esset; nemo certe poterat dubitare, quin concordibus animis rempublicam tutoribus administrantibus, aliqua ratione Solimano placato, quae non erat defutura, diuturna pace et securitate, populi fruerentur. Neque enim Ferdinandus tot bellis fessus, nisi a Georgio spe facta regni, sua sponte moturus arma videbatur, quorum idem semper eventus, et tristis et infelix Austriae pariter atque Vngariae populis secutus esset. Quamquam vero vulgo gaudebat praesenti rerum statu, qui altius in Georgii consilia non penetrabant; suspectum tamen efficiebat prudentioribus hominibus perspectum hominis ingenium, in cujus pectore pertinacius imperandi cupiditas haerebat, quam ut spes esset, ejus impotentem animum posse ad sanitatem perduci. Ergo cum de firmanda novo pacis foedere ageretur, id enixe principibus contendentibus; regina quamquam non ignoraret, quanta cum, sua tum filii injuria, ad Georgi conditiones se perduci, quantumvis illas iniquissimas; et reginae moderationem; tamquam optime de filio meritum (cujus scelus nullo non esset supplicio majus) agnoscere cogitur, et alia praeterea parum regia majestate digna, et illud passa sibi persvaderi, (quo

nihil durius, acerbiusve accidere poterat pristinae suae fortunae, et praesentis memori) ut curaret Solimano significandum: Georgium probata sua innocentia, atque inimicorum calumniis refutatis, secum in gratiam rediisse, ut in eundem locum honoris restitutum, regnum secum administraret, atque uti ad eum diem convenisset, regii aerarii procuratione fungeretur. Sperare posthac hominem, ita potestatem temperaturum, ut in quo prudentia, consiliumque excelleret, in eo fides et studium agendi ea, quae regis tutorem et reipublicae rectorem decerent, ne desideraretur. Neque ullam moram interponi passus, cum his mandatis mitti statim certum hominem jussit, et probatae sibi fidei, veritus ne interjecto temporis spatio, reginam confirmato animo, quod verisimile erat, consilii peniteret. Non fefellit Solimanum, quid sibi tam subita mutatio consilii vellet, sed dandum tempori arbitratus, quod causae non tribuebat, in aliud tempus distulit ulciscendi consilium, in praesentia jussis regiis ministris, reginae litteris congruentia, audisse, quae de Georgii reditione in gratiam cum eo acta essent; ita enim sperari posse stabile, tutumque futurum regnum, si oblitterata memoria veterum offensionem, et simulatum reipublicae, animis in eundem sensum coalescentibus, administratur. Georgium, sive resipuerit, revocato a scelere animo, sive probarit vere suam innocentiam, cui debuerit, quod mallet nemine magis, quam sibi consuluisse: certe unam hanc illi rationem consilii reliquam ad sese redimendum ab imminenti exitio tutissimam fuisse. Satis enim illum intelligere, Solimanum, eodem animi robore, consilio armis ingentem, quem acceptum in fidem, non semel defenderit, et quidem oppugnatum totius Germaniae

viribus, cum a tutore per summam injuriam et scelus violari, qui illi parentis loco esse debeat, non passurum. His confisus Georgius, se Varadinum recepit, ut ferebat, relaxandi animi caussa, revera alio consilio, quam quod videri volebat, de rebus suis, ut numquam antea magis anxius. Non enim dubitabat, quin regina magni animi, et virilis audaciae femina, omnia sibi prius statueret agenda, quam ut se regni potentem ferret, ita passa sibi reconciliari ad tempus, ut nullam esset occasionem relictura, sive consilio, sive armis ex regni possessione inimicum pellendi. Neque hoc Consilium quemquam fefellit, per speciem secessus discedere e medio voluisse, ut occulta consilia, quae regina coquebat animo, regios spiritus in adversa etiam fortuna gerens, in apertum erumperent; quod si accideret, sperabat fore, ut minime imperatus, quod ut accideret, erat reginae omni ratione providendum, opprimeretur. Neque secus accidit, atque erat suspicatus. Regina per illius discessus occasionem, oportunitatem agendi nacta, amicis advocatis, de quorum consilio omnia agebat, iis praesertim quibus adhuc Joannis regis sancta memoria esset, in ea caussa, quae desertum etiam infantem redderet, dicitur acerrime invecta, quid esset vngaris in privata fortuna ab unius scelerati hominis insidiis, atque armis timendum, se insigni sua, et filii calamitate docere, quae cum tot avos, proavos, majores agnosceret reges, parum ab eo esset tuta nominis majestate; ut moveret suorum animos, non se patroni diserti orationi indigere (quam vero parem orationem fore tot malis, quibus circumventa esset, explicandis) Intuerentur modo miseram se, orbam viro, squalidam sexu opportunam inimici injuriis, uti aetate filium in-

tuerentur, inflicta fortuna positam, quam stantem, collocatam reginam in excelso dignitatis gradu (si modo eorum oculi tam triste spectaculum ferre sine lacrymis possunt) aliquando venerati essent, pati quidem se id, quod in privata vita ultimum malorum omnium esset ingenuo homini deprecandum, servitutem, et quidem tanto se illam acerbiorem pati, quanto insolentia parendi, multis populis, gentibusque asvetae imperare, memoriam amissi imperii excitaret acriorem. Seruisse reges armis victos, sed melioribus servisse, ut iis in regia esset, quanto esse iis magis timendum, quos adversus tyrranni vim uua modo tueretur privata domus. Non sibi, qui minime quidem ex sua et majorum dignitate, quorum illustria in patria meritam exstarent, sibi persvaderi paterentur, ut servitutis jugo indignissimo colla subderent, vi atque armis coacti. Itane vero? Usque eo sui oblitos summae nobilitatis homines, et qui dignitate proxime regiam attingerent, eosdem majorum olim gloria florentes, domestica virtute, potentia, clientelis, ut Georgium Dalmatam inducerent animum regem ferre, natum hominem infimo loco, non litteris, non ullis ingenuis artibus excultum, educatum in hominum inertissimorum coetu, quibus nihil contemptius, despicatiusque haberetur? Si vere Ungari, si eorum proles essent, qui Europam olim, Asiamque omnem fama sui nominis implevissent, res gessissent immortalitate dignas. non aliquando sibi expergiscendum letali somno, tantam sibi infamiam, quae hererent Ungariae nobilitati, eius sangvine eluendam statuerent, qui per violatum gentium jus, pupillo cum vidua matre oppresso, quae caritatis, atque indulgentiae nomina in ultima etiam barbarie a feris armis misericordiam

extorquerent, regnaret impune. Hoc scilicet posse ferre Ungaros aequo animo ita in suis malis connivere, quorum animos a cursu verae gloriae nulla tela, arma nulla, non vulnera, non mors umquam retardasset, ut iis dissimulantibus, tam immane in terris monstrum, quo ejus rei memoria insignior ad posteritatem transmitteretur, reginam cum innocente filio dejectam regio solio opprimeret, omni humano auxilio, opeque destitutam. Per suam fidem illos, per sanctissimam religionem, quam colerent, per patriam, pietatem orare, per jura divina atque humana omnia, in eum hominem arma sumerent, qui regis sui prodi tor, religionum omnium contemptor, legum et juris gentium hostis, in eos regnum occupasset, qui ne legitimis quidem suffragiis creatum regem, nisi in eo nominis majestatem, fides, iustitia, sapientia, religio aequaeret, essent laturi. Haec cum a regina, non oratione magis, quam oris habitu miserabili verissime dicerentur; movebant eorum animos, qui adstabant humanitatis memores, simul oculis fluentes lacrymae, simul acrior gestus, quam mollem sexum, atque imbecillum decebat, non ille quidem index petulantis animi, sed justae indignationis, quam in magna fortunae acerbitate non ars, sed verus dolor exprimebat. Itaque magno consensu omnes prolixe polliciti, se enimvero regi inocenti adducto, per summam injuriam, in salutis discrimen, non defuturos confirmat. Permitteret suis hanc curam, ipsa soluta metu animo, propitium deum precata pro justissima caussa sumentibus arma, speraret parem inceptis laetum exitum ac secundum secuturum. Haec ita (ut Centorius tradit), antea gesta, administrataque verisimile est, quam Georgius, rem jam semel agi coeptam cum Ferdinando

conficere acceleraret, cujus rei caussa cum convenisse Forgachius ait Diozegum oppidum, positum in Sigismundi Forgachii ditione, cum eodem Ferdinandus eundem Nicolaum Salmensem, et Andream Bathorium, qui cum eo transigerent, misisset, quo quidem in colloquio ea confirmata sunt, quae superiore anno cum eodem essent in Bathori-ensi colloquio agitata. Qua in re explicanda sunt, qui desiderant Forgachii studium acrius. Alii tradunt, quibus assentior, Georgium, antequam illi de colloquio cum Ferdinando convenisset, certum hominem e suis, cujus maximis in rebus fidem exploratam habebat, ad Ferdinandum misisse, cui, hominis aut fides dubia, aut levitas ingenii suspecta erat, qui per easdem conditiones, quas illi superiore colloquio obtulisset, illi spem faceret Transilvania potiundi. Unum modo esse rebus omnibus praevertendum, ut missis ad se extemplo auxiliis, et perito duce rei militaris, rei, quae moram non pateretur, studio atque alacritate ne deesset: caetera expedita atque explicata fore. — Hinc, quod probabile videri possit, tandem traductum in sententiam Ferdinandum Salmensem, et Bathorium, qui cum eo colloquerentur, quod de re tota commodius coram agi videretur, ire in Transilvaniam jussisse. — Neque enim Ferdinandum fugisse ambitiosum hominem, cum nullis finibus animi cupiditates haberet circumscriptas et palam aspiraret ad Vngariae regnum, alium sibi habuisse constitutum finem, quam quem praeseferret. Verbo enim, voluisse videri cupidum vindicandi regnum a Turcarum armis, re unum egisse, ut injecta Ferdinando spe regni, quo ipse animum intendisset, regina prodita Ferdinando eluso, praemium illi inanis venditae spei ipse refer-

ret, alteri ereptum, alteri quasi illecebra ad fallendum ostentatum regnum. Quae quamquam ita essent, non diffidebat tamen rex fallacem hominem suis artibus posse captari. Id quod tandem illi usu venit, minus cauto, quam illius rationes postulabant, cui res esset cum rege futura, qui neque se temere obnoxium petenti insidiis redderet, suo et prudentium tutus, et non prius unus falli quam multi possent, quos, ubicunque ageret, dispositos tanquam in speculis haberet, ut nihil fere posse accidere, quod opprimere imprudentem posset. Itaque cum illi de aliis est assensus, tum ut ad eum mille ungaros equites delectos mitteret, soluto illis quatuor mensium stipendio, et quatuor majora tormenta, quibus tectus adversus inimicorum vim esset. Interea regina Eniedinum conventu indicto, eadem, quae sub Georgii discessum cum paucis egerat, proponit, secunda in primis principum voluntate, quos quidem et humanitatis suae memores, et praepostera barbari hominis ambitione offensos, oppressae reginae per summam indignitatem opem laturos apparebat, cum illud praeterea vererentur, ne ubi plus aequo lente et dissimulanter reginae iujurias ferrent, quibus propulsandis ipsa impar fuisset, ipsi succumberent, ubi ad illos idem recinderet casus. Ergo his adnitentibus Georgius hostis judicatur decreto regio adjecto, ut ferro, igni, ubi ad vim et arma confugeret, a regni administratione summoveretur, et aliis nominibus, et quod a rege separata habuisse consilia, et cum Germanis de prodendo regno egisse argueretur. Quibus cognitis rebus Georgius animi aeger, cum nobilitate ad reginam faciente, quibus rationibus partam dignitatem retineret, haud satis haberet exploratum, nondum dissoluto conventu, voluntariorum collecta manu Va-

radino movit, eo consilio, ut subito adventu reginam oppressam, cum nullae essent praesentis vires, quae illam tuerentur, ab incepto revocaret. Itaque per Keresbaniam facto itinere, Eniedinum contendit, in transitu fluminis, magno adito vitae discrimine, ut Centorius tradit. Rheda enim, qua vehebatur, inversa (quo casu non tradit) aegre, suis accurentibus, auxilio servatur. Quo periculo perfunctus, cum non deessent, qui id, quod casu acciderat, in omen verterent, et ab infausto itinere properantem deterrerent, nihil mihi, inquit, cum terrestri curru, qui coelestem habeam, cujus ductu tutus incedam, haud dubiae ad septemtriones respiciens, unde certum navigationis cursum ad incognita orbis navigantes habent. Ergo Eniedinum profectus, per studiosos sui homines, quorum nonnulli adhuc manebant in fide, ambiendo, et presando singulos, ut decretum inducerent, et secum sibi mitius agendum statuerent, orabat, ad quascunque conditiones, quibus fides esset ratam pacem et diuturnam futuram, quamquam parum aequas, descensurus. Regina, ut potuit, dissimulata in praesentia offensione animi, cum multa diceret superesse agenda, quae ut caeteris preverterentur, regni rationes postularent majore audacia, quam viribus, Georgius, etsi non iis plane erat destitutus, jam ad vim reginae inferendam, et universo conventui adeo se comparabat, neque erat futurum, ut facile tam scelerato incepto absisterent, nisi furentem amentiae ratio subiisset, quanta cum animorum offensione essent tanti sceleris famam, cum alii, tum maxime principes excepturi, quos jam sua sponte alienatos, non erat committendum, ut in suscepto se odio tantum ausus facinus confirmaret. Neque ob id tamen aut perculsus metu, aut mente et

consilio perturbatus se se deseruit, sed in adversis rebus faventes maxime sibi reconciliare conabatur, quos fama eorum, quae Eniedini acta essent, in reginae causam traduxisset; nemo quidem jam erat, qui aut nobilitate, aut potentia inter multos excelleret, nemo, quem probitatis fama commendaret, nemo tam insigniter improbus, sceleratus, quin pro ejus caussa staret, quam jus, fas, religio adversus vim atque injuriam tueretur. In his maxime conspiciebantur : Melchior Balassa, Antonius Kendi, Michael Csáki, Petrus Kis, quos Georgius inprimis a suis rationibus aversos, et propterea sibi maxime cavendos designaverat ad caedem. (Nam Petruithius ita apud reginam princeps auctoritate habebatur, ut eo tempore abesset, administrandae provintiae intentus, cui erat praeesse jussus.) Atque is quidem, non expectato reginae imperio, cum quae acta essent in Transilvania, cognovisset, delectum militem habere, munire arces, tormenta et commeatus expedire instituerat, cum res haud dubie spectaret ad arma, in magno motu rerum, turbulenti ingenii homine, atque impotentis animi, turbante ac permiscente omnia. Eodem tempore Ferdinandus, superioribus bellis fidem et virtutem Germanorum majorem, quam felicitatem expertus, cum Carolo fratre egerat, ut spectatae virtutis, et prudentiae ducem ad se mitteret, qui gerendo in Transilvania bello, quod animo moliebatur, praeesset, haud dubia conjectura, quin Solimanus alienam caussam, qui mos atque institutum majorum semper fuisset, suam faceret, et in se converteret arma, cujus ditionis in Ungaria nollet Transilvaniam tam nobilem, atque opimam provinciam accessionem fieri. Erat tum apud Carolum Caesarem inter ceteros belli duces Jo-

annes Baptista Gastaldius, qui a prima sua aetate militiae auctoratus sub Ferdinando Davalo clarissimo copiarum duce prima stipendia fecerat. Inde cum omnibus in bellis versatus magna cum laude esset, quae varia, et multa Caesar tum in Italia, tum in Germania, atque in Africa gesserat, et ad honestiores militiae ordines provectus erat, et virtutis ergo a summo imperatore maximis praemiis, atque amplissimis auctus. Etsi antem aptus ad omnia belli munera habebatur, quae mandari viris fortibus solent; disciplina tamen locandorum castrorum, qua laude olim excelluisse dicitur Pyrrhus Epirotarum rex, omnibus suae aetatis magnis ducibus, atque imperatoribus creditus est praestitisse. Florebat tum vero maxime gloria rerum gestarum germanico bello, quo quidem gerendo castrorum praefectus, ad cetera praemia opulentam ditionem in Insubrum agro, Italiae regione feracissima atque uberrima erat consecutus. Hic dignus visus, proqter summam peritiam rei militaris, et quod a primis militiae auspiciis caesaris signa secutus, semper manserat in fide, qui ad Ferdinandum missus, dux tanto bello praeesset, non obscura Ungarorum principum offensione, in quibus multi erant, qui non sua solum, sed aliorum etiam opinione pares, omnibus pacis et belli artibus, superiores, multo nobilitate et generis splendore haberentur. Additi tamen ad bellum collegae, et qui quasi apud illum legati munere fungerentur, Andreas Bathorius, Thomas Nadasdius, Stephanus Losoncius, quos homines aeque magnae nobilitatis, atque rei militaris gloria claros, maluit virtute interse, quam aemulatione imperii certare, cum minime dubium esset, quin ex iis quicunque esset aliis in honore imperii praelatus, et non

aequo animo alii essent obtemperaturi. Iam Gastaldius pervenerat ad Ferdinandum, cum crebris nunciis urgendo enixe egisset, ut profectionem acceleraret, id maxime Georgio contendente, qui imperatus ab externis auxiliis, in magno odio omnium ordinum factione reginae oppressus non facile videbatur, quorum regi spem fecerat, consilia explicaturus. Accedebat ingens Ferdinandi cupiditas, non de praesentibus modo rebus cum illo peragendi, sed de iis etiam, quae a Turca imminebant, quae ipsi tamen cum praesentibus rebus quadam serie inexplicabili connexae videbantur. Nam ut praeclarus de illius virtute, et rei militaris scientia sentiret, praeter fratris tantam auctoritatem, cui erat probata, ejus ipsius Gastaldi postulata, antequam rem susciperet, ministris regis edita effecerunt, que quoniam magno usui legentibus credidimus futura, haud alienum duximus a suscepto munere, ea, ut ab illo tradita accepimus, ordine deinceps explicare. Neque ille vero aut de militum genere, aut de numero agebat, aut de iis locis, qui parum valida aut munienda operibus, aut praesidiis firmanda viderentur, quibus de rebus non dubitaret ita prospectum esse a rege sapientissimo, ut ei, qui gerendo bello esset praefecturus, de his non esset laborandum. Se quidem, quae suae essent partes, daturum operam, ut praesentes vires, militum virtute, studio, atque alacritate augeret; consilio, quae casus, sorsque inveheret, moderaretur: recte enim dici bella administrari, quibus gerendis ita omnia, quae ageret dux, temperaret, ut neque vires consilium, neque robur atque animi praesentia consilium desidarerat, in primis, ut quos milites acciperet, sive essent suo ingenio alacres atque impigri, spe praemii et laudis in suscepto in-

stituto confirmaret; sive militari licentia, et nimia indulgentia depravati: disciplina, atque imperii severitate ad sanitatem redigeret; inprimis ut verbo audientes, quo temporum et rerum gerendarum ratio postularet, se adduci paterentur. Cum ad rem praeclare bello gerendam, semper creditum esse, magnum nomen inesse idoneis locis, et natura tutis castris ponendis, quibusque earum rerum facultas adesset, quae desiderari inter gerendam rem commode haud possent dandam operam, ut is tanto muneri administrando praeficeretur, qui locorum peritus, ut bellum gerendum esset, ad rei militaris disciplinam, usum haberet adjunctum, atque inde diu orbata industria, apud milites plurimum esset auctoritatis consecutus. Hujus esse summam potestatem locandorum castrorum debere, atque adeo, ad quem, eo ipso obeundo munere, ceteri quasi vicarii succedentes respicerent, quos singulis nationibus, ex iis ipsis delectos praefici placeret, ut ad imperandum atque ad parendum, ubi res postularet facilior, atque expeditior ratio, ex praescriptione, atque imperio summi castrorum praefecti redderetur. Cujus quidem potestatem debere muniri lictoribus, accensis, carceris custodibus, aliisque ministris, quos improbitas multorum necessarios reddit magistratum legitime gerenti. Preterea placere ex ejusdem arbitratu, atque imperio deligi, qui cibariis pretium statueret, ut et militum victui prospiceretur, et iis injiceretur frenum, qui ea venalia haberent, solitis saepa plus aequo, atque avare vendendo, cupiditate magno cum militum incommodo efferi. Institores omnes castris pellendos, qui vili empta cibaria, quod esset iniquissimum, pluris distraherent, ut militi aut pereundum fame esset, aut malis artibus,

quo fame tolerare, ut per vim ab invitis, quae victui necessaria essent extorquenda. Hinc furandi immanem licentiam, diripiendi, latrocinandi, quae miles si ferret impune, plus aequo contumax et ferox evaderet, sin capite lueret, cum vitae jactura publicum in commodum conjungeret, multo idem majore cum compendio, in acie hostis gladio, quam carnificis securi raptus ad supplicium interiturus. Placere tamen creari, cujus certum munus esset tum parandorum commeatuum, tum ad exercitum importandorum, qua una in re belli robur, et nervi inesse crederentur, virum acrem inprimis, et magnis in rebus perspectae virtutis, atque industriae, quae maxime esset in hujus muneris functione spectanda. Ejusdem esse debere summam vitae, et necis in eos potestatem, quorum ministerio, haec curanda, constituendaque essent. Ad hujus procurationem, cognitionemque requirendos, qui ea suppeditarent, quae victu necessaria haberentur, tum lixas, calones. aliosque, qui castra ministerii caussa sequerentur, ut si qua iis aut inter se aut cum milite controversiae intercederent, ejus auctoritate, eorumve, quibus ipse de his cognitionem mandasset, minuerentur. Deligendum praeterea quaestorem, cui potior tuendae existimationis, quam ditandi cura haberetur, atque id quidem eo diligentius, quo proclivior materia ad despeculandum publicum aerarium, atque ad militum stipendia fraudanda officii immemores abduceret a fide. Hujus futuras partes, in aerarii angusti rationem ineundi, qua iis malis occurreretur, quae tumultus in castris, militares seditiones, secessiones gignere per dilatum stipendii diem consvevisse, id quod in cursu gerendarum rerum maximarum saepe clarissimis imperatoribus, quominus ex sententia ad cum belli exitum,

quem vellent, rem perducerent, pesti fuisset. Hinc quidem non defuturum ex mercatorum conventu (peritum enim ejus administrandi muneris vix in ullo alio genere hominem posse inveniri) atque adeo, ut is omnibus praeferretur, cui uberius praemium laus, gloria fama, atque bonorum existimatio quaestu, et compendio esset, si ejus modo esset inveniendi facultas, in foro, ubi fere vigeret cupiditas, amandata exsudaret fides. Ad hujus munus pertirere, ut ad diem militi solveretur stipendium cum fide, tum si temporis ratio prohiberet, spe confirmandis animis contineret in fide, ac variis artibus delinire feroces, atque impotentes animos, blandiri, assentari nosset. Huic assistere ministrum probatae fidei opportere, qui utrumque faceret, ut et ratiocinator pecuniae publicae daret operam, ne expensa pecunia militibus, per ficta nomina ferretur, qui in accepti tabulis frequentes, nulli in acie essent futuri, quo in genere semper multi essent, et nostra, et veterum memoria imprudentissime et nulla cum dissimulatione versati; tum ut simul alienae fidei exactor, quaestori ne permittere pecuniam publicam in rem privatam, se falso, atque inconsulto, avertere. Postulabat praeter haec omnia, ut ex summorum hominum delectu, tormentorum, curandorum munus ejus rei perito homini mandaretur, cum in re magni momenti, ubi sive autoritate ars, aut sine arte auctoritas vigeret, levissimus saepe error ad summam rerum gerendarum obesse plurimum consvevisset. Artem enim in eo requiri, ne a ministris aut volentibus per scelus, quod nonnunquam accideret, aut invitis per imperitiam artis, falli posset, auctoritatem, ut intelligerent, parum recte, atque ordine rem administrantibus haud futurum impune. Mi-

nistris singulis, singula tormenta dari placere, ut quisque suo, cum usus posceret, qua dirigi ictum oporteret, rectane, obliqua regione tormento collocato, liceret collimare. In iisdem ministris aliquam earum artium requirebat, quae reficiendis tormentorum manchinis usui essent, ut si quid iis agendis offenderetur, praesto esset aut ferrarius faber, aut tignarius, cujus oportuna opera incommodo occurreretur. Iam singulis ministris operarum certum numerum tribui volebat, qui fodiendae humo aggerandae, tollendis, deprimendis tormentis, amoliendis, loco mutandis, frequentes ad accipienda imperia operam navarent. Ac quoniam saepe accideret, ut, propter itinerum difficultatem, dum instructus exercitus aliquo in expeditionem iret, haerentia passim tormenta coenosa via, et strata ritibus essent properantibus in mora jubebat vectes, longurios, trabes, tum instrumenta varia comparari, senas, maleos, dolabras, cuneos, fibulas, cochleas, maxime quibus demissa altius attolerentur et demitterentur elata, ubi posceret usus, quibus custodiendis viros impigros, industriosque, qui parem fidem industriae haberent, praeficiebat, ut et ea ad opus praeberent et perfecto opere, cum curata repetita asservarent, nihil aeque conducere arbitratus gerenti rem, quam ea praesto habere, sine quibus res geri recte non posset, quae momento temporis, ut aut male, aut praeclare caderet, posita esset. Maxime vero religionis memor, qua una stare rei militaris disciplinam contendebat, sacerdotes, viros graves poscebat, et quorum auctoritatem non minueret flagitiosa vita, ex his jubebat alios concionari, ut dum miles agnosceret certum, quem coleret, et vereretur deum, ejus memor, apud quem esset scelerum, et recte

factorum discrimen, et facilius in officio contineretur, et ducibus ad ea exequenda, quae esse ut imperata, quamvis ardua eadem, et cum vitae periculo adeunda, verbo audientes essent. Recte enim existimabat, eo gerendo bello, cujus unus finis esset, pulsis barbaris hostibus propagare Christiani imperii fines, ne metu mortis miles a re gerenda deterretur, habere certam, atque exploratam spem de beata vita, quae per honesta vulnera, et mortem, in acie a viris fortibus adversus barbarum hostem propugnantibus appeteretur. Ex iisdem destinabat alios obeundos sacris, sauciis curandis alios, et male affectos, cum cura, et attente, medici inviserent, quorum operam regis sumptu conduci volebat, ut qui decederent, sacro loco, et solito christianis populis ritu, si daretur facultas, humarentur; nihil enim esse, quod aeque in milite augeret fiduciam animi, inter vulnera, caedes versante, quam spem susceptam, dum vita incolumis superesset, certa virtutis praemia, quae rem praeclare gestam sequerentur, honores, commoda, reditum honestum ad suos defuncto bello; mortem honestam vita defunctos manere, nihil esse, quod magis in milite alacritatem, et animi fiduciam minueret, quam eorum malorum metum, quae vitam miseram, frustratam laborum praemio, quorum spe milites in bello sustentantur, inhonestam mortem efficerent, quam tamquam pecudes saepe in limo jacentes, aut in fimo, quod haud raro accideret, se crederent obiturcs. Exigebat praeterea operarum numerum ingentem, quorum hominum esset maxime necessarius usus, ad ducendas fossas, exstruendos aggeres, muros demoliendos, propugnacula facienda, per viarum anfractus, ad ascensum locis arduis, ad descensum lubricis, et praeruptas semitas molliendas. Nam saepe ac-

cidere, ut, cum iter fieri oporteret, remotis a fluminibus locis, et ubi nulla esset aquandi facultas, putei fodiendi essent, ne penuria aquarum adeo necessaria rei exercitus laboraret; tum ad obruendas sordes, fossae altiores ducendae, quae neglecta res, tum omni alio anni tempore, tum maxime aestatis, quo res fere geri solet, torrente humum solis aestu vehementius, gignere peruiciosos morbos, et graves consvevisset. Iam requiri in urbium obsidione, qui opere faciundo excitati, aut rectos vinculos agerent, aut obliquis, et adversis, si quando requireret usus, actos exciperent, quorum hominum magnam facultatem, verisimile esset Ungariam suppeditare, propter crebras tum aeris, tum argenti, atque auri secturas, quarum esset tota regio feracissima. Eorundem operam caedendis silvis, locis editioribus aequandis, obstruendis paludibus, materiae ad opus comportandae opportunam credebat, quae munia in ipso articulo gerendarum rerum recte non possent a prudenti duce, et rei militaris perito desiderari. Nam ut maxime necessarium hoc genus hominum haberetur, efficere, nostra aetate corruptam priscam militiae disciplinam contendebat, qua apud veteres vigente, miles ipse opus facere, vallum, atque aggerem comportare, tum fossas ducere, et castra munire consvevisset, quibus fiebat, ut et militum vires corroborarentur, labore assiduo duratae, et non facile locus mobilibus ingeniis in opere occupatis ad tumultus et seditiones relinqueretur, qui morbus, ut oritur, ita alitur otio: vulgo enim eo esse homines ingenio, ut cum natura cessare non queant, nisi sit, qui imperio cogat recte agere, id quod perse norunt male agere necessario cogantur. Inde in exercitu horum hominum usus, quos Itali latino affini verbo,

„vastatores“ a re ipsa appellant, ad opus idoneos, ad cetera inutiles solitos mitti. Aliud munus, cujus essent magnae futurae opportunitates, homini mandari placebat, cum lingvae perito et locorum, quibus gereretur bellum, tum spectatae prudentiae, qui exploratoribus observandis praeeset, quos fides et calliditas, et usus, idoneos ad speculanda hostium consilia ostenderet, quique daret simul operam, ut si qui clam hostium exploratores vagarentur, in castris detegerentur. Nam alium requirebat, cujus partes essent conquirendi, itinerum duces, qui parati, ubi occasio se se ostenderet, viam praeirent, ne oppressis angustiis temporis, tum essent quaerendi, cum subita res requireret, ut extemplo irent in expeditionem, aut receptus esset quaerendus, quae tota res fere occasionis et temporis, moram non ferret. Unum minime negligi volebat, ut parvae frumentariae molae impositae carris veherentur, quibus milites, siquando ejus rei facultatem durior eriperet casus, haberent, quibus inopiae obviam irent. Id solere accidere, in minus frequentibus locis, et fuga habitatorum desertis, aut ubi in arcibus milites praesidio relinquerentur, quos saepe obsessos cogeret ad extrema descendere infestus hostis. Neque hoc solum, sed illud etiam requirebat partim ad sauciorum, partim ad aliorum usum, qui adversa valetudine in castris laborarent, ut mobiles furni, quos Graeci clibanos vocant, compontarentur, quibus, ubi aliunde deficeret, certa quoquendi ratio non deesset; tum illud minime praetereundum, ut agenti raptim agmen, ad latiores fossas transeundas, quae res saepe properantem militem moraretur, pontes praesto essent, quos paratos ferri jubebat, tum sutiles naves, quibus subito arcta compage aptatis,

flumina milites traducerentur. His, se adolescente, meminerat Prosperum Columnium summum suae aetatis ducem, exercitu amnem traducta, alia parte, quam qua Gallus hostis existimabat, qui ulteriorem ripam superior militum numero obtineret, magna sua cum gloria, Insubrum regnum caesaris imperio adjunxisse. Deinceps agebat de armorum apparatu, quae saepe minus ab ea parte munitis, in gerenda re magna incommoda, atque insignia detrimenta, desiderata attulissent. Itaque poscebat ingentem pixidum, et fistularum vim, quibus in praeliando homines, ubi privata deficerent, uterentur; tum ex alio genere, quae his aliquanto majores, longe tamen infra magnitudinem campestrium, et muralium tormentorum magnum usum ad munitiones, et ad murorum propugnacula defendenda, propter agilitatem haberent, bilibrem fore globum emittere solite, quo minus pondere, eo magis numero, cum crebrius, citiusque parari possent, nocentes, ad haec thoraces, galeas, enses, et in quibus magnum inesse creditur exercitus robur, praelongus hastas et macedonicis sarissis non absimiles, quas Itali picas vocant, quo genere armorum, ubi conferta acie, et densatis ordinibus miles pugnat, nullum est ad sustinendum, reprimendumque quantumvis firmum equitatum validius telum; ad haec omnia, magistrum equorum celerum, virum impigrum, et cognitae fidei, atque industriae designari volebat, qui si qua docendus rex esset, quae ad summum rem pertineret, per praeparatos, et dispositos equos stationibus certis curaret litteras celeriter et tuto reddendas, jussus nemini equos utendos dare, cui non esset facta a duce potestas. Movendis castris virum acrem deligi placebat, cujus munus esset, prohibere, ne equis, quod

saepius, quam expediret, accideret, sine commeatu dilapsis, a signis discederet, et ut singuli, servatis ordinibus, ita incederent, ut ordo et disciplina rei militaris postularet. Postremo, propterea quod colligendis vasis, jurgia multa et rixe inter milites ad impedimenta excitari consvevissent, ni aeri cura prospiceretur, placebat uni curam ejus rei mandari, cujus ductu agmen impedimentorum tuto incederet, et quo ordine illi a castrorum praefecto imperatum esset. Probavit haec omnia Ferdinandus rex, facile passus sibi persvaderi ea necessaria bello gerendo esse, ab homine magni usus, et prudentiae, et qui integritatis, ac fidei incolumem famam ad aetatem jam grandem conservasset. Itaque praeceperat suis, ut quantum vires ferrent, et permitterent angustiae temporis, ex illius sententia omnia compararentur. Nam Georgius, cognita minime dubia defectione suorum, qui jam ad reginam magno consensu transissent, urgebat crebris nunciis, ut exercitus dux profectionem maturaret. Verendum enim, ne per adversariorum cunctationem regina spacium nacta ad vires confirmandas, firmior esset, quam, ut facile opprimi, et pelli praesentibus viribus posset. Nam Petruithium, ut numqum antea attentiore cura, populos excitare ad arma, delectum militum habere, Solimani praefectos e propinquis praesidiis spe praemiorum ingentium excire, quas vires si Ferdinandus coire pateretur, qui lacessere prior ipse cum spe proventus constituisset, et lacessito brevi in magnum discrimen rerum omnium veniendum, quod enim ratio doceret, eum qui prior in aciem armatus descenderet, atque ultro hostem peteret infessus, fiducia majorum virium credi praevenire inbecilliorem: quod ad fa-

mam, et populorum studia comparanda, magnam vim haberet; qui raro plus eorum caussae tribuerent, quam viribus, quos duces sequerentur ad bellum; ea enim parte, qui superior esset, ubi vi, et armis, non jure ageretur, eum superiorem caussa futurum credi, male hoc quidem; sed apud eos, qui recte de rebus judicarent, qui essent pauci, de bello, de pace, inevitabile malum exacturam. Opportunum colloquio locum Tokaium videri, quo quidem ni parum de eo conveniret, se ad prescriptum diem adventurum. Non recusavit Salmensis de colloquio, quidquid minus praeclare de eo sentiret, levis ingenii homine, ac lubricae fidei, ac stipatus magna peditum atque equitum manu, quo praesidio ad omnem munitus esset, Tokaium venit. Quo cum Georgius ad condictum diem venisset; remotis arbitris, collocuti in multam noctem sermonem produxere, cujus haec summa fuisse fertur. Credere se neminem ignorare, quae sua semper fuisset sententia de regni controversia, inter Ferdinandum, et Joannem regem orta, ab initio usque dissensionis. Nunquam enim quid sentiret, dissimulasse, eo ingenio, ut cum rectissima vellet, et quae rei publicae salutaria essent, praeferre non vereretur, nunquam sibi fraudi apud eos futura, quorum rectum judicium de rebus esset. Quam diu de regno certatum esset armis, e duobus maluisse Ungarorum regem Joannem, cujus optimam caussam credidisset, quam Ferdinandum, et Joanne mortuo ejus heredem filium, sed ita hoc quidem, ut Ferdinandum christianum regem, quam Solimanum Turcam Christiani nominis hostem mallet; qui, nisi unus, qui potest omnia tantam a suis pestem averteret deus, brevi esset regno universo potiturus. Esse Petruithium, unum e pupilli

tutoribus, qui Lippae et Themesvaro, omnisque illius regionis tractui praeesset. Tum propter generis propinquitatem reginae arcanorum conscium, nomine in se unum quidem inimicum accerrimum, re in pupillum innocentem, suae fidei creditum insidias moliri. Habere enim cum Turca communia consilia, cui ingentium onerorum spe oneratus, quod sibi maxime compertum esset, et se unum, qui illius nefariis consiliis ire obviam auderet et universum regnum praedae esset objecturus, prodito pupillo et matre regina, non quidem, quod credi vellet, ut illam cum filio a Georgii tutela liberaret, sed, ut e regni administratione deturbaret imperii aemulum, cui solus inhiaret. Id quanti esse, Ferdinando deberet, neminem ignorare, qui sciret, Transilvaniam magnas opportunitates suppeditare, in Solimani potestatem redactam, volenti finitimam Austriam et Germaniam adeo invadere armis. Saepe Ferdinandum frustra periculum suarum virium, et hostis fecisse; quas quominus, ut vellet, roborare Carolus frater suis auxiliis posset, totus inter se discissus Christianus orbis, cui praeesset, in primis Gallus hostis perpetuus, communicatis cum Turca consiliis, semper esset impedimento futurus. Maluisse quidem se, ut jam dixisset, integrum regnum servare Joannis heredi, cujus tutela mandata suae fidei esset; sed, quando illi parum praesidii in suorum fide relinqueretur, regnum, Solimani semper obnoxium futurum armis, in Ferdinandi potestate, Christiani regis, quam in barbari hostis esse maluisse. Ac ne quid esset, quod dubium suum consilium redderet, hoc inserecipere, pollicerique adeo se effecturum, ut sua sponte regina, satis dudum perspecta immanis regis perfidia, per aequas conditiones, regno conce-

dere Christiano regi malit. Unum se enixe orare, ut cujus rei praemium nullum luculentius exspectaret, et grandis natu, et, cujus consilia provehi ultra vitae terminos non possent, spe omni posteritatis praecise, quod ita amanter, et prolixe de maximis rebus cum illo egisset, ne pateretur sibi aliquando fraudi fore.

Quibus Salmensis auditis, cum esset hortatus, ut maneret in fide, et omnia sibi de Ferdinandi regis in se animo sponderet, discessit, primo quoque tempore Viennam se iturum pollicitus, atque de his omnibus sedulo cum Ferdinando acturum. Neque fefellit colloquium reginam, neque quid esset adeo cum Salmensi in colloquio actum, exploratoribus reginae referta, qui Georgii consilia, progressusque omnes observarent, atque ita apud reginam quaererent gratiae locum, quam melioribus suis rebus, futuram haud immemorem suorum sperabant. Cum alia vero de Georgio querebatur, tum illud maxime, callide praeoccupatum ab eo Ferdinandi animum, spe regni ostentata, falsa atque elusa se, de quo sibi reconciliando, id suis rationibus postulantibus, sua sponte pridem cogitasset, quod quando minus per illum assequi licuisset, nulla jam cum invidia se Solimani opem, apud quem profugii locum paratum haberet, et sibi et innocenti filio imploraturam credebat. Neque audacia consilio defuit, feminae in sexu imbecillo virilem animum, quem praesens status poscebat, gerenti. Itaque cum certis mandatis Joannem Zalancium probatae fidei, et prudentiae hominem Constantinopolim misit, qui, facta adeundi potestate, Solimanum docuit, quae Georgius, contempta tanti imperatoris majestate, in viduam re-

ginam, et infantem filium pergeret moliri. Agere palam et nulla consilii dissimulatione cum Germanis de Transilvania Ferdinando regi prodenda, cum quo pridem consilia communicata habeat, eo scilicet consilio, ut inimicus rex adeptus regnum, sibi tutori, non reginae matri debeat, exclusae per summam injuriam cum innocente filio, ita vendito externo regi, ut praetium regni referat injustam in eos dominationem, quorum exitio et ruina crescat. Neque tamen hanc tantam injuriam ad filium pupillum prius aut ad se matrem orbam viro, destitutam omni praesidio, quam ad Solimanum pertinere, penes quem unum sint iura regni. Nam quo uberius sit, violatae fidei scelus per contemptam summi imperatoris majestatem novo scelere scelus cumulasse, orare supplicem pro sua consvetudine, quos non semel servavit sua invicta dextra ab armato hoste, velit a suorum insidiis, majestate sui nominis, armisque adeo sanctos tectos inprimis a scelerati hominis injuria servare. Vix, ajunt legatum Solimanum perorare passum, jussisse Ciausium internuntium ad Budensem praefecfum cum litteris mitti, quibus imperavit, ut aut vivum, aut mortuum primo quoque tempore redactum Georgium in potestatem, ad se mitteret; simul ad Transilvaniae civitates alias litteras dari jubet, eodem argumento, ut in omnibus Ciausio adsint, quae ad ea obeunda, quae in mandatis haberet, ostenderet sibi necessaria esse. His adjectum regium edictum, quod quidem palam recitari magistratibus iubebat, cujus erat summa, a se Georgium regni administratione, atque omni publico munere privatum, notatum infamia, atque hostem declaratum, qui illius decretis pareret, in illum ea poena magistratum animadvertere, quae decerni in convictos majestatis gra-

vissima soleret, persequi omnes sceleratum hominem, qui perviolata tutelae jura, innoecntem pupillum circumveniret, igni, ferro, quicunque suae ditionis essent atque imperii, jubere. Neque his contentus, datis aliis ad Transalpinum, aliis ad Moldavum litteris imperat, adversus Georgii vim sint reginae praesidio, nec opprimi nefarii hominis aut insidiis, aut armis opportunam sua cunctatione patiantur. Sed haec non prius Ciausius Budam, atque in Transilvaniam attulit, quam ad Georgium sive pertulit fama, sive, quos praemiserat Byzantium, exploratores, jam magnitudine largitionum, qui plurimum gratia apud Solimanum poterant, redemptis. Neque ob eam caussam satis animi securus, veritusque, ne detectis consiliis, parum in caussa sibi praesidii relinqueretur jure apud Solimanum agenti, ab armis atque animi magnitudine petere subsidium constituit. Hinc Sabesum non ignobile oppidum haud procul Alba Julia, digresssus, concessit, missis, qui undique commeatus importarent e vicinis pagis, quibus plenissimis, ac peropulentis est regio amoenissima referta, simul qua muri aut vetustate, aut alio casu collabentes procidissent, refici, atque in altitudinem justam fossam perduci, aggeremque exstrui cum cura jubet, dispositis ad muros tormentis, quae subvehi e regio armentario Alba Julia curaverat, in his omnibus regina connivente, quae magis, quae horum caussa esset, posset suspicari, quam ne fierent, prohibere imperio, quod nullum jam penes illam esset. Mox profectus Georgius Vásárhelum, oppidum situm peropportune in Siculos eunti, principibus gentis magnis muneribus in sententiam traductis, facile persvasit, ut delectum militum habere, ac mercede conducere tum equitum, tum pedi-

tum certum numerum liceret, nonnullis interceptis, qui studiosi reginae partium ac palam illi infensi ferebant. In his Andream et Valentinum Martonfios, nobilissimo loco natos homines interficiendos curavit, quod eorum egregiam fidem in reginam, voluntatemque esse comperisset. Ex hinc conduxit adnitentibus amicis ad quatuor hominum millia, quos jure jurando in sua verba adegit bellicosos homines, et ad perferenda belli incommoda, victus genere, quo aspero, atque horrido utuntur, a pueritia duratos. His adjunxit alios, qui multis beneficiis devincti, se illi ultro in clientelam tradiderant; quibus viribus subnixus, reginam, cui nullis innitenti auxiliis jam formidolosus imminebat, ad ultima auxilia descendere coegit. Nam simulatque non dubiis nunciis, quorsum illius spectarent consilia, cognovit, missis e suis ad Budensem praefectum, orat adversus Georgium se regno pellere conantem, quod Solimani Imperatoris beneficio pupillus filius obtineret, quemadmodum illi imperatum esset, primo quoque tempore arma, auxiliaque expediret, verendum enim, ne interposita mora, prius a scelerato homine opprimatur armis, quam vere iniisse consilium de se opprimenda existimetur. Iam ex sua dissimulatione spe impunitatis quaesita, hominem acerrimum esse in armis, ingenti militum manu, commeatibus, tormentis, omnique bellico apparatu instructum, ut non ad propulsandam vim solum, si qua inferatur, sed ad inferendam etiam, atque ad majora adeo tentanda, ubi diutius occurrere ejus sceleritatis consiliis cunctetur, sit par futurus. Neque regina interea dejecta animo cessavit, sed usa suorum ingenti studio ad septem hominum millia, quam peditum, quam equitum coegit, atque eos, Petruticio duce, Berecicam Al-

vinciumque, quas arces non procul s Marusii amnis ripa Georgius a fundamentis extruxerat, expugnatum mittit, utraque nullo negotio in fidem accepta, inde copiarum pars Cianadium obsessum missa, Nicolao Kereputio e Rhacianis accersito, homine magnae apud suos auctoritatis, cum is populariurn ad octo millia armasset. Erat in eo oppido militum praesidium non contemnendum, cui Gaspar Perusiczius praeerat, vir magni animi, et Georgio maxime fidus. Itaque et egregie oppidum defendit, et Nicolaum muros ne quidquam oppugnare adortum, insignibus acceptis detrimentis facile oppugnatione absistere coegit. Interea Georgius cognitis, quae ad Chanadium Thomam Varkoczium, rei militaris peritia clarum hominem, aliquot peditum millibus, atque equitum secum assumptis, propere ire obsessis auxilio jubet. Ita ille dies, noctesque continuato itinere, non procul a Nicolai castris, nihil minus eo tempore, quam hostium adventum expectantis, loco idoneo consedit, simul ad oppidum mittit, qui de suo adventu Gasparem faciant certiorem, et, quod suum sit consilium, doceant. Interea per noctis tempus mittit in hostium castra speculatum perspectae prudentiae homines, qui calorum, et lixarum habitu, quod facile apud eos poterat agi, a quibus nihil ex rei militaris disciplina omnia temere et barbarorum in morem administrarentur, falsis custodibus, quantus eorum numerus esset, qui castrorum situs, quae vigiliarum, ac stationum ratio, nocte, interdiu, ne essent insidiis opportuniores, ceteraque quae cognita usui essent, quantum brevitas temporis pateretur, explorata, cum cura referrent per eos, quod ipse sua sponte suspicatus esset, certior factus, omnia apud hostes, tamquam in pacato incondite, et dissolute agi,

nihil ordine et pro aliorum consvetudine: sperans posse de improviso opprimi incompositos, atque imparatos, ubi simul ipse a fronte cum universis copiis simul, qui erant in praesidio milites eruptione facta, ex oppido territos adorirentur, aggredi nec opinatos constituit in suorum securitatem hostium contemptione versa, quae multis saepe exitio fuit, semper est multis futura. Ita autem copias instruxit, ut in prima acie magnum peditum numerum cum delectorum equitum ala constitueret, in altera reliquam peditatus partem, cujus laevum latus objectus collis, dextrum equitatus robur tueretur, id eo consilio, ut conserto proelio, simul qui in sinistro cornu erant, adversus hostium postremum agmen pugnarent, simul a cornu dextro deducta equitum ala, quorum ingens numerus erat, a latere aggrederentur, ipse mediam aciem tenuit, quidquid erat in exercitu roboris, e fronte objecturus. Ad hunc modum exercitu instructo, quarta noctis vigilia movit, ita silenti agmine, ut prius ad hostem pervenerit, quam is eum movisse, suspicatus esset. Ergo suis, clamorem tollere eodem tempore, et canere signa jussis, a tribus partibus, ut imperaverat, hostem trepidum nec opinata re, cum spacium non daret ferox miles instruendi suos, et palatos, dissipatosque ad signa revocandi, in fugam vertit, magna eorum edita caede. Duo millia enim, et quingenti interfecti, quatuor millia dicuntur vivi in potestatem redacti, qui certatim abjectis armis, agrestes homines, qui nunquam campum, nunquam aciem vidissent, se turpiter dedissent. Inde elatus successu, cum late omnia populatus, circumjecta oppida, arcesque recepisset: si qui pertinacius recusarent, vi atque armis imperata facere coactis, ovantis speciem praeseferens militum spoliis hostium onustum

Varadinum reduxit. Non est hoc loco praetereundum nobilis feminae perinsigne facinus, rarum fortitudinis exemplum. Redierat Nicolaus Kereputius, tanta accepta clade domum, paucis superstitibus e tanto numero, qui illum fugae comites, desperata salute erant secuti. Quod ubi uxor cognovit, magni animi femina, eo digna, quae meliore sexu viro imperaret, cum vultu, atque oculis ardens, frendens, fremensque ingentes animo vias curet. Enimvero, inquit, occurens dignus vir, cui benegesta re, devicto hoste triumphum deportanti, laeta uxor cum liberis obviam eat: dignus, qui ex magni animi femina, certe prestantiore tam inerti viro suscipiat prolem, ut siquid indolis a matris ingenio liberi haustum habeant, corrumpat a patre mollis, atque imbellis haustus animus. Me miseram, quam mea me spes atque opinio fefellit. Quid nunc te, homo inertissime, manet in vita reliquum, quod cum teneas, minus tibi reddat vitam invisam. Lux haec, quam intueris, quamdiu vives, tuae illustrandae infamiae, hostis illustrandae gloriae orietur, ut quae omnibus animantibus amabilissima est, tibi sit odiosa, atque invisa futura, ne in tenebris quidem, non tibi tanti flagitii, tristi memoria occursura, quae perpetuo tibi, velis nolis, animo obversetur. Quanto tibi speciosior erat mors tam turpi vita, quanto vero tuis. Quae porro est posteris speranda ad laudem commendatio, a te tam praeclaro suae nobilitatis auctore. Auctus majorum gloria, diminutam illam posteris tua infamia relinquis, duplici nomine et posteris, et majoribus reus: quorum alios tuo exemplo perdis, aliorum, quantum in te est, gloriam, splendoremque tuo dedecore exstingvis. Facessas vero hinc, indignus vir, quem iis oculis inspiciam, quibus nihil reliquisti. Neque vero illa oratione acerbior in virum, quam re

fuit. Aliquot menses vetuit eum admitti in conspectum, odio, atque iracundia ardens. Haec ita acta, Centorius tradit, secus Forgatius, qui scriptos commentarios de rebus Pannonicis reliquit, cujus summum studium his colligendis fuit, id quod potuit, praestare, et ungarus, et in Ferdinandi ac Maximiliani regia magnis rebus consultandis, administrandisque versatus: ut satis mirari non queam, cum ageretur de rerum monumentis, unde haec occuratius mandare litteris liceret, e scriptoribus exteris, huic et fidei, et industriae insignem laudem tribuisse, cum mihi auctor esset, ut unum mihi proponerem ad scribendum, certum quem sequerer auctorem, quem quidem reipsa expertus, egregie quidem voluisse, tanto subeundo oneri minus pares vires praestitisse intelligo. Unum quidem illi video fuisse curae, ut quo studio ferebatur, non historiam scriberet, sed unius laudationem, cujus mortui memoriae Italus ita faveo, ut non sim tamen passurus, illius manes mihi aut mentem et consilium in scribendo moderari. Ita vero Forgatius, ortum discidium inter Petruitium, et Georgium ait: cum eorum essent contrariae rationes, pugnantia studia, quod sequi necesse erat, in partes diversas homines distraxisse, in his maxime, quorum praecipue nobilitas, et majorum merita in rempublicam erant; Petruitium enim, quo fides et officium svaderet in unam curam conservandi regni regi pupillo, consilia omnia intendisse, in hoc unum maxime, ut aerarii procuratio spectatae fidei hominibus mandaretur, quorum una esset cura, reposcendi ab his rationes, qui vectigalibus, portoriisque exigendis, ac locationibus publicorum munerum, auri, argenti fodinis ad eum diem praefuissent (haud obscure Georgius

designabatur) tum ne cui post hac permitteretur, ut per honestam speciem pecuniae tuendae interversos regios thesauros a Joannis herede, in unius, aut alterius privatum usum transferrent. Atque haec quidem Petruitius, qui misertus pueri regis fortunam in medium afferebat, non Georgii odio, ut multi credebant, sed fidei suae testificandae gratia, cujus quoad vixit, praeclara multa documenta dedit, procul remotus ab omni cupiditate animi, ut inter omnes video constare, qua ita alter flagrabat, ut homo ordinis religione verendus, sacrosancto sacerdotio praeditus, gravis annis, nullos superstites a suis relicturus, quorum caussa minore cum invidia, sceleratus esset, nullum rationi, ad colligendum animum a tanto flagitio, relinqueret locum. Eo quidem reginam redegisse ajunt, ut cum deessent, quibus victum tueretur, regno praedae, inimico relicto, de receptu in Poloniam apud regem fratrem, ut paulo ante commemoravimus, cogitarit, aegre, quominus pergeret in sententia manere, passa se exorari tum precibus amicorum, quorum non erat in eadem sententia consilium par, tum Bonae reginae matris auctoritate, quae missis in Transilvaniam legatis, accurate de reconcilianda gratia cum Georgio egisset. Sed nulla reginae aequitate molliente barbari animum, qui suam praedam, non regni partem, sed universum regnum statuisset: de suorum sententia, quorum praeter Petruithium, Franciscus Patoczius, Antonius Losonczius principes auctoritatis habebantur, de transferenda Lippam regni sede agitare coepit, Alba Julia relicta. Erant vero, ut credebant, in eo consilio magnae opportunitates. Ita enim fore putabant, ut et solutiore animo inter eos ageret, quorum in se esset tum eximiam

fidem, tum prolixum animum experta, omnibus sibi suppeditandis, quae ad tuendam majestatem regii nominis requirerentur. Nam quod plurimum conducere illius rationibus videbatur, sperabant magnum populorum motum ex hoc mutatione consilii excitatum in sua sponte indigne ferentium, scelerate circumventum pupillum ab eo, quem si ulla agnosceret, quae homines colerent, divina atque humana jura, in sua tutela positum habere filii loco aequum esset, eundem regem, cujus in terris augustum et sacrosanctum nomen divinis honoribus homines venerarentur. Sceleratum hominem non deum scelerum humanorum vindicem, non famam, non hominum existimationem veritum potuisse inducere animum patrio regno deturbare, quem petitum ab aliis, nisi vita et sangvine statueret ab injuria vindicandum, praedonum omnium immanissimus, taeterrimusque esset habendus. Quod vero scelus nefarium magis, quod paricidium exsecrabilius in parentes, liberos, patriam admissum, quam a tutore proditum pupillum, et quidem ea aetate, ut nondum domesticorum malorum conscius, prius injuria afficeretur, quam injuriae sensu. Si in tam barbaro pectore ullus esse posset locus paenitentiae, neminem credere non imparem tantae sustinendae invidiae, parta malis artibus impia dominatione sua sponte abdicaturum. Quam enim ullam foediorem servitutem, quam quaesitam tanta cum invidia potentiam, tam injustam per vim susceptam, atque administratam dominationem. Ut esset summa regnandi voluptas, viderent, qui illam avidius expeterent, quanti regnum esset faciendum, cujus esset justum pretium hominum odium, maledicta, dirae exsecrationes, quibus nunquam non essent reclusae dei immortalis aures, acerrimi ultoris

injusti in hominum imperii. Quantumvis metu liberae voces coercerentur: unum tamen alte reconditus in pectoris penetralibus deum audire devoventium aeternis suppliciis invisum caput. Quot vero in uno scelera ab uno admissa, ut speraret, se diu illa ferre impune posse. Unum ne inventum hominem in terris, cujus tanta audacia esset, ut mortalium omnium infimus, palam spectantibus omnibus, et tantum scelus exsecrantibus detractum e summo rerum fastigio regium decus pedibus subjiceret, innocentiam perfidiae, victas leges, et gentium jura armis cedere cogeret. Haec aliaque hujus generis plura quamquam Georgius versari in omnium ore intelligeret, obfirmato adversus omnia animo, quae scelerato incepto obstarent, quidvis potius acturus videbatur, quam ut pateretur per reginae factionem se in ordinem cogi. Ad minuendam tamen invidiam, qua flagrabat, se totam jam reginam permittentem amicorum consilio, et Lippam brevi concessuram variis artibus aggredi instituit, nunc precibus et blanditiis, cum juberet de se illam omnia meliora sperare, nunc intentare minas, et mali metu deterrere. Nihil esse, quod a se vereretur, sene, sacris initiato homine, nullis propingvis, nulla spe posteritatis, quae parum fidam suam tutelam, et suspectam regni procurationem redderet, non majorum nobilitate, non gloria rerum gestarum tumentem, non domesticis opibus insidiari regno, quae omnia ab iis essent timenda, quorum se fidei, et filium regem temere permisisset, cujus nequando esset justa de matre querella provecti ad legitimam aetatem administrandi regni, illi danda opera esset. Quod si inimici injuste abjicerent, id vere illos pridem animo moliri, ut per alienam invidiam regnarent, nobiles homines, magnis divitiis,

copiis, clientelis, aliis multis fortunae praesidiis muniti, quibus freti animos ad novas res tollerent, quarum studio maxime efferentur. His aliisque in eandem sententiam regina ita se vinci simulabat, ut animo saucia, tempori, cujus minus secunda auratum filii rebus afflabat, tamquam velificandum censeret, tota uni Petruithio addicta, in cujus probitate, et consilio conquiescebat. Ita, quo majus esset Georgii in aemulum potentiae odium, scelerum arbitrum non ferentis, mirifica ejus fides, pietasque in puerum aeque, et in parentem, quae insignius alterius facinus, flagitiumque redderet, efficiebat. Hinc cum minus consilia occulta procederent, et haud dubium esset, quin destituta regina omni alio praesidio, a Solimano, de quo bene sperare consvevisset, opem quaesituram, tandem nudare ingenium, et fortunae suae impotens, prorumpere in apertam vim coepit, nihil, ut credebat, quantumvis arduum aliis (tantam jam inbiberat opinionem sui fretus multorum studiis) ultra vires ausurus. Itaque cum regina una cum Petruithio Cibinium isset: suspicatus loci situ munitam urbem, et ut est hominum captus, opulentam adversus suam vim, tamquam regni arcem reginam occupaturam, superbe vetuit admitti, tanta cum illius indignatione et animi moerore, ut quamquam adesset animi praesentia supra muliebre ingenium, non potuerit tamen a lacrymis temperare adeo immane scelus multis verbis, ut animi dolor svadebat ac diris omnibus execrata. Hoc ne sinere impia fata, ut orta regio sangvine, parentibus, avis, majoribus, summis regibus, collocata in altissimo honoris gradu, non Ferdinandum regem maximum, cui tot populi, gentesque obtemperarent, sed taeterrimum hominum prava fortunae indulgentia ad reginam potentiam evectum,

agnoscere dominum cogeretur colla submittere mancipii vilissimi jugo, submittere fasces ejus imperio, qui vix dignus haberetur, qui liber servo ad hastam empto imperaret, magna cum populorum offensione, e Georgii invidia, hujus rei fama per civitates provinciae percrebuisse fertur, multitudine, suo ingenio, neque facile Ferente subito ab imo altius elatus opes, et miserante subita ruina, a summo ad infimum deturbatas, effusa in eos maxime, quos olim excelso loco positos adversae res, privatorum fortunae aequarunt. Quem rerum transilvanarum statum cum satis Ferdinandus exploratum haberet: occasioni non defuit, Georgium sua sponte res novas spectantem, ad maturandam defectionem, quam agitabat animo, adjuvandum apertis viribus arbitratus. Igitur cum eum sollicitandum, per certos e suis homines curasset, majore in dies ostentata spe rei ex sententia conficiendae, Niculaum Salmensem ad illum misit, sine cujus consilio nihil agi placebat, quod paullo gravioris momenti fidem, prudentiamque requireret. Et tum primum actum de colloquio, si peritioribus rerum ungaricarum credimus, quos quidem video affirmare, non Georgio prius, quam Ferdinando postulante, cui jam ab illo spes transitionis facta esset, et provinciae dedendae, Salmensem, qui cum illo colloqueretur, missum. Delectum ad colloquium oppidum Bathor, vetustam, ut tradunt nonnulli, gentis Bathoriae originem, quam per omnes honorum gradus videmus hoc tempore, Stephani regis admirabili, tum virtutis, tum felicitatis documento ad Sarmatarum regnum provectum pervenisse. Eo dicitur Georgius ad certam diem, ut convenerat, profectum, is fuit dies sextus Id. septemb. septus praevalida peditum, atque equitum manu, alebat enim regum more

luculentis stipendiis milites delectos, e juventutis robore, et claros militiae duces, et quidem ita aperte, ut eminentem animi cupiditatem, cujus haud erat potens, nulla dissimulatione, aut fallacia tegeret. Nam quod superbi animi erat argumentum, et demissi tamen speciem animi non altius in illius animum introspicientibus praeferebat, cum neminem in comitatu haberet, sive pedibus, sive equo mereret, quin purpura, auroque ornatus conspiceretur, in his multi euntem ex praecipua nobilitate, alius alia de causa sectarentur. ipse pannosus, sordida indutus veste et suffulta agninis pellibus, affectans frugalitatis et modestiae laudem, incedebat, contemnendis iis, quorum alii cupiditate tenentur, novo ambitionis genere superbus. Septem dies colloquio dati, quibus ita multa acta, ut de summa rerum inter omnes conveniat: Ferdinandus rex puero redderet, quae in ejus ditione a patre relicta, ad eum diem tenuisset, quorum si qua diminutio puero facta esset, quaecunque aut per regis liberalitatem, aut quamvis aliam rationem essent in alienum jus translata, redimenda suo sumptu curaret. Iam et illud conditionibus adjectum. Interea dum Ferdinandus rex, in patris ditione pupillum constitueret, quae res verisimile erat longioris morae futuram, Opoliensem, et Ratiboriensem ducatus, quos vocant, et majorem Glogoviam, aliaque oppida, traderet, quibus fieret fides regem in iis, quas obtulisset, conditionibus mansurum. Atque haec Salmensis, ut convenerat, receperat, simulatque regina de Transilvaniae urbibus decessisset, aliisque, quae in filii ditione essent, regem una cum ea pecuniae summa, quam illi dotis nomine se soluturum pollicitus esset, cum fide, quibus illa jussisset consignanda, curaturum. In caeteris urbibus, quae regi erant con-

signandae Varadinum censebatur, atque id quidem quasi corollarii nomine, cum ea urbe Georgius Varadiensum Pontifex, quod tum opimum sacerdotium erat, potiretur. Illud in conditionibus postremum fuisse ajunt, ut rex Georgium Strigoniensium pontificatu auctum, sua auctoritate curaret a pontifice maximo in cardinalium collegium cooptandum. Haec ita acta Forgatio cum Thomae Albensis commentariis convenit, insigni cum reginae injuria, qua inconsulta, agere privato consilio, tantis de rebus esset ausus, callidus quidem homo jam pridem per alia, quae leviora essent, etiamsi minime contemnenda speraverat, quod accidit, fore, ut sensim asvesceret ad ea perferenda, quae multo iis graviora, acerbioraque in illam animo agitaret. Id se brevi assecuturum non dubitabat iis de medio sublatis, qui apud reginam, quo minus suis insidiis pateret, auctoritate et consilio erant futuri impedimento. In his duos maxime infensos habebat, quos non ignorabat principem auctoritatis locum in regia secundum Petruithium, propter singularem integritatis et prudentiae opinionem, obtinere. Horum alter regio tabulario praeerat Michael Czakius, quo postea munere perdiu est apud Joannem Secundum regem perfunctus: alter eodem nomine, Horvatus genere, cujus maxime consilio magnis gerendis, administrandisque rebus utebatur. Ergo eos in quaestionem arreptos, cum certos homines in eos adornasset, quorum testimonio jugulatos perderet, neque illi ipsi tamen quidquam afferent, quod esse fraudi innocentibus posset, facile inimici calumnias, criminationesque refellentibus, quo non aegre eos regina suscepta eorum caussa, capitis periculo exemit, frustra Georgio cum non facile veri speciem mendatiis, calumniisque obten-

deret, in concionantis modum multitudinem in eos concitante, quam se habere in potestate, spe maximarum largitionum emptam credebat. Quae dum in Transilvania geruntur, Ferdinandus ad Non. Februarii conventu provinciae Posonium indicto, multa de statu praesentium rerum questus, cum, petito alte principio, multis verbis demonstrasset, quam graves, quamque multas causas haberet aliquando persalutaria de pace consilia prospiciendi populorum otio, qui fessi perpetuis cladibus bellorum a Ludovici regis usque mortem diu malorum finem ne quidquam implorarent; se egisse cum Solimano de induciis ait, quando minus de pace convenire licuisset, quas in quinquennium ita, quibus voluisset, conditionibus obtinuisset, ut non desperaret in posterum conjecturis minime fallacibus de pace conventurum, quod ad levandum regnum iis malis, quibus convulsum, labefactatumque esset, plurimum conducere videretur. Mox de suo in rempublicam studio multa suo more, deque aliis rebus egit, quae horum temporum ratio postulabat, pro quibus a summis hominibus, principibus Ungariae nobilitatis, atque a civitatum legatis gratiae actae verbis magnificentissimis. Hanc caussam indicendi conventus Forgatius fuisse tradit; graviorem alii suspicantur, nimirum de iis rebus agendi, quae per Salmensem actae in colloquio cum Georgio essent, quas regni principes minime fugere aequum esset, de quorum sententia respublica administrari consvevisset; certae quaecumque ejus rei caussa fuerit, hunc exitum habuit, ut et aliorum, et reginae suspitionem confirmarit, quae insederat animo de Georgii consiliis, quorum indicia jam multa, et mox minime vanus rumor et sermo manaverat. Id quod multorum animos ab illius rationibus alienaverat, quibus, quae agerem-

tur non administrantis tutelam, sed appetentis regnum viderentur, si modo hoc regnum videri posset (quod sine prudentium consilio nullum esset) regni principibus inconsultis, hominibus summae nobilitatis, reginaque adeo, cujus res esset, de omnibus, ut jus et libido svaderet, cum suis, cum exteris agere. Equidem habeo auctores, cum de his, quae a Georgio proposita essent, in interiore Ferdinandi consilio agerentur, variantibus aliorum sententiis, Joannem Aufmannum, qui propter singularem prudentiae opinionem, magnae apud Ferdinandum auctoritatis habebatur, ejus sententiae, quae consilium de Georgio a regina alienando tuebatur, dissvasorem longe acerrimum fuisse: cum ea, quae postea evenerunt, tamquam ex oraculo futura praedixisset, commemoratis superiorum annorum cladibus, quas frustra Laskio, homine prudentissimo, deterrente regem a belli consiliis, nonnullorum temeritas in Vngaros invexisset. In hanc vero sententiam eum verba fecisse accipio: Neque rem sibi, neque hominem, qui ejus esset gerendae auctor, multo vero omnium minime temporis vim, rationemque posse probare, quo rem agi placeret. Neminem enim non videre, si modo rem intueretur animo, qua de inpraesentia ageretur, non cum Transilvanis rem futuram, aut cum Joannis herede, sed cum Turca, omnium gentium, populorumque victore, cujus vires, fortunam, felicitatem, qui non horreret, saepe praesertim magno Christianae reipublicae exitio expertus: eum infra bestiarum stuporem, stoliditatemque habendum, quae nunquam eo redire, ubi semel offendissent, consvevissent. Quid vero aliud sibi velle ita regem accipere quaesitum regnum, quam sicientem accipere svavissimum poculum, quod esset idem dilutum veneno. —

Placere enimvero regem ita Transilvania potiri, ut per speciem tendandae rei salutaris, propagandi fines imperii, minuendi hostis, suas augendi vires, pax, otium, securitas populorum perturbaretur. Quae omnia incommoda, si fallax ac dubia questus ac compendii spes esset importatura, dignus haberetur, qui id svaderet, cui ea ipsa incommoda, quae ipse longe antea prospiciens horreret animo, salva republica evenirent. Quo vero tempore haec tentari, scilicet, quo florentes olim Caroli Caesaris vires, repetenti, Solimano toties lacessitum, nunquam armis non feliciter tentatum regnum, opponerentur. Qui quidem, novo orto principum discidio, in gravissimi belli exspectatione, ita corpore langveret, ut parum laetum eventum cum ejus adversa valetudo, tum vis temporum, exhausti populi per tot continentia bella aliis super alia tributis pendendis, quorum nullus jam modus esset una modo vigente animi vi in effoeto corpore, quae minime tantarum rerum moli sufficeret, pollicerentur. Itaque tantum abesse, ut ab ea parte quidquam auxilii ostenderetur, durioribus Ferdinandi rebus, ut cogeretur eo transferre, eas ipsas . . . . . .
. . . . . *(Két levél hézag).*

IO. MICHAELIS BRVTI

UNGARICARUM RERUM

LIBER DECIMVS QVARTVS.

IO. MICHAELIS BRVTI
VNGARICARVM RERVM
LIBER DECIMVS QVARTVS.

. . . . . .

. . . . . immissa tuebatur. Jam in arce ipsa spatium peramplum, ut satis loci esset ad explicandum quattuor millium hominum agmen. Par Ferdinandi cura, cum ita esset situ, atque opere munita, ut nihil eorum deesset, quae ad sustinendam externam vim necessaria ducerentur. Nam et commeatuum aderat omnis generis facultas, et tormentorum ac pulveris magna vis, postremo militum numerus non contemnendus, utinam aeque validis viribus. In arcis quidem praesidio Germani milites tercenti, Haidones ducenti, Boemi pedites centum, Vngari equites ducenti, praeter Hispanos, quorum omnium numerus octingentorum summam efficiebat. Ad haec curarat flaviatiles naves, ad varios usus, quinquaginta aedificandas, ut non ita latas, quo agi facilius possent, ita forma oblonga, ut ad vectandum idoneum numerum militum pares haberentur. Quae dum ad hunc modum in Ungaria geruntur, sollicitus Gastaldius de praesenti rerum statu, cum undique prospiceret circumstantia mala; nihil spei ad ea pro-

pulsanda ostenderetur; una cura maxime angebatur, ut barbarus Agriam copias adduceret, quae maxime valida ad hostium impetum excipiendum, magnum momentum Solimano ad reliqua Vngariae occupanda ubi ea esset potitus, credebatur, allatura. Una spes levabat aegrum curis animum, antequam hostis Agriam tentaret, mediam interpositam Zolnocziensem arcem, quam belli rationem secutum, non erat credendum a tergo relicturum, ante expugnandam. Eam vero, tum situ, tum opere egregie munitam facile sperabat longa mora barbarorum ferociam elusuram. Neque vero erat illius vana futura spes, si ea virtus, et constantia, quae in Losonczio spectata Temesvarii fuerat, affuisset: non enim erant affuturae vires, jam per multa belli detrimenta, attenuatis copiis nostrorum virtute, ad arcem munitissimam facile expugnandam. Quae tamen, si victa propugnatorum pertinacia, in potestatem veniret, vix erat credendum, reliquias ad oppugnandam Agriam pares superfuturas, quae urbs, ut non satis praesidii in loci situ haberet, arce praevalida munita, longam moram requirebat, ut expugnari posset, quam anni tempus in hiemem jam inclinantis, non ferebat. Dux barbarus interea, ne male conjecisse de illius consiliis Gastaldius videretur, duo equitum millia Zolnochum antecedere jussit, tum ut regionem totam lustraret, tum, vt commeatuum copiam, qua maxime sui laborabant e feraci et campestri solo compararent. Nam ad eum diem, ita per vasta habitatoribus loca iter fecerant, terrae cultoribus, belli metu inde omnibus asportatis, ut non ferro hostili prius, quam caritate annonae, et rei frumentariae augustiis, se confectum iri arbitrarentur. Ex hoc equitum numero, nonnullos, qui agmen antecesserant,

nostri conspicati, cum ex hostium exercitu esse non ignorarent, inter se cohortati, oppido exeunt, atque ex iis aliquot vivos captos, percunctati de hostium consiliis, adventare Achmatem cum universis copiis Zolnochum cognoscunt; quibus sustinendis impares, quamquam nihil auxiliorum praestolarentur, quorum fiducia se toleraturos obsidionem sperarent, non tamen animos demittunt, et se se ad omnes belli casus sustinendos intrepide parant. Accidit, quo tempore haec sunt nostris per captivos nunciata, quo vulgo animi magis deterrerentur, ut Germanus miles, cum tormentarium pulverem, ad fistularum usum, in contubernio perpurgaret, temere ignem exciret. Inde cum orta flamma domum hausisset, ac late vento adjuvante, qui forte vehementius flabat, proxima quaeque comprehendendo populasset (omnia vero ex arida materia, quo essent magis incendio opportuna, erant exstructa) ni impigri juvenes partim e militibus, partim ex oppidanis accurissent auxilio, erat tota arx conflagratura. Etsi vero prava religione imbutis animis, inde tristem rerum exitum sibi portendi arbitrabantur, in muris dispositi, ut temporis ratio, et rei militaris disciplina postulabat, majoribus tormentis idoneis locis collocatis, jam prope adventantes hostes, pilis ingentibus emissis, moenibus summoverunt, eodem tempore aliis erumpentibus, qui in disjectos tormentorum ictibus pugnarent. Postridie, cum universis copiis Achmates advenieus ab appido procul, quo esset ictibus tormentorum opportunum, castris positis consedit. Inde aliquot equitum turmis assumptis, qua oppidum fossa cinctum diximus (inde enim modo adiri poterat) situm contemplatus, postero die oppugnare omnibus viribus constituit. Quod autequam

fieret, missis caduceatoribus, praefectum praesidii ad dedendam arcem adhortatur, non se alienum occupare, sed repetere in ditionem Solimani positum contenderet. Amens eorum consilium, qui pugnare adversus hostem et viribus, et caussa superiorem, stolida modo ferocia freti, atque audacia auderent. Non enim quorum tanta temeritas esset, cum hominibus prius, quam deo immortali pugnare, qui pro jure atque equitate, adversus vim, et injuriam propitius staret. Antequam muros tormentis verberaret, si sese dederet: cum suis rebus omnibus incolumem, quo visum esset, abire passurum; non eandem conditionem, pertinaciam addentem pravo consilio, manere. In contumaces, igni se, ferro, per omnia mortis et cruciatuum genera saeviturum. Erat in arcis praesidio Laurentius Niarius, minime idoneus vir, qui se verbis circum duci pateretur, ab eo hoste praesertim, cujus perfidiae recens exemplum ante oculos abversaretur. Arcem suae fidei a Ferdinando rege commendatam, non prius traditurum se, quam, cum viribus omnibus, animus se, et vis consilii defecisset, quod ne accideret, defendenti optimam caussam, in ejus ope, atque auxilio spem positam habere, qui, ut recte ipse diceret, semper pro jure adversus injuriam stetisset. Quo responso Achmates accepto, qua in septemtriones arx obversa fossa claudebatur, perpetuis munitionibus circumvallavit, magno suorum studio ac labore. Nam procul humus erat petenda, atque adeo e praeduro solo, et ad ictus ligonum contumaci, cum impositam corbibus comportare, jumentorum penuria, cogerentur. Ante eas munitiones tormenta collocari contra arcem jussit, quorum nullus fere usus fuit, langvente ictu, quo intendebatur, in muris, argillosa

terra, intermistis arborum ramis, exstructis. Ad hunc maxime modum, per triduum, nequidquam quassatis muris, cum minus Turcae oppugnatio procederet; e Germanis nonnulli deplorata spe tuendi, arcem adversus tantas hostis copias, cum Temesvarii accepta clades perstantibus in suscepto consilio objiceretur, et alios ex Hispanis, et praefectum eorum adeunt, atque quid sui sit consilii, ostendunt. Audisse Ungaros, jam currubus rebus suis impositis opportunam nactos occasionem, discedere constituisse, externo duci barbaro relicto milite praedae. Adeundum praesidii praefectum, et quam salutare esset in perditis rebus profectionis consilium, docendum; quod non honestum esse, sum esset idem necessarium, minime videri posset. Vix hactenus Hispani loqui Germanos passi, alios enimvero sibi quaerendos, quibus fugae sociis, tanti dedecoris culpam leviorem efficerent. Quod ut accideret, tantum abesset, ut idipsum multis partibus angerent. Nam et eo nomine videri reprehendendos, quod ipsi tanti flagitii essent auctores, et quod suo exemplo alios eodem traherent, qui sua sponte essent in fide futuri. Se quidem, ut deceret Hispanos, qui non didicissent a suis, ignominiosam vitam morti praeferre, in eadem statione, in qua impositi a Ferdinando rege fuissent, ad mortem usque mansuros. Hac spe exlusi, aggrediuntur Boemos, ac multis verbis iis traductis in sententiam, Niarium arcis praefectum conveniunt, atque eadem commemorando, quae paullo ante Hispanis exposuissent, ut eandem rationem consilii secutus statuat sibi arce excedendum, etiam atque etiam adhortantur. Nam et ex Ungaris vidisse multos, qui omnibus instructis, quae ad iter necessaria essent, signum modo profec-

tionis exspectare viderentur. Iniquum videri, profectis Ungaris, quorum potiores partes in arcis propugnatione haberentur, pro laribus, et focis, et conjugibus, ac liberis pugnantium, prodi barbaris externum militem, quem, praeter militare stipendium, ex egregia gesta re, nullum virtutis et fortitudinis praemium man eret. Ad haec Ungarus, negare vero tam turpis consilii notam suorum nomini haerere. Non fugae caussa passurum se Ungaros sarcinas currubus habere impositas, sed incendii metu; quod quidem in oppido, huic incommodo opportuno, e materia aedificiis exstructis, undique immineret, hostibus, praeter tormentorum jactus, a quibus egregie parati dicerentur, ardentes taedas, faces, malleolos, et alia telorum genera, e quibus vario artificio conceptus ignis in aedium fastigia crumperet, injecturis. Hos si minus crederent, impedimentis incensis, equos succissis poplitibus, quo omnis spes fugae inertibus adimeretur, inutiles ad fugam redditurum, suis quo aequiore animo hoc sibi persvaderi paterentur, facta certa spe, jacturam earum rerum, quas amitterent, e regio aerario sarciendi. — His nequidquam a Niario dictis, cum seditio glisceret, postulant, ut debitum sibi menstruum stipendium numeraretur, arbitrati in magnis rei pecuniarae angustiis, id quod maxime avebant, solvendi facultatem defuturam, ut tegendi turpe consilium, seditionis caussa, ut minus honesta, necessaria tamen oblata videretur. Quae eorum spes, praefecti consilio, atque industria, est facile elusa. Ab amicis corrogata pecunia, omnibus cum fide solvit; cujus rei tamen nullus usus fuit. Interea hostis, quamquam nihil sibi reliqui ad summam diligentiam faciebat, iis omnibus excogitandis

rebus, quibus speraret arcem posse expugnari, cum irrita omnia caderent, frustra tormentis octavum jam diem moenia verberantibus, amissa spe arce per vim potiundi, ad obsidendi consilium converterat animum; cujus nullus exitus reperiebatur; jam magna parte autumni exacta, cum summain arce esset commeatuum copia, ut tolerare facile obsidionis incommoda possent. Sed neque hoc ipsum tamen, ab inertibus extorquere constantiam, in recepto munere defendendi arcem potuit, jam ex Ungaris nonnullis Germanos, Boemosque fugae auctores sequentibus, multis cladibus, atque aerumnis ferendis fessis. Id ab Hispanis Niario significatum, qui negavit fugam molientibus ex sententia cessuram, jam a se navibus demersis, ne a flumine spes evadendi in adversam ripam esset, et hoste multis armatorum agminibus a terra exitum claudente. Quod tamen, si id modo fuit a praefecto imperatum, vanum fuisse exitus declaravit. Namque Hispani, quibus datum negotium erat, per noctem excubias lustrandi, Germanos armatos, atque omnibus rebus compositis, sub signis, ut cum est in expeditionem eundum instructos animadvertunt. Inde ad portam progressi praefecto incidunt, adhortati Vngaros per eam fidem, quam Ferdinando regi obstrinxissent, per patriam, pietatem, per Vngaricae gentis decus, ne paterentur a se impetrare germanorum exemplo, inertium hominum, ut proditionis et perfidiae nota nobilissimae gentis nomen contaminarent. Aliorum aliam conditionem esse; exteris pro aliena caussa minus constanter pugnantibus videri aliquo modo ignoscendum: Vngaris pugnare pro patriae salute recusantibus, pro liberis, pro conjugibus pro aris et focis, veniae spem nullam, neque apud suos, neque apud exteros

relinqui. Plura dicere parantem interpellant, ac facta vi custodibus, et refracta porta, ad unum omnes exeunt, praefecto relicto. Quae dum ita administrantur, Turcae, qui pro vallo in stationibus erant, cum altercantium in arce militum, atque huc, illuc discursantium clamorem, strepitumque exaudissent, noctis silentio efficiente, ut major res, quam erat aliquanto, videretur, et mox illis profectis, redditum majus silentium mirati, id quod erat, desertam a suis arcem suspicati essent, in adversam ei portam ruunt, unde Germani exierant; qua aperta vi, ad alteram, nemine occurente armato, profecti, Niarium inveniunt, occupatum porta claudenda, ne Turcae suorum comperta fuga, inde in arcem invaderent. Ita Turcae captum hominem ad ducem deducunt, qui cum illum collaudasset, facta spe melioris fortunae, apud verae virtutis Turcas justos aestimatores, suos ad persequendos fugientes extemplo misit. Qui inventos a ripa aegre naves amolientes, quarum magna pars in vadis haesissent onustae impedimentis, ad unum concidere. In tota hac re narranda, a Centorio ita Forgatius variat, ut illi de summa cum eodem conveniat. Nam de Niario, quem miris laudibus Italus prosequitur, et merito quidem, si vere ita se gessit, ut ipse tradit. Ungarus ea commemorat, quorum reo, apud Ferdinandum regem, caussa dicenda ex vinculis fuerit, et quidem, ut aegre, per judicum dissimulationem, et regis indulgentiam, facile in suorum erratis conniventis, judicibus corruptis, ambusto evadere licuerit, e magna exorta invidiae flamma. Iam enim Turca, cujus custodiae traditus erat, multis pollitationibus in sententiam traducto aufugerat, cui quidem itineris duci, ubi ad suos rediit, et alia munera, et fundum, quo se se aleret, dedit, suae fidei,

atque officii memor. Ad primam quidem Germanorum seditionem, una cum collega Gabriele Pechrio, in eorum sententententiam concecisse ait, qui arcis deserendae erant auctores. Cujus tamen consilii ex arce egressum paenituerit, cum admissi dedecoris tristis memoria subiret, cujus infamiam in reliqua vita, sibi et apud suos pariter, et apud exteros intelligeret futuram. Itaque cum haud procul ab arce abesset; tam nefandum execratum scelus, secum adductis, quibus potior esset sua fides, atque existimatio, ultimo vitae discrimine, in arcem rediisse, quo quidem cum exorta luce, hostis, cognita nostrorum fuga, militem adduxisset, ac, nullo prohibente, vi portis patefactis, esset ingressus, fortissime dimicantem, et hostium inpetum intra portam sustinuisse, et non prius venisse in potestatem, quam suo cruentum atque hostium sangvine, diu in paucos multis incumbentibus, pugnam infestam fecisset. Pechrium, qui perstisset in fugae consilio, cum diffideret caussa, ubi apud Ferdinandum de ea esset judicio disceptandum, in Transilvaniam se recepisse. Quae si ita accidere; in caussa Niarÿ cognoscenda, remissum aliquid de judicum severitate verissimile est, poenitentia consilii cujus turpiter initi invidiam, quod nemo, quantumvis Niario parum aequus, inficiari queat, praeclaro eventu obruisset. Mirandum vero, quod Forgatius ait, eundem, quem abdomine gravem paullo ante non sine contumeliae aculeo perstrinxerat, et suopte ingenio inertem appellaverat, adeo strenue, atque impigre impetum irrumpentium in arcem barbarorum hostium, non eorum vim, non multitudinem veritum excepisse. Ergo Zolnoko arce dux potitus, non virtute suorum magis, quam nostrorum aut ignavia, aut scelere, aliquot diebus

quieti militum datis; quo animo imminebat, Agriam movit, nihil non infra suam, suorumque virtutem arbitratus, cui omnia, ad eum diem, spe secundiora evenissent. Sita est Agria, de qua deinceps agendum, infra editum collem, cujus latus molli clivo in ingentem altitudinem depressum, ad infimam vallem demittitur, inprimis tegendis insidiis aptam. Quae collis inter solis ortum, et occasum in meridiem vergit, et vini ferax, et aliarum frugum omnium, amoenissimum prospectum habet, ubi sita urbs, muro exstructo cratitio opere ambitur, exiguo flumine inter urbem, atque arcem, praeterlabente, quod Egervizzet populares vocant, unde urbi inditum nomen. Ab oriente sole posita arx, quo minus tuta sit a tormentorum jactu, efficit ex adverso objectus editior collis; cui incommodo dicitur Petrus Perinnius occurrisse, quo validiora moenia redderet, per se parum firma adversus vim tormentorum, eo humo comportata, et ingenti lapidum vi, quorum in propinquis locis erat summa facultas, exstruendum aggerem, atque applicandum moenibus curavit. Neque eo contentus, ab imo solo in magnam altitudinem ductum propugnaculum addidit, turris magnae molis instar, unde hostis, propius muros adire tormentis prohiberetur. Item ad septemtriones collem adversum habet, modicae magnitudinis, nobilem regia cella, in qua, in ingens spatium perforato lapide, qui natura mollis, et ferri paciens est, regia vina, unde illi tam illustris titulus, asservabantur. Cetera tumuli obtinent, neque ardui, neque difficili ascensu. A meridie urbs arci subjecta, unde in occidentem porrecta, longe lateque subjectos campos prospectat, frugum ubertate, et feracitate nobiles. Inde Agriense sacerdotium inter caetera Vngariae, quae et multa sunt, et

luculenta, secundum, Strigoniense princeps dignitate, atque opulentia habetur. Petrus Perinnius (quo jure, non traditur) inter continentia gesta cum Turca bella, urbem possedit, ac mirum in modum propugnaculis, atque aggeribus auxit, cui rei minus veteres studuerant, supina quadam securitate, quasi eadem semper futura tempora acrem curam muniendae urbis desiderarent, hortorum amoenitatem urbanos recessus de vitae et segni otio indulgentes, cujus rei opportunam occasionem, summa loci amoenitas subministrabat. Adeo infamem hominum socordiam alioquin inter ceteras gentes bellatorum insignium, muri testantur exstructi, ut diximus, cratitio opere, quasi tectorio, coeno, aut argilla superinducta. Temporis hoc quidem vitium, si hoc modo vitium fuit, cum nondum nova tormentorum pestis, quae orbem terrae, avorum memoria invasit, moenia requirerent, quorum exstruendorum cura, et fatigaret hominum ingenia, et maximorum regum infinitas opes hauriret. Tum una propugnatorum virtute urbes defendebantur, non moenium, non arcium, non propugnaculorum immanibus substructionibus, non ad muros aggesta humo parum firmos ful..., quae sibi tamen pervia terrae horrenda fulmina redderent, ex impiorum sedibus ad perdendos homines invecta. Et arx quidem Agriae per se habita semper praevalida, ut multo munitior omnium opinione haberetur, aeque irrita, ac pertinax hostium oppugnatio, nostrorum in arce defendenda incredibilis virtus, et constantia perfecit. Nam barbaris rejectis, ne qua in posterum spes esset, expugnari per vim posse, multae adjectae munitiones a peritis hujus artis hominibus, plane inexpugnabilem reddiderunt; quibus describendis haud

essemus passi nostram operam desiderari, si qui haec ante nos litteris tradenda susceperunt, sibi dandam operam censuissent, ut quid sibi vellent, qui ab his mutuarentur, ex eorum scriptis, quae sunt jam in lucem edita, constarent. Nam quominus praesidii in nostra industria esset, quod non erat exiguum sperandum, ubi locum lustrare praesenti licuisset, posita fere omnia in Turcarum ditione, quae euntibus Agriam ad arcis portas usque sunt adeunda, effecerunt. Ex una arce, quae perampla, et vastae magnitudinis, majore militum praesidio indigebat, duas Perinnius effecerat; inter quas ducta fossa, murum in justam altitudinem perduxit, qui quidem ab imo ad summum templi fastigium pertingens, quod in summa arce erat, propugnaculi instar promineret. Muro quidem ita querni asseres applicabantur, ut ex his paries ad muri altitudinem perduceretur, inter utrumque humo injecta, quae prohiberet, ne murus recenti opere fatiscens, faceret labem, et satis spatii submistraret, ad tormenta in summa muri parte idoneis locis collocanda. In interiore arce religiosorum hominum sacra domus, quam coenobium vocant, et carcer, damnatorum hominum custodia, ab varia facinora, inclusus atque hic quidem in propugnaculi formam exstructus; in sacra domo militum stationes dispositae, turresque exaedificatae, e quarum supremis tabulatis, magnam telorum vim, globorum et pilarum omnis generis, inclusi in hostem jacularentur. Exterior arx contra Alexandrinum murum, propugnaculumque ad meridiem objecta (ita Sambucus vocat) fossa, quae communis antea duabus arcibus erat, interiorem, quae illuc usque pertinet, excludit. In eadem propugnaculum a Stephano Cyabio exstructum, qui primus auctor

dividendae arcis, Perinnio a se institutum reliquit perficiendum. Jam certa fama male ad Zolnochum gestae rei, magno cum terrore exinde impendentium malorum tum ad alios, tum ad regios duces, qui Agriae in praesidio erant, pervaserat. Post tot amissas urbes, tot arces, tot acceptas alias super aliis clades, unam superfuisse arcem Zolnochum, quae situ, opere, tormentis, commeatuum omnium copia inexpugnabilis, barbari victoris cursum tum sua virtute, et felicitate, tum nostrorum afflicta fortuna superbi, retardaret: eam, quo detrimentum, domestici dedecoris accessione esset majus, non hostium virtute, non tormentis, non obsessorum inedia, non fame, non patientia malorum, quae ultima obsessis impenderent, sed eorum aut ignavia, aut perfidia amissam, in quibus quin haereat aut inertiae, aut proditionis nota ... quidem audeant recusare. Atque alia mala, quae ad eum diem ungari essent passi, aliis minus ferenda, levia Ungaris fuisse prae iis, quae tristia, funesta, memoriae posteris exsecrandae iis in posterum fata portenderent, quibus obsistere nullae hominum vires, consilia nulla possent. Per eas clades, atque aerumnas, quas ad eum diem pertulissent, asvevisse Ungaros majoribus ferendis, quae imminerent; quibus, nisi antea aliis obduruissent, non essent par animorum robur allaturi. Sed cum hae aliorum essent querellae, tum multo erant Agriensium justiores, quibus, amissa Zolnocho, quae tamquam compedes videretur hosti injectura in Agriae exscidium imminenti, nihil certius erat, quam illum primoquoque tempore, victorem exercitum Agriam adducturum. Augebat horum suspitionem, per missa auxilia Teifelio, extenuatum praesidium, quod minime verisimile erat hostem fugere, qui de captivis, quos

multos haberet in potestate, hoc cognoscere potuisset. Quae cum ita se haberent, Agriensis magistratus, et penes quos in civitate erat summa rerum administratio, delectos e suis ad regem Ferdinandum mittunt, qui eum, quo in statu res sint, doceant. Nihil certtus esse, quam barbaros duces, multis rerum successibus elatos, redacta in potestatem Zolnoczensi arce, Agriam ducturos, quae quidem majoris ambitus, quam, ut tenui praesidio defendi posset, et majorem numerum militum postularet, et ad militem alendum commeatuum copiam majorem, quae ne in tanto suo et totius regni periculo, diutius quam aequum esset, Agrienses desiderarent, minime committendum videretur. Jam tot urbibus, atque arcibus, barbaros potitos, per certam rerum seriem, tum Agriam, mox ubi eam ditionis suae faciant, ulterius progrediendo victricibus armis Viennam Austriae caput petituros. Neque illi vero ad Ferdinandum solum, sed et ad Agriensem episcopum, et ad alios regni principes mittunt, qui Agriensibus adductis in rerum ultimum discrimen opem ferant. Jam et illud actum, ut ad certam diem e vicinis locis, quae ejus comitatus essent, Sixum conventus indicerent, in quo de communibus rebus, veteri more, atque instituto ageretur. In eo conventu, Stephanus Meczkeius, pro sua in patriam pietate, populares adhortatur, ut laboranti in magnis rerum angustiis, opem ferre in animum inducerent, ita existimare debere, non pro agriensibus se, sed pro communi salute arma sumpturos, quam separatam ab illis minime haberent. Si, quod omen deus averteret, orto belli incendio Agria conflagraret, ad eos ipsos, qui procul a periculo abesse viderentur, continentem flammam perventuram eo majore cum terrore paventium, subito malo magis opprimeret a re-

bus omnibus imparatos. Que cum vere, et pro ejus ratione temporis prudenter dixisset, retulisse responsum fertur, neque tam salutari adhortatione dignum, neque iis ipsis ... m adeo, quibus ita responderi visum esset. Non videri magni hominis esse, susceptam, melioribus rebus, defendendam arcem; cum fluere adversae coepissent, desperatione suarum virium, ad aliorum confugere, adjecto populari proverbio non sine maledicti aculeo: qui vorasset carnes, ei quoque jus absorbendum. Tam foedum responsum Meczkeius iniquo animo tulisse fertur, neque sua magis, quam eorum ipsorum caussa, qui salutaria monentem tam contumelioso responso rejecissent. Ita re infecta conventus dimissus, et Meczkeius Agriam reversus est, qui auctor suis, ut, desperatis provincialium auxiliis, secundum dei immortalis opem, spem omnem in domesticis viribus sibi statuerent ponendam, haud desperandum de Ferdinandi providentia et consilio censebat, qui unam esse, atque eandem Agriensium caussam et regni universi intelligeret; quod quidem non esset passurus una cum Agriensibus labefactatum convulsumque concidere. Ita Agrienses,confirmatis animis,e suae ditionis oppidis,atque iis subjectis pagis,quae bello idonea sint,et tuendae urbi, studio acerrimo parant, atque ad urbanam militiam, quae ducentis equitibus, totidem peditibus constabat, queque publicis vectigalibus alebatur, octvaginta addunt, simul edicunt, dimissis cum cura, qui in circumjectis pagis atque arcibus edictum promulgarent, ut qui ditionis Agriensis essent, cum conjugibus, et liberis, quae cariora haberent, in arcem comportarent. Id actum optimo consilio: simul enim suis prospectum, qui ubi in agris manerent, praedae hosti essent futuri; simul consul-

tum civitati, quae per hanc rationem, propugnatorum numero aucto, et quidem quorum apud se pignora haberent, ne de eorum fide esset dubitandum, firmiore praesidio adversus hostem niteretur. Praeter hos e pagis equites quadraginta acciti et pedites centum, ferreis fistulis instructi. Quibus administrandis dum magistratus cura acriore animum intendit, litterae a Ferdinando afferuntur, quibus solatus auxios de communi salute jubet bono animo esse: missurum propediem cum delecta equitum et peditum manu, rei militaris peritos duces, quorum sibi fides, atque animi magnitudo cognita sit; interea, quod nihil de summa cura remittant procurandis iis, quae usui futura gerendo bello existiment, illos pro eo, atque eorum fides, et constantia requirat, magnopere collaudat, et ut cetera porro eodem studio administrare pergant, adhortatur. Neque oratione, quam re prolixior, Gasparem Peteum, Stephanum Zoltaium, Gregorium Bornemissam magni consilii homines, atque industrios, cum ea equitum, et peditum manu, quibus praeerant, ire Agriam extemplo jubet. Nam Bornemisza delectos cum cura pedites ducentos quinquaginta; equites quindecim Peteus, totidem Zoltaius, angustiis temporis, quae longiorem moram non ferrent, quominus multos cogere liceret, exclusi adduxere. Neque deterritus eorum pertinacia, qui in proximo provinciae conventu, Meczkeio poscenti auxilia negarant, ad civitates, quas liberas vocant, litteras dat, quibus imperat, ut censu habito delectu conscriptum militem primo quoque tempore eodem mittant, in afflictis rebus, nullius vacationem a belli munere sibi admittendam existimantes. Valuit regis auctoritas paullo ante in Meczkeio contempta apud suos, vi temporis extorquente, ut non

statueret sibi rex gravius in contumaces vindicandum. Salutare vero consilium, dissimulare nonnunquam laesam imperii majestatem, quam tueri non semper in manu imperantium est; sed in parentium imperio, qui ita videntur fallendi, ne vi expugnatum, sed datum a volente credant, quidquid illis sit de summo jure imperii remissum. Hac dexteritate Ferdinandus usus, et nobilitatem simul, et multitudinem in fide continuit. Adnixi studio, et sedulitate, quam equitum, quam peditum ad mille quingentos ad bellum miserunt, ut tota summa mille nongentorum sexaginta essent; e quorum numero clam nonullos dilapsos Sambucus tradit. Octingentos, atque unde triginta milites contulisse liberas civitates Forgatius affirmat, qui ingenti cum fortitudinis et constantiae laude, pari gloria Ungarici nominis, centum sexaginta bellatorum millium oppugnationem sustinuerunt. Eo quidem majus Ungarorum decus, quod nulla exterarum gentium auxilia, quae de eorum gloria quidquam delibarent, rem gerentibus affuerunt. Duces duo Stephani Meczkeius, et Dobo, atque hi quidem, penes quos summa rerum spectabat; quorum quanta virtus, et constantia fuerit, belli eventus declaravit. Praeter eos, eodem nomine tertius, Stephanus Zoltaius, Gaspar Peteus, Georgius Deacus, Joannes Figedius, qui honestiores militiae ordines duxerant, quibus multis fortibus factis claris, magnam nomini accessionem gloriae addidit patria, quae jam adducta erat in ultimum rerum discrimen, e belli faucibus erepta. In primis data opera, ne quid deesset, quod suo sponte invictos animos, id quod Themesvarii acciderat, a re gerenda retardarent. Nam et ferrarii fabri, et materiarii acciti, qui ad repentinos usus institutam fabri-

cam haberent; tum medicae rei periti, atque ex iis maxime, qui manu medentur, ad saucios curandos, quos chirurgos vocant. Pari diligentia curata res frumentaria, atque ex iis, qui cum liberis, et conjugibus in urbem confugerant, delectae mulieres, quae panem facerent, tum lanii, atque opifices alii omnis generis. Omnium maxime illud actum, ut essent, qui pro patria, et sanctissima religione pugnantes, monendo, adhortandoque ad gerendam rem incenderent, et sacris procurandis praeessent, ne, otiosa multitudine alenda, gravior annona cresceret, e magno numero sacerdotum, duobus modo retentis. Missae interea a barbaris ducibus Agriam litterae, quibus dedentibus se spem certam salutis facerent; ferociora consilia iis, quae salutaria essent, praeferentibus, quae mala, atque aerumnas victi ab irato victore exspectarent, per omnia crudelitatis exempla denunciarent. Litterae, concione advocata, palam lectae, et mox ad Ferdinandum missae, caduceatore in vincula conjecto; cum in barbarum immanem, et nullam fidei atque officii religionem agnoscentem, non esse gentium jura servanda vulgo milites clamarent. Inde magno omnium consensu duces in novas leges, quas Vngari scriptores ajunt sangvine perscriptas, ad ciendam animi ferociam in armatum hostem, militem adigunt, sua sponte alacrem, et caput, horrendo carmine diris devoventes, si contra, atque iis esset praescriptum, pavoris, et formidinis ergo, loco cederent pro muris pugnantes, inirent a ceteris separata consilia, mentionem dedicionis facerent, vocem, signum ullum ederent obsidionis tempore, quod indicio esset, aut a ducibus colloquium expeti, aut fatiscere milites de animi magnitudine, et pectorum robore in propugnatione

remittentes. Iam illud severe sancitum, ut qui horum quid admisisse convinceretur, paenas ultimo supplicio lueret; quo spes omnis veniae praecidiretur, eadem irrogata poena, qui pro his verba facere, adesse caussam dicentibus, ulla ratione suffragari auderent. Cautum postremo, ne quid ab hoste manaret, quod sollicitaret animos bene inter se consentientes, ne in postremum ullae ab hoste missae litterae legerentur, et ut, qui eas attulissent, cum iis vivi exusti alios a tristi functione muneris deterrerent. Addit Sambucus, inter ceteras leges, vetitum, ne coetus ullos cogi, nisi de ducum sententia, et palam, neu loqui in aurem cum aliquo private, nec publice rei caussa cuique liceret, gravi animadversione in tanto momento gerendarum rerum militari licentia coercita. Illud enim constabat inter omnes, in ea urbe conservata, regni salutem; in prodita hostibus, cum regni exitio Christiani orbis universi, ruinam atque exscidium conjunctum. Itaque non tacita admurmuratione sed acclamatione, et multorum plausu ingenti tum comprobatae leges, tum duces collaudati, cum certatim voces illae audirentur. Enim vero et recte, et sapienter factum, ut, propter nonnullorum ignaviam, eas leges duces perscriberent, quas sua sponte sibi indicerent viri fortes. Ita olim male rem gestam ad Ezechum Catianero duce, ad Szegedinum Aldana, et mox Lippae, quae per summam inertiam, atque indignitatem, esset hostibus prodita; ita ad Palastum Teifelio, mox ad Szolnokum aliis. Atque alias communem cum aliis gentibus Hispanis, Italis, Germanis Ungaros habuisse, in utrumque eventum, et nequitiae dedecus, et fortitudinis laudem: nunc externo nullo milite gloriae socio admisso, quasi in pulcherrima scena, in nobilissimae urbis praesidio, pro gentis gloria, quam sae-

pe exterarum gentium colluvio contaminasset, staturos; scilicet, ut aequi, atque iniqui intelligerent, invictam Ungarorum militiam semper futuram, quam quidem non aliunde accensita auxilia, sed insitum robur animis et domesticae vires tuerentur. Darent modo operam, qui vere Vngari, vere milites, viri essent, ut servanda patria, et majorum gloria vindicanda ab infamia, et dedecore, nihil minus, quam legibus se indigere ostenderent; quas quidem necessarias sibi segnes, atque inertes requirerent, viri fortes rejicerent; qui ipsi suo exemplo leges aliis esse, pro patria pugnando in acie, vulnera adverso pectore accipiendo, mortem appetendo consvevissent. Quibus rebus ad hunc modum constitutis, cum jam hostes appropinqvare dicerentur: duces, belli munera inter se partiuntur, ita sperantes in urbis oppugnatione, rem ex sententia successuram, si his administrandis, singuli, quae sibi essent praestandae partes, nossent. Meczkeius sibi certam curam sumpsit, qua usus postularet, pugnando fessis subsidia summittere, quam curam summa cum fortitudinis, et constantiae laude praestitit. Quattuor institutae subsidiariae cohortes, quarum quidem duabus ipse, reliquis Gaspar Peteus, et Gregorius Bornemisza praeerant, magni animi, et consilii homines; quibus jussi duo adesse viri aeque impigri, atque industrii Stephanus Zoltaius et Joannes Figedius, cum iis militibus, quos ipsi ad bellum voluntarios adduxissent, militum genus, quos gloriae cupiditas, una vitae merces proposita viris fortibus, non menstruum stipendium ad arma impellit. Atque ita quidem subsidia partim in exteriore, partim in interiore arce distributa. Doboni tormentorum, et munitionum cura mandata; ut si qua muri quassati tor-

mentis collaberentur, ducendae fossae essent, excitandi aggeres, cuniculi agendi in hostem, hostium excipiendi, cum operis harum rerum periti homines praesto essent. Ad hunc maxime modum rem actam Forgatius, secus Sambucus ait. In arcis interioris foro medio equitem turmas aliquot, quae ducentorum septvaginta numerum explerent, constitutas, ac peditum delectorum cohortem, quibus omnibus Joannes Vaida ita praeesse jussus, ut equitibus Dobo, peditatui Ambrosius Zadornichius praeesset. Iam in alterius arcis foro, pari virtute, qui praesidio essent ad ducentos et viginti collocatos, quibus praefectos Georgium Ivani, et Antonium Blascho Janischo; ut tamen summa imperii penes unum Meczkium respiceret. Tertium militum agmen, ad centum numero, praesidii caussa, ante exterioris arcis portam in statione positum, quibus Gaspar Peteus, Petrus Antonius Kys Gomerensis praeerant. In postremo agmine, quod in eadem arce, alia in parte adesse placuerat, ducentos quinquaginta tres dispositos, quibus Gregorium Bornemiszam praefecerant, et qui eundem auctoritate aequarent, magnis rebus gestis parta, duo Nagy cognomento Antonius, et Albertus, Stephanus Zoltaius, et Joannes Figedius. Dobonem tormentis et munitionibus praefectum, a Forgachio non varians Sambucus tradit. Iam praemissi ab Ali Bassa aliquot levis armaturae equites Maklar (loci nomen est) V. Id. septembris pervenerant, atque e nostris, qui ab agriensibus missi explorandi caussa temere palati huc illuc vagabantur, duo excepti, et ad ducem perducti, a quibus de nostrorum consiliis cognosceret: duo fuga elapsi, de barbarorum adventu certi nuncii nostros docuerant. Qui quidem jam glo-

riae cupiditate incensis animis Cassoviensem praefectum, spectatae virtutis hominem, cum certo equitum ac peditum numero mittunt, qui dissipatos deimproviso adortus, aliquot excipiat, a quibus discant, quae eos non ignorare permagni ad summam gerendi belli interesset. Postridie ejus diei Ali Bassa cum omnibus copiis, quas ducebat, advenit, nonnullis ex Achmatis exercitu admixtis, qui clam se a signis subduxerant, et Ali erant secuti. Totus numerus ad triginta quinque millium. — Quod quamquam ita esset, non ob id tamen nostri animis deficiunt, quo hostium major numerus ferretur, eo uberiorem materiam ad illustrandam domesticam virtutem, et fortitudinem suppeditatum iri arbitrati. Itaque facta a ducibus pugnandi potestate, Zoltaius, Peteus, Figedius, Stephanus Feketeus, homines et genere et rei militaris peritia clari, secum ad nonaginta equitibus assumptis, occupatos castris ponendis hostes, magno impetu adoriuntur, atque ingenti edita caede, onusti praeda in urbem redeunt, Barbaris eorum virtutem, atque audaciam admirantibus. Locus castris locandis ad infimi collis radices delectus, quam sedem regiam vocari diximus, quae ad Nemtium, late circa regionem complexus, produxit. Neque minus nostri intenti parandis iis, quae tolerandae oppugnationi essent; fastigia domorum, si qua essent, quae inter hostes, et obsessos media interjecta officerent, quo minus certos ictus in hostes dirigerent, dejicienda curant. — Eodem consilio itum obviam incendiis est, praeter tormenta, in tecta domorum barbaris jacere assvetis, faces, taedasque ardentes, et alia missilia varii artificii, haud dissimilia phalaricis, quibus fuso per scandulas igni in subjectas contignationes, ad solum us-

que omnia conflagrarent. Inde Ali Bassa loci vitio, quam castris ceperat, animadverso, cum nostris inprimis opportunus esset, de superiore loco tormentis tela emittentibus, suos tria e majoribus tormentis subvehere in collis verticem, atque exstruere vallum, quo tutus ageret a nostrorum telis, magna adhibita celeritate jubet. Quo perfecto per quinque dierum spatium, nullo intermisso horae momento in adversos nostros, pilas ingentis magnitudinis emittere muralibus tormentis non cessavit, non tamen magno cum usu. Quidquid enim per diem prorutum tormentis erat, quietis tempore nostri reficiebant, tanta alacritate animorum, ut ipsi ultro inter se cohortando, minus iis, quorum certum hoc munus esset, necessarium facerent. Neque interea a nostris cessatum est; nam et tormentis emissi globi ingentes, quibus hostium tormenta aliquot corruperunt, rotis, vectibusque, quibus conclusi subvehebantur, diffractis. Iisdem fere diebus Arczlambekus, unus e barbaris ducibus, ad Divae Virginis castris positis, ne qua pars murorum intacta a pulsu tormentorum vacaret, totum urbis ambitum complexus tormenta disposuit. Qua re nostri animadversa, occupatos in opere, eruptione facta, adoriuntur, neque id quidem impune. Janiczeri enim id, quod accidit, futurum suspicati, cum se loco ideneo in insidiis collocassent, subito facile multi paucos loco pellunt, atque se recipere in arcem cogunt, Stephano Budahacio ictu ferrae fistulae interfecto, Michaele Horvato equo dejecto. Interea barbarorum copiae in dies augebantur, aliis super alios advenientibus, neque tamen ut propterea minuerentur nostrorum animi. Nam et lacessere eos levibus proeliis audebant, et, si quando ex arce, aquandi caussa, egrederentur,

ita compositi et servatis ordinibus incedebant, ut, nullo accepto detrimento, saepe multis ex hostibus interfectis, redirent. Iam et Mahemetes Graeciae Belerbegus, et Achmates cum reliqua exercitus parte advenerant. Quorum ille opportuno loco, quem Tihemer Ungari vocant, Achmates in ferarum septo, ultra parvum amnem consedit. Nam Janiczeri, quorum erat non contemnendus numerus ad montis latus, qui Al Maghiari vocatur, constiterunt. Longe, lateque explicata castra, ingens terrarum spatium emensi hostes barbari, per colles, atque inter illos interjectas valles disposuerant. Quorum aspectu minime nostri territi, ita se animis comparaverant, ut de nulla re alia magis essent, quam de victoria securi. Nam et ante Achmatis adventum, numquam claudi portas erant passi, et ad fiduciam ostentandam, etiam si in arce non deerat aquae facultas, aquatum exibant, levia proelia cum hoste ferentes. Sambucus quidem tertium etiam post ejus adventum diem, portas patefactas habuisse affirmat. Ac cum aliorum omnium copia erat, tum optimo consilio, ne diuturnior obsidio vim pulveris majorem absumeret, improbato majorum tormentorum usu, minoribus uti placuit. Interea hostes vallo, et fossa munitis castris, ac certis spatiis turribus excitatis, unde jaci ignes, malleolosque in propingua urbis loca liceret; insignibus detrimentis, quod necesse erat, tormentis ingentes pilas emittentes, quibus magno pere abundabant, afficiebant. Tria quidem muralia advexisse dicuntur, quarum singula pilas quinquaginta pondo jaciebant, tum quas colubrinas vulgo milites vocant, ingentis emissionis omnes, undecim numero praeter minorum tormentorum magnam vim, quae intra aggreres, et castrorum munitio-

nes abdita, e certis locis in nostros dirigebantur, numquam fere non letali jactu. Quibus ne essent nostri opportuni, duces, fossis valloque productis, agminis ordines producendos in exteriorem arcem atque in ea vigilum stationes collocandas curarunt. Inde barbari igneos globos, pice et sulphure incluso, tum faces, malleolosque atque alia genera telorum, quae solers hominum industria suis excogitandis malis invenit, machinis intorquere in stabulorum tecta, et si qua alia loca essent, igni concipiendo aptiora, intorquere coeperunt. Quae res ne obesset, a Dobone provisa, ut antea commemoravimus, minus quam speraverant, hosti successit. Neque vero solum diruta tecta, sed quae intra ea servarentur, foenum, stramen, pabulum equorum atque arida alimenta ignis habentur, aut pecori projecta, aut alio modo corrupta, ne quid inde incommodi, quod maxime barbari moliebant, acciperetur. Jam, ne superata nostrorum industria, alicubi ignis conceptus haereret, cilicia, centones, et madida coria, quorum magnam vim Dobo comparaverat, praesto erant, quae injecta ignem restringuerent. Magno inde studio Achmates, qua regiarum aedium muri exstabant, tormenta opponit, ac muros verberare aggreditur, spe concepta, per stratam ruinis partem, in urbem perrumpendi. Sed quo ille spe frustraretur, objectus exterior murus interiori efficiebat, qui prior erat demoliendus. Quod cum minus procederet; parte alia murum ad veterem portam pertinentem hostis adortus, sua sponte parum validum, crebro pulsu tormentorum quassatum aperit, sed haud secundiore, quam cetera, eventu. Praesto enim erant Dobo, et Meczkeius cum suis, qui, qua muri pars procideret, admirabili virtute, et constantia instaurarent, humo

oppletis cratibus, et varia materia globis tormentorum aperta obstruentes, magna cum hostium admiratione, quorum impetus, conatusque omnes non ita multorum industria, sedulitateque eluderentur. Jam et tentata tormentis regiarum, quam vocant porta, non sine spe voto potiundi, quod ipsum tamen irritum cecidit a nostris in subterraneis cellis impositis tormentis, quibus Turcas irruptionem tentantes summoverent. Ea re gerenda desideratus Blasius Nagy, vir spectatae virtutis, cum curule tormentum, majore immissa pulveris vi, quam illius captus ferret, fractum dissiliens in partes diversas, eum sustulisset. Eadem nostrorum constantia instaurando veteris portae propugnaculo, quod redeuntes hostes tormentis straverant: quae potuisse a nostris praestari, per tredecim perpetuos dies, quibus tormentis utrimque certatum est, vix posteris credibile videatur, nisi praeter Ungaros scriptores, multi adhuc testes supersint, qui rei gestae faciunt fidem. Angebatur interea animo barbarus dux, desperato belli eventu; qui nisi laetus succederet, in iis, quae ad eum diem ex sententia gessisset, parum praesidii ad placandum superbum Solimani animum intelligebat. Nam, cognita nostrorum constantia, vix poterat sibi persvadere, passuros illos ullis condicionibus se ad urbem dedendam perduci. Quod quamquam ita se haberet, semel adhuc tentare eorum animos, misso caduceatore, qui simul litteras afferret, et cum iis de pace ageret, constituit. Quem quidem, in ignem litteris conjectis, cum ne eas quidem resignassent, multis modis excruciatum, praecipitem in fossam deturbant, manibus, pedibusque ferro vinctis. Ita tentata frustra res, et fiduciam nostris, et hostibus terrorem auxit; qui nisi dux melioris even-

tus spem omnem deploratam haberet, non credebant ad ea consilia, quae Turcis postrema essent, ut victi metu priores pacis mentionem facerent, descensurum. Ergo, aliis omnibus improbatis consiliis, nullum tormentorum usum experti, expugnandis Ungarorum animis; militum vi aperta, et cominus conserta pugna aggredi ad omnia alia invictos constituunt. Adjuvabat barbarorum consilium, cum militum multitudo, qua superiores in urbis expugnatione erant futuri, tum quattuor in locis facta murorum labes; ut non esset desperandum, quidquid reficienda Ungari tumultuario opere curassent, non magno conatu adnixos, aditum sibi in urbem patefactorus. Nam et ad regias aedes murus prorutus in interiore arce, et ad turrim, qua duo coeuntes muri angulum efficiebant; tum ad Bebechianum propugnaculum, et postremo ad veterem portam, cujus erat tormentis propugnaculum labefactatum. Sed quo inde certius periculum imminebat, eo nostri intentiore custodia, Bornemisza, cujus haec provincia erat, milites ad rem gerendam adhortante, omnes hostium conatus retardabant. Tertio kal. Octobris, qui est dies Michaeli sacer, urbs oppugnari coepta, duo de triginta cohortibus ad muros adducti, quas per noctem intra aggeres duces instruxerant. Ita barbarbari ingenti clamore, atque ululatu, scalis muros scandentes, cum vera nostrorum virtus, vana spe nitentes facile vinceret, inutilem eorum multitudinem efficerent murorum angustiae, coacti primo referre gradum, et mox e muris sunt deturbati. In eo certamine Georgius Gulaius ferrea fistula globo emisso est interfectus, cujus eo gravior jactura, quo pridie ejus diei in Thoma Polichio, majus erat detrimentum acceptum, a Janiczeris, ad turrim, quam Angularem

Sambucus vocat, interfecto. Virum impigrum ac magni animi fuisse illud documento est, Polichianam turrim ab eo exinde vocatam. Is Bardensis praefectus, auxiliis praeerat, quae liberae civitates Agriam miserant, cujus rei jam mentionem fecimus; hominis quidem virtutem et fortitudinem ungari scriptores laudibus efferunt in coelum. Turcae interea, quamquam multis partibus ingentem murorum ruinam ediderant, nostrorum fiducia, atque audacia deterriti, non auctoritate, non adhortatione, non precibus, non minis adduci poterant, ut ad muros redirent. Semel ad veterem portam turri occupata, cum aliquot e nostris cecidissent, multitudinem veritus Dobo, vetus miles, et qui intelligeret paucorum temeritatem, si quid inconsulte ageretur, multorum exitio luendam, receptui canit, atque intra aggeres suos reducit, in quorum summa parte dispositis tormentis, barbaros, qui turrim occuparant (prostratos) atque ictibus ...tos petebat. Ita muris dejectis, cum eorum edita magna caede nihil illis spei ad salutem reliquisset, turrim deserere, ac se retro in castra referre coegit. His proeliis e nostris aliquot desiderati, in quibus magni nominis Emericus Nagy peditum ductor, et Joannes Posgaius; Gasparem Peteum in pedem vulnus acceptum, quo minus liceret rebus gerendis interesse, aliquamdiu a certamine avocavit: cujus locum Franciscus Vitéz tenuit. Postridie mane, quam haec sunt gesta, firmata a Meczkeio interiore arce novo militum supplemento, barbari oppugnationem redintegrant, qua in meridiem insigni nostrorum virtute pari hostium pertinacia extracta, cum multorum utrinque esset secuta caedes, hostes se in castra receperunt.... barbari duces ad eadem... compositione consilio... ad eum diem irrita.... sent, animos

contulerunt, sperantes, jam multis acceptis cladibus, multis e sui amissis, in iis viris fortissimis nonnullis, et qui ordines duxissent, aliquid de animorum contumacia nostros remissuros. Ita scriptae litterae eodem argumento, neque lectae a nostris, cum pristina consvetudine partim igni cremandas, partim novo genere contumeliae, nuncio vorandas, invito et detrectanti, mali metu coacto tradidissent. Rogatus inde nuncius, quae in mandatis haberet, et quo argumento scriptae litterae essent, Arczlambegum scripsisse literas ait, cujus hoc esset argumentum. Aliquando finem pertinaciae faciendum; qua quidem tentari Solimani imperatoris animus posset, superari non potest assvetus vinci magnitudine animi, condonandis injuriis, clementia et benignitate in fidem victis accipiendis; sublevandis miseris; non virium ferocia, non armis, non tormentis, a quibus illum scirent gerere animum invictum. De cujus fide ne possent dubitare, obsides idoneos, duces daturos, quibus iis caveretur, quae se dedentitibus sponderent, cum fide praestaturos. Nam ne qui Losonczy exemplo a sanioribus consiliis deterrerentur, illos non fugere sua illum culpa non Turcarum perfidia interiisse, in quorum potestate positus, ausus esset, educto gladio, in illos facere impetum; quo nihil injustius excogitari posset; certe nihil temerarium magis. Ac ne quid fraudis subesse in tota tractatione de pace suspicarentur; duces retro conversis signis, cum universis copiis ad tertium ab urbem lapidem cessuros. Eas autem conditiones deditorum futuras: passuros milites sub signis, militari more, cum impedimentis exire, si qui essent, qui hoc mallent, facta potestate in Solimani castris uberiore etiam, quam consvevissent, stipendio militandi. Iam

quo aequiore animo Agrienses se imperatori dederent, polliceri se arcem eversuros, ut ab omni securi metu, suis legibus, institutisque, nulla in re eorum imminuta libertate, uterentur. Cum nulla barbaris in nostros consilia procederent, nec exitus maneret apertus, vi agentes et molientes per occultas fraudes exitium, scelerati hominis facinus omni memoria detestandum in spem certam urbis potiundae, quam jam haberent deploratam, erexit. Erat Staphanus quidam Hegeduus nomine, uni ex urbis custodiis praefectus, qui a Georgio Seredio nobili homine missae peditum cohorti praeerat. Is cum forte progressus, qua murus ictu tormenti erat laceratus, hostium crebras voces exaudisset, nostros ad deditionem adhortantium, cum praemia ingentia, flecti se patientibus proponerentur; nonnullis sociis consilii assumptis, quos non abhorrere a scelere, ex aliis aeque foede, et scelerate admissis speraret, transire ad hostes, et iis prodere vrbem constituit, quaestuosum flagitium, victoriae multo sangvine, et vitae discrimine parandae, praeferendum arbitratus. Nam si quid praemii ex devicto hoste extaret, id omne penes duces futurum, qui partae victoriae, constantia, et fortitudine militum, essent fructum omnem relaturi, honoris insignes titulos, arces, pagos, latifundia, regis exigno donativo, in speciem militi objecto, cujus in illum immortale meritum esset. Quando miserorum venalis sangvis, venalis vita esset; iis addicendam, qui hominum merita, non ex majorum statuis, et imaginibus, quibus inertes homines tumerent, sed ex virtutis documentis multis, atque insignibus, aestimarent, quae non majorum nobilitate cresceret, sed obscuris genere, ubi conspiceretur, nobilitatis splendorem afferet. Haec cum mul-

tis communicata, aegre silentio tegi potuissent, raro, in paucis etiam diu fide et constantia vigente, ad duces perlata, omnium animos terrore implevit. Inde a Dobone, et Meczkeio de consilii sententia reus captus, et tormentis subjectus, cum ordine, quae essent acta, exposuisset, sociosque indicasset, ne de multis supplicium sumptum eorum, qui intacti a sceleris contagione essent, animos frangeret, in suis requirentium fidem; neu plus exemplum multorum ad aemulandum scelus, quam ad deterrendum a scelere valeret, quaestionem coeptam de conjuratis placuit finiri unius suplicio contenti, sex quorum amentia emineret, insigni infamiae nota, auribus praecisis. In locum Hagidei, qui custodie praeesset, Emericus Pribecus suffectus. Per idem tempus, ne quid deesset, quo obsessorum animi fatigarentur, unius scelerati hominis taetrum facinus, alia gravior secuta clades, in majoris aedis sacrario, quo loco pulvis tormentarius servabatur, fungus siccatus, e multorum acervo, quorum ad tormentorum incendendorum usum magna copia erat comparata, (quo casu non traditur) comprehensum ignem in pulverem, qui non longe aberat, immisit, quo et sacrarium ab imo solo ad supremum usque templi fornicem, et proxime templo munitiones omnes conflagrarunt. Foedum per se casum funestiorem reddidit mox aliquot virorum fortium secuta mors, in his Pauli Nagy, quem Georgius Bathor cum peditum manu auxilio miserat obsessis, et Gregorii Horvati, qui ictu fragminis, sive tigni, sive lapidis avulso brachio, paulo post est mortuus. Eodem ignis impetu duae frumentariae molae in multas partes diffractae, quarum complures homines, jumentaque ablata. Casu tantum acceptum incommodum, ut humana

fraude invectum crederetur, recens conjuratorum detectum scelus fecit. Iam et amissio pulveris, pavore ingenti vulgo milites terrebat, quasi inde esset defutura obsessis, se defendendi, hostes propulsandi facultas. Qua re animadversa, duces praesentibus animis, militum stationes obeuntes, stupore defixos excitare ad pristinam virtutem capessendam animis, non magnum docere acceptum detrimentum, adhuc superesse pulveris magnam vim, ut modo sui, modo patriae pergerent esse memores, non esset de victoria dubitandum. Adesse, quemadmodum consvevisset, viris fortibus dei immortalis propitium numen, quo praesente, et sceleratorum hominum esset compressa fraus, et casus violentia superata ; ut non tam dolendum videretur ex accepto incommodo, quam diu agendae gratiae, quod non magna jactura docti essent,(ad) accuratius,vigilantiusque custodias obeundas. Nam cetera,quae ad externam vim propulsandam, praestari ab homine possent, modo metu ne deficerent, cujus nulla esset caussa dei beneficio, integra et vegeta esse, animi magnitudinem, pectorum robora, virtutem, constantiam, quam quidem casus et hominum occulta consilia percellere, evertere nulla ratione possent. Hac ratione confirmatis militum animis, eadem alacritate reficiendis iis, quae aut amissa, aut corrupta erant, se convertunt, atque e duabus frumentariis molis, collectis tignis, asseribusque, quae incendio superfuerant, unam instituunt. Iam ad tormentorum usum magna sulphuris, magna salis nitri vis, ut nunc vulgo appellant, contusa, atque ex his, pulvis tormentarius, magna celeritate adhibita, effectus. His omnibus agendis qui praesset, delectus Benedictus Sigismundius, vir impiger,atque industrius. Interea hostis, ex nostrorum casu, concepta spe bene gerendae rei,

cum qua muri erant globis tormentorum perfossi, nostris egressum, atque ingressum liberum patere animadvertisset; e regione portae directis tormentis, eos exitu prohibere instituit. Quo hostis consilio cognito, nostri ab ima muri parte cuniculis actis, aeque facilem sibi, atque expeditam viam sive egredi, sive regredi, aperuerunt. Qua in re administranda, cum nostri occupati, omni ex ea parte frequentes essent, qua barbari copiis infestam reddiderant; duces arbitrati metu territos stationes suas deseruisse, majore impetu instaurare oppugnationem constituunt. Ita ad Majoris Praepositurae aedes, ut vocant, excitato aggere, in eo obversa in nostros tria maiora tormenta collocant, atque inde turrim quatere, qua ad occidentem solem vergit, et contingentia aedificia, lateraque regiae domus incipiunt, eodem tempore propugnaculum praevalidum, in quo carcerem aedificatum diximus, verberantes adeo acri impetu, ut multis partibus muro aperto, in forum ultro, citroque euntes introspicere liceret. Neque cunctati, qua per rimas quassati muri facultas dabatur, ferreis fistulis immissis, et vario missilium genere, quibus ignis fomenta inclusa latebant, in objectas fori tabernas ignem injiciunt, majore audacia, quam usu. Nostri enim ingenti fiducia, atque alacritate animorum, eo comportata cruda coria, centonesque et cilicia, quacumque muri fecerant labem, opponunt, ac contra regiam sedem, humo et materia e proximis locis comportata, aggerem pari usi diligentia, et celeritate instituunt. Qua nostrorum constantia, et magnitudine animi, non solum hostium conatus, minaeque fractae, sed plane victi etiam militum animi, cum quidem non se cum natis hominibus, quorum non crederent esse tantas vires, sed cum deorum

numine pugnare existimarent, qui hostibus consilium, atque audaciam perditis rebus, suis formidinem pavoremque immitterent, ne subnixi tantis copiis, tormentorum telorumque immani apparatu, vincere (Hun)garos omnibus, praeter unam virtutem, inferiores, sperarent. Quae quamquam ita essent; adhortantibus ducibus, ut reciperent a pavore animos, ac, densatis scutis, ulterius gradum inferrent, ubi paullum adniterentur loco potituri; jam confirmati adhortationibus progressuri videbantur: cum subito nostri, qua cuniculis apertum aditum diximus, erumpentes, in confertos et densis scutis tectos, ut duces praeceperant, faciunt impetum, ac disjecto scutorum ordine, fusos, dissipatosque repetere castra coegerunt, nonnullis primo impetu amissis, qui audacius nostrorum impetum excipere sunt ausi. Neque tamen nostris victoria incruenta. Colomanus Porcolabus, qui cum Philippo Demetrio auctor rei gerendae fuerat, accepto letali vulnere, et mox quem sibi substituerat, Michael Gasparithius, spherula trajectus emissa ex ferrea fistula interiit. Nam Philippo, ne solus minus sustentandae barbarorum impressioni esset, Joannes Zucanius, qui una rem gereret additus comes. Neque segnius tamen duces barbarorum se comparant animis. Callido consilio, quando minus procedebat aperta vis, ductam fossam sub vallum ab Heczeianis aedibus, clam vasis igne oppletis implent, ac multa humo tegunt, magna sibi spe facta, inde magno excitato incendio fore, ut muri subruerentur. Sed ludicrum ipsi, atque inane commentum, ne quid inde compendii, atque usus esset, prodiderunt. Quodam die mane stipitibus, virgultisque succensis, eo consilio, ut videtur, ut inde orta flamma, vasa in caeca fossa latentia conciperent ignem,

ex humida materia magna vis fumi exsiliens, nostris ad omnia intentissima cura vigilantibus aperuit dolum. Ita clam perfosso multis partibus muro, ut inde globos tormentis, spherulasque emittere liceret, facile inde nihil tale hostem exspectantem summovere. Neque illi tamen deterriti quidquam de ferocia remittunt, et contento impetu, in propugnandum invadunt, quod quidem in tumuli modum intus humo oppletum, exteriore ambitu perpetuo septo vallatum erat. Inde certatim septum deruere palos evellentes summa ope nitebantur; quibus evulsis, fractisque irrito incepto, simul vascula, quae pice, et sulphure erant referta, id quod accidere erat necesse, everterunt. Quibus nostri rebus animadversis, jam hoste summoto, catenas transversas, ne iis in posterum eodem facilis aditus esset, objiciunt, simulque supra arcis interioris portam, et oppidi aggeres tormenta convecta collocari jubent, barbarorum consilia, inceptaque omnia miris modis ludificantes. Ergo cum alia omnia barbaros duces deficerent, multitudine confissi, complere fossas, atque omnibus viribus oppugnare propugnaculum constituunt. Id antequam facere aggrederentur, contra nostrorum propugnaculum, quo iis inanem usum tormentorum ederent, vallum duci, assapis, aliisque omnibus accitis, qui idonei operi faciundo essent, summa celeritate jubent. Inde barbari culeos varia materia, fascesque, et si qua alia ad manus erant, in fossam conjiciunt, dispositis, qui e ferreis fistulis glandes emittentes loco consistere defensores prohiberent. Qui pari industria, et ferocia animorum freti, longuriis ferreos uncos affixos, tum machinas alias hamatas catenis appensas dimittunt, quibus e fossa injectos culeos in arcem extraherent, simul liquefactum se-

vum, picemque, tum frumenti manipulos igni succensos, facesque, malcolosque superne dejicientes, quibus misere barbari subjecti torrebantur. Neque tamen hostium duces, quamquam tot detrimentis acceptis, quidquam de pristina animorum ferocia remittunt, et militem multis verbis confirmatum ad Bebekianum propugnaculum adducunt, verisimili adducti conjectura, hostes, quorum esset perexiguus numerus, cum deesset facultas integros fessis summittendi, fracta ferocia cessuros. Hinc magno conatu tormentis propugnaculum verberare aggressi, brevi ita crates, quibus sepiebatur, concusserant, ut jam opus fatiscens, ruinam minaretur, suapte natura parum validum. Quod ne accideret, jam nostri provisa re, guerna transversa tigna funibus, et catenis ferreis revincta interiori operi adjiciunt, quo munimento fultum septum adversus ictus tormentorum staret. Et si enim crebris locis ictibus tormentorum perfoderetur, non ita tamen lacerabatur, suo ingenio ictui cedens, ut non satis validum esset interiori aggeri continendo. Inde nostrorum virtute cum hostium pertinacia certante, novo consilio duces barbari animum adjiciunt ac caesam ingentem materiae vim, jumentis, currubusque comportandam, atque ex ea faciendas strues multas curant, quibus ita fossae complerentur, ut in altitudinem justam elatae murum subeuntibus scalarum usum praeberent. Sed horum consilium, aeque callido commento, unus e regiis ducibus Gregorius Bornemisza elusit, vir spectatae virtutis, atque industriae, cujus supra mentionem fecimus. Is acceptas scandulas e domorum fastigiis, et in parva frusta concisas, cum fistulis ferreis ita paratis, ut, cum pugnandum cum hoste est, in vascula includit, quae in subjectos hostes incensa devol-

verentur, applicatis picis, sulphurisque manipulis, sevo, larido, aliisque ignis fomentis inunctis, ut cum saeviens flamma, exustis vasculorum involucris, ad interiora pervenisset, tum repente e fistulis, emissis glaudibus, Turcae intenti ingn restingvendo sternerentur. Neque secus accidit, quam Bornemisza praedixerat. Barbari nova re, atq e improvisa territi, cum exstingvendi facultatem aeciderent, emissi fistularum globi, quibus propius accedentes se opportunos praebebant, relicto opere fugiunt, fossas, vallumque repetentes. Inde cum pavore consternatos multis verbis duces solati essent, eos iterum ad propugnaculum ducunt, atque a duabus partibus muros quatere summa vi aggrediuntur. Unum e tormentis, quod magnitudine aliis omnibus praestabat, in labro exteriore fossae collocant, quam curaverant ducendam, credo, quod ad eam partem humo aggesta, altius attolleretur,sperantes inde certiore, ac validiore ictu propugnaculum quassaedeturos. Quod etiam si iis succeret ex sententia, ad summam tamen gerendae rei non ita magnum adjumentum afferebat: aggeres enim, jam die densata humo, ad quantumvis magnum impetum ferendum, etiam discisso vallo, et muro proruto, firmi manebant. Interea Bornemisza spe facta ex prioris machinae successu, quidquid novi excogitaret, ejus aeque laetum eventum secuturum, rotas curules faciendas curat, radiorum loco, fistulis tormentariis ab axe ad exteriorem rotarum ambitum perductis. Eas ab utroque latere asserculis tegit, quibus stuppam illigatam, pice sevoque illinit. Inde asserum tignorumque purgamentis, atque omni alia materia apta concipiendo igni, referciri aliquot dolia jubet, his insertis parvis fistulis, quas vulgo, non male, quod

pugno gestantur; pyxides vocant. Haec eodem modo, sevo, ac pice illita, injecto igni e muris evolvunt, quo casu parva inclusa tormenta, admisso igni, ingenti cum tonitru, ac fragore globulos ejaculantur, tanto cum pavore, et trepidatione barbarorum hostium, ut omnium praeter quam salutis obliti, deserto loco, ac tormentis praedae hostibus relictis, in fossas, vallumque praecipiti fuga sese abderent, ubi humi prostrati inconditis clamoribus, agnoscere se vero irati vim numinis clamarent, ab impiis, atque impuris hominibus flagitiorum, ac scelerum paenas expetentis. Neque tamen passi duces ita territos a pavore animum recipere, ad veteris portae propugnaculum adducunt, sperantes aliquando fatigatos nostros pugnandi labore, finem pertinaciae facturos; quae illos spes longe fefellit. Ergo ternis ductis fossis, quibus tectis ab tormentorum jactu, subire muros liceret, tribus lucis vallo dolabris perforato, cum satis aditus ad pugnam esset patefactus, conferunt pugnam, quae ne diu nostris iniqua esset nostrorum eadem industria perfecit. Ferrea spicula affixa longuriis, igni tosta per apertos aditus, ita, ut erant candentia, in subeuntes immittebant, quae, ut remitterent in hostem, collecta humo, mox ignito hastili urente magno cum dolore attrectantium manum, abjicere cogebantur. Interim Meczkeius haec agi ab callido hoste in speciem suspicatus, ad avertendos ab eo animos, quod vere agebatur, fossam intra murum in ingentem altitudinem duci jubet, ita hostium cuniculos, si ea aditum in urbem tentarent, id quod verebatur, adductus conjectura probabili excepturus. Turcae enim, omnibus aliis improbatis consiliis, cuniculum in arcem ac tum tormentario pulvere implere constituerant, quo in-

censo, cum propugnatoribus avulsa arx ab imo solo in sublime raperetur. Id ne accideret, insigni cum prudentiae laude Meczkeius obviam iit: cum enim nostri fodiendo ad infimum cuniculi solum pervenissent, id quod facile ex ferramentorum sonitu conjici poterat, demissum e summa fossa tormentum, qua apertus jam cuniculus erat, in primo aditu constituunt, atque inde admoto igni, operis praefectum globo trajectum sternit. Virum quidem dignitate insignem capitis ornatus indicabat; quo sublato, ceteri, qui in opere erant, subito pavore et trepidatione perculsi ad suos diffugere. Jam eo ventum erat, ut desperatione potiundae rei in rabiem, et furorem versi, non consilio quidquam, non certa ratione, aut ex rei militaris disciplina agerent, sed ut ira, et dolor svadebat. Ita dies, noctesque nullo discrimine oppugnationi insistentes, sectas trabes, saxa ingentia, tum varia missilium genera, quae ad excitandum incendium, solers in sui perniciem vis humani ingenii excogitavit, in arcem machinis ejaculantur, quae non aegre nostri declinantes, et qua ignis haereret, accurentes auxilio, facile barbarorum vim, atquae impetum omnem ludificabantur. Jam et majora ausi, quam disjecti muri, aditum exeuntibus patefaciebant, duo e nostris egressi cum exigua militum manu, a tergo fugientibus insistunt, ac plerisque exhis interfectis, uno e suis modo amisso, in arcem redeunt, in re non magna, si quis pugnantium spectet numerum, insigne virtutis facinus inter se gratulantes. Horum alter, non enim sunt debita laude fraudandi, Paulus Zirmaius, Andreas Balogus alter fuit, non genere illi quidem prius, quam domesticae virtutis splendore conspiciendi. Neque interea tamen, etiamsi non semel male cesse-

rat, et litteras, et nuncios duces barbari mittere ad obsessos desistunt, quibus minime suis dolis opportunos illicere ad obsidionis consilium conabantur, quarum idem erat eventus: concerptis enim litteris, et in ignem conjectis, male multati nuncii remittebantur. Quod incommodum ut effugerent, ad novum consilium recurrunt, nemine jam e suis facile sibi persvaderi patiente, ut per tristem muneris functionem, ad certum supplicium mitteretur. Litteras sagittis illigatas, eodem scriptas argumento, intra muros conjiciebant, eo consilio, ut temere inventae, vulgo legerentur; quod si accideret, non desperabant futurum, ut aequitate conditionum perspecta, inter jam fessos obsidionis incommodis, oppidanos praesertim, multas belli clades, atque incommoda perpessos, a pacis conditionibus, quas prolixas inprimis perhonorificasque de industria proponebat, non alienos futuros. Sed in magno hominum numero, nemo inventus, qui aut non contemneret lectas litteras, aut non statueret, ita ut invenerant, obsignatas igni tradendas. Jam et illud a barbaris tentatum, in quo mirifica nostrorum fortitudo, et constantia eluxit pristino instituto retinendo; cum enim variis lingvis, ut ab omnibus intelligi possent, blanditias minis miscentes ad deditionem nostros invitarent; duces, ne barbarorum clamantium voces exaudirentur, jussis praefectis simul tormentis ignem admovere, simul signa concinere, militibus clamorem tollere, hinc tormentorum immani tonitru, hinc clangore tubarum, tympanorum sonitu, militum clamore, atque ululatu, ut videretur caelum ruere, terrae maria misceri, barbaris eadem repetentibus obstrepunt, non unum hoc solum spectantes, ut quae ab his dicerentur, milites minus exaudirent, sed ut eorum fiduciam

ostentarent, hostiles minas et magnifica verba, per fallaces deditionis conditiones aspernantium. . . .
Peridem tempus Agriam rediit, Lucas Nagy . . .
Dux, insignis virtutis et fidei exemplum posteris . .
Is, cum ante urbis obsidionem, cum quattuor, et . .
bus delectis, in hostium agros praedatum isset, et. .
hostium adventu certiora exploraret; mox, ab hostte circa urbem, creditus erat aut isterfectus a barbaris, aut vivus in potestatem redactus; quam ille de se ortam famam suo adventu brevi discussit, enimvero vere vir magnus, et dignus eo cognomine, quo honestabatur, sed non proceritate corporis magis (eo enim Ungaris spectat Nagy cognomen) quam altitudine animi, quibus excelluit. Licebat saluti consulere, receptum in tuta loca quaerenti, et quidem nulla cum ignominiae nota centum sexaginta armatorum millibus reditu illum intercludentibus; sed quae ardua, atque invia omnia susperat, vicit hujus hominis summa virtus, tum militum custodias, vigilantium in hostium exitium, tum salutis certum discrimen, mortis horrorem, suorum desiderium, quorum recordatio non potuit a cupiditate verae gloriae, animum humanis rebus omnibus majorem revocare. Superatis omnibus hostium stationibus, et falsis custodiis, in urbem, suis omnibus ad unum incolumibus, pervasit. Cum eodem ingressus Nicolaus Vas, insignis virtutis, et fiduciae adolescens, qui missus ad regem fuerat, auxilium obsessis imploratum. Neque vero hoc tum primum Nicolaus tentarat, jam antea comite viro aeque impigro, Emerico Varsanio, et profectus felici ausu, et aeque laeto eventu reversus. Jam muris, propugnaculisque omnibus, multis partibus, prorutis, una propugnatorum fortitudine

incredibili et constantia Agriae stabat, vel potius divina numinis providentia, cujus immortali beneficio et nostris , . . vires subministratae Christiano orbe universo pu- . . . s, et hostibus objectus mentis error, quo minus, cognitis . . . hostium viribus, victoriam, quae erat jam in manu vi- . . . cederet. Duodecimum jam diem, multis utrimque illatis, . . ceptis cladibus, urbs oppugnata, cum nullum nostri ad- . . timoris signum darent, aut animorum magnae malorum moli succumbentium. Ita vero dubio Marte adhuc erat pugnatum, ut nostris non vinci instar insignis victoriae haberetur; vincere hostibus, quod nondum acciderat, tamen non magnae laudi duceretur; cum quidem adversus unam paucorum virtutem, tot agmina armatorum starent, quibus feliciter gestae multae in Ungaria res celebre nomen, famamque conciliassent. (Duodecimum jam diem multis utrimque illatis atque acceptis cladibus, urbs oppugnata, cum nullum nostri signum darent magnae malorum moli animorum succumbentium.) Et quae hactenus quidem a nostris gesta, digna visa immortalitate; prae his, quae mox gesserunt, haud tanta potuerunt videri. Nam illa vigentibus, atque integris viribus edita, nondum muris convulsis, et labefactatis tormentis, non propugnaculis vallo nudatis, non multis locis aperto hosti in urbem aditu: haec unis pugnantium dextris, praesentia animorum, invicta virtute, adversus hostium omnes eodem conversas vires, paucis adversus multitudinem innumerabilem gerenda fuerunt. Interea hostes diebus aliquot quieti militum datis, IV. Idus octobris ad veteris portae propugnaculum XXIIX. militum cohortibus adductis instaurare oppugnationem constituunt. Spem bene rei gerendae barbaris

faciebat, ab iis succensa porta, ignaris a Meczkeio qui propugnaculo praeerat, et obstructam illam ingenti lapidum congerie, et propugnaculum, eo mediis colubrinis subvectis, egregie munitum. Ergo Meczkeius suos adhortatus ad pristinam virtutem capessendam animis, cum sua sponte incensos, suo; horum exemplo, segniores excitaret; hosti occurrit adeo concitato cursu, ut non solum impetum sustinuerit barbarorum hostium, sed frustra conantes nostros loco pellere, in fugam averterit, unus eo die visus omnium consensu, et militis, et imperatoris partes hortando milites, atque ad laudis decus incendendo, hinc voce, hinc manu, pugnam instaurando egregie praestitisse. Tam illustri suorum judicio fuisse dignum, et pulsus hostis testatus est, et ictu lapidis acceptum vulnus, quo quamquam laboraret, non prius passus est se a pugnae discrimine abduci, quam est hostis fusus, atque in fugam actus. Jam altera parte hostis in propugnaculum, quod terrenum scriptores Ungari appellant, conversis signis, delectos equites centum ad alias munitiones, qua publicus carcer olim erat, advolare jubet, Janiczeris, et qui una rem gererent, sagittariis simul proficisci jussis. Neque barbaris irritum inceptum cessisset, Dobone, qui loco praeerat, cohortandorum militum caussa, aliam in partem profecto, ni duorum virtus eximia Joannis Zucani, et ejusdem nominis Pribeci opportune auxilio affuissent. Hi audacia incredibili hastis supra ruinam scandentes, cum jam nostri remitterent de pugnae ardore; adniterentur barbari, ut semel motos in fugam verterent, praelium restituerent. Quo quidem, ne nostri increbescente multitudine hostium, victi discederent, laborantibus in tempore Gaspar Peteus cum multis e

suis opem tulit. Hi telorum magna vi in adversos effusa, cum nihil sibi reliqui ad summam virtutem fecissent, hostium quidem ferociam aliquantum represserunt, sed ut gradum referrent, quamquam magna vi, in contra obfirmatos obnitentes, minime effecerunt. Quae dum ad hunc modum geruntur, Dobo, cognito, quanto in discrimine res versaretur, jam nostros pugnando fessos, signum dejectum, hostes globo facto, neque cedentes loco, et acrius nostros impellentes, arreptum signum, Stephano Nagy tradit, viro cognitae virtutis, atque in pugnam succedit. Mox Stephano fistulae ictu trajecto, signum gregario tradit, viro tamen impigro, et magni animi. Ita hujus adventu nostri, confirmatis animis, pugnam instaurant, atque acrius in confertos incumbentes, signifero interfecto, signum adimunt, ita militari dedecore recuperato. Eodem tempore ad Bolikianum propugnaculum res bene gesta. Bornemisza, Zoltaius, Figedius regii praefecti, nequidquam nostrorum industriam aemulatos barbaros, vera vi e muris trepidos agebant. Hastae erant oblongae, quibus, qua spicula haerere solent, in eorum loco ferrei orbes affigebantur; in quorum medio spatio densi clavi, quantum orbium spatium patiebatur, acie contra hostem obversa, collocabantur. Sed non tam barbari sollertes nostrorum inventis imitandis, quam callidi nostri eorum conatus eludendis. Nam illud poterant assequi, ut a nostris telis inventis hastas, machinasque similes efficerent; non aeque facile eorum tractandorum rationem, atque usum poterant assequi. Itaque et vera virtute nostri, et justis armis superiores, irridebant implicitos magis, quam instructos et tectos armis, quorum quae vis atque ratio esset, ignorabant. Quae quamquam

ita essent, pertinacia hostium in serum diei tempus tractum certamen, haud dubia, hostium etiam confessione, nostrorum victoria, nox diremit. Inde hostium duces, toties frustra oppugnatione tentata, cum unus, atque idem exitus in incepto perstantes manere!, ut suis dedecus, nostris gloriam augeret, ne quid sibi reliqui fecisse a summam victoriae . . . . . .

. . . . . .

(Itt vége szakad a kéziratnak.)

IO. MICHAELIS BRVTI

UNGARICARUM RERUM

LIBRORVM XV—XX. FRAGMENTA.

E W. BETHLENII HISTORIA

EXCERPTA.

IO. MICHAELIS BRVTI VNGARICARVM RERVM LIBRORVM XV—XX. FRAGMENTA.

I.

Interim Regina adhuc Cassoviae haerens, cum ei (prout Historici Transsylvanici referunt) nec ea summa, quae ipsi erat vi Pactorum nomine dotis assignata, nec ea, quae singulis annis pendi erat promissa, a Ferdinando solveretur, primo per Mathaeum Lubovicium Zolonum, postea per Georgium Blandratam Medicum valde sollicite jus suum repetebat, demonstrans, se cum filio Regno exturbatam, ac in tam afflictam fortunam invitam sed multis pollicitationibus inescatam, deturbatam plane nescire, quo se vertere debeat: si quidem nec Ducatus Oppoliensis, nec patrimonium filii sui Scepusiensis nimirum possessio sibi restituatur; simulque declarabat, se longiorem moram Cassoviae ferre non posse, ideoque ad matrem et fratrem ire cogi. Verum Ferdinandus verbis prolixis refertum, re vacuum dedit responsum. Itaque Regina tot aerumnis vexata, relicta Cassovia, ad fratrem suum Sigismundum Augustum Poloniae Regem migravit: ubi degens suo suaeque matris no-

mine tertium jam Legatum ea de causa ad Ferdinandum misit, longa gravique quiritatione fidem ejus appellans. A quo cum nihil, quod rationibus suis expediret, obtinuisset, Varsaviae apud matrem et fratrem mansit. Haec refert Brutus.

II.

Circa id quoque tempus Solymannus per Legatum data opera eo fine missum rursus graves minacesque litteras ad omnes Transylvaniae Proceres mittit, mandans, ut Isabellam Reginam filiumque ejus quam primum in Transylvaniam introducant; ni id fecerint, se ferro flammaque in eos propediem saeviturum.

Qua denunciatione Proceres Transylvaniae mirum in modum perculsi sunt. Quod cum Castaldus animadvertisset (ut Istvánffii verbis referamus) suarum et Ferdinandi virium haud vanus aestimator, non abnuente Ferdinando, sic tamen, ne quid suo nomine ageretur, potestatem concedit Andreae Báthoreo ac quibusdam Traussylvanis et Francisco Kendio tractandae cum Solymanno pacis etiam cum pactione tributi, ea adjecta conditione, ut urbes et arces, quae a Turcis non ita pridem captae essent, Ferdinando redderentur. Quibus quidem rebus tractandis dum tempus teritur, et Solymannus nec Transsylvania cedere, nec arces occupatas restituere vult, bellum in citeriore Hungaria per Turcas renovatum est. Hucusquae Istvánffi. Brutus autem addit, quod dum Castaldus et Báthoreus cognitum haberent, Solymannum ab ineunda pace esse alienum, de impendente belli tempestate anxii, missis subinde ad Ferdinandum nunciis,

auxilium imminenti malo avertendo implorassent, Ferdinandum causatum fuisse rerum suarum calamitatem, fratrisque Caroli adversus Mauritium Saxoniae Ducem bellum, quo omnia auxilia Hungaris destinata fati vis inexorabilis rapuerat, responsum dedisse, se nihil supplementi mittere in Transsylvanium posse.

III.

Haec dum in Transsylvania fiunt, Ferdinandus de omnibus iis, quae in Transsylvania aguntur, a Dobone et aliis probe edoctus, Viennae die 13. Martii Legatis Transsylvanicis in scriptis dat responsum in hunc, qui sequitur, modum: Constare ipsis, Conventum a se Regni Hungariae populo ad diem primam Januarii indictum fuisse, ut in commune consulerent, quidquid ad Regni hujus trauquillitatem et publicam utilitatem pertinere videretur. Etenim cum Imperator Turcarum per occasionem intestinarum discordiarum late sua vestigia in Hungaria fixerit, ac Transulvaniam nunc quoque occupare nitatur, neque aliquas pacis conditiones aceptare velit, nisi prius Transsylvania filio Joannis Regis tradatur, quo vero ea voluntas et sententia illius tendat, manifestius est, quam ut declaratione egeret. Eam ob causam ut de communi periculo, quod ipsis ab hoste immineat, communi consilio deliberarent et rationes inirent, quibus imminnentem Patriae tempestatem propulsarent, se Posonium suos in Hungaria subditos convocasse. Quo frequentes venisse reliquos, etiam illos, qui periculo huic Turcico aliis essent propinquiores, ibique communibus consiliis statuisse, quae ad salutem et quietem ipsorum necessaria esse viderentur; ex Transsylvania vero durante Conventu nullos Nuncios, nisi

eo finito, venisse, quod si in tempore venissent, ipsum acceptis allegationibus de statu et rebus illorum, communi cum caeteris subditis suis consilio rationes initurum fuisse, quibus eis consuleret. Nullum se hucusque fugisse laborem, neque ullis pepercisse expensis et sumptibus, cum jactura etiam aliorum Regnorum et Provinciarum suarum, ut Transylvaniae populis securitatem ab hoste et quietem compararet, cujus quidem sui studii multa esse manifesta iudicia, non postremum autem esse, tormentorum et machinarum bellicarum magnam vim cum omni requisito, (thesaurum pretiosum) quod non alium in finem, quam ad defendendam ipsorum Patriam eo transmisisset, deinde missos ad Turcarum Principem proprios Oratores pro ineundo diuturnioris pacis tractatu, per quos et tributum, quod alias ipsi ex suis opibus solvissent, nunc ex sua Camera soluturum se obtulisse, ut suorum saluti consuleret. His omnibus non consi deratis, neque Nunciorum suorum reditu exspectato, nec curata fide et obedientia, qua sibi ut Regi coronato sunt adstricti, posthabita sua admonitione Cameras primum et publicos Regni proventus occupassent, Petrum Petrovithium notorium suum rebellem reduxissent, spretisque Praefectis a se constitutis alios sibi elegissent, copias conscripsissent, et summatim novum sibi Principem quaesivissent; quae quidem omnia ipse, pro tot in eos collatis beneficiis minime exspectasset; neque fuisse ullum tam magnum periculum, neque ullam tam urgentem necessitatem, ut post habita Regia Majestate, ac pendente adhuc de pace cum Turca tractatu, rem innovare debuissent. Eapropter coepta illorum et conatus temerarii propria voluntate et authoritate inchoati si infeliciter cesserint vel

aliquid periculi inde ipsis emerserit, vel aliis Reipublicae Christianae populis si quid damni dederint, nemini nisi ipsis acceptum referrent, atque ipsos Deo imprimis Optimo Maximo, deinde sibi Regi et toti Christianitati hujus et aliarum vicinarum Provinciarum dati damni rationem reddituros. Hortatur tamen et admonet illos clementer et paterne, ut considerato Juramento, quo sibi ad perpetuam fidem et obedientiam essent adstricti, facerent ea, quae debita illorum fidelitas requireret, et a Vajvodis quid esset faciendum, exspectarent. Interea donec tractatuum cum Imperatore Turcarum, cum Serenissimo Rege Poloniae, et Isabella Regina initorum certus finis apparuerit, ne se patiantur seduci privatorum quarundam personarum perversis consiliis, et aliquid fidei ipsorum contrarium, et a Religione Christiana alienum committant, de quo Deo Optimo Maximo, ut dictum est, deinde suae Majestati, et toti Christianitati rationem reddere cogantur, atque ipsos sera postmodum facti eorum capiat poenitentia.

Quo responso Legati obtento, adhibita omni celeritate in Patriam initio Aprilis regressi, responsum Ferdinandi scriptum exhibent, et viva voce conformia referunt; praeterea addunt, se dum Viennae tam longam traxissent moram, ex certis amicis intellexisse, Ferdinandum Regem propter Caroli fratris sui adversus Mauritium Saxoniae Ducem insurrectionem nihil subsidii Transsylvaniae suppeditare posse, siquidem omnia auxilia Hungariae destinata eo sint conversa. Haec Brutus.

IV.

Balassa et Bebekus repente contracto milite coenobium Szöllösiense obsident, ac acri oppugna-

tione diu premunt, itaque Antonius Siculus ea de re Telekessium certiorem reddit, atque ut sibi subveniat, petit: nec hic moratus adventum suum accelerat; quia vero sub oppugnatione Georgius Tárczai magnae nobilitatis nec minoris virtutis ¸vir globo ictus vitae et clarae familiae finem fecit, ambarum partium Duces (B r u t o t e s t e) ita inter se convenerunt, ut coenobium illud funditus everteretur, de super vili castello partibus sit decertandum. His peractis ambo Duces copias ad propria reducunt loca.

V.

Interim morbo graviore repente correpta, praeter suam et medicorum opinionem, quinta post expeditionem Nizovii die vitam prius cum morte, quam tabulas foederis cum Ferdinando commutavit. De qua B r u t u s et Annales Transsylvanici sic perhibent: »Digna foemina, quae per omnem vitam tot adversae fortunae casibus vexata, tranquilliorem tandem Regni statum sortiretur, extremaque senecta decederet. Illam splendide natam sumptuosam et pronam ad Regalem magnificentiam fuisse, nemini mirum videri debet, cujus vita ita in omnem munditiem erat comparata, ut ¸de luxuria minime esset suspecta, quam etiam pudicitia commendabat. Toties e summa invidia in gratiam et favorem Potentum assumpta, e favore vicissim in invidiam deturbata, rerum humanarum instabilisque fortunae diu spectaculum praebuit. Juvenis orbata viro, unde viginti annos non cultu nisi lugubri, non animo nisi moesto transegit: cui si quando laetum aliquid contigit, omnem spem, omnia gaudia repente dies unus in luctum et lachry-

mas convertit. Coeterum nominis ejus claritudo multis ex causis enituit: patre enim Sigismundo I. Poloniae Rege, matre Bona Sfortia, Illustrissimae in Italia prosapiae erat prognata: Sigismundi Augusti itidem Poloniae Regis soror, Regum Hungariae Joannis I. conjux, Joannis II. mater: ingenio autem et indole ab omni avaritia semper fuit alienissima, et erga bene meritos gratissima, quos multis honoribus et divitiis cumulabat: in expediendis rebus arduis plane virili prudentia et dexteritate erat praedita: lingvarum Italicae, Polonicae, Germanicae, Hungaricae, Latinae perita, fatis concessit Albae Juliae, die 15. Septembris, Anno Domini 1559.

VI.

Quia autem Pertaffus oppugnationi Gyulae pertinacissime inhaerebat, Joannes Sigismundus, quamvis ei non esset obscurum Kerecsenii supercilium, nec memoria excidisset, quam aspero dicterio ab illo laesus fuisse, seposita tamen offensa rursus Christophorum Bathoreum ad ipsum mittit; qui postquam ad Castra Pertaffi pervenisset, petiit ut sibi Kerecsenium accedere liceret, verum Pertaffo id recusante, opera Turcae unius et Hungari alterius Georgii Borbély dicti usus, quod in mandatis habebat, Kerecsenio exponendum curavit. Ille vel in tantis malis infractum adhuc animum gerens, negavit id se salva existimatione et fide sua favere posse, nisi prius Maximilianus Caesar, cui fidem suam, vitamque devovisset, peculiari mandato arcem Transsylvano resignandam juberet; malle se enim animam cum arce quam fidem amittere. Ita repulsam iterum passus

Christophorus Bathoreus, cum vel in illa ejus obstinatione afflictam affinis fortunam (priori enim connubio Kerecsenio sororem suam elocaverat) salutari consilio levatam cuperet, exaratam sua manu schedam ad Kerecsenium furtim dare constituerat, in hanc sententiam: si penitus animum de tradenda Joanni Regi arce abjecisset, ferret fortiter oppugnationem, futurum enim est, ut paucis post diebus obsidionem Passa soluturus esset; quippe videre se, tantum non ad colligenda vasa omnes intentos esse: brevique haud dubie discessuros. Haec Christophorus. Cujus pium conatum adversa fortuna evertit, parumque abfuit, quin ipsi ultimum exitium adferret. Vocatus enim repente ad Passam, cum inter loquendum laxatis e digitis scheda ad terram forte decidisset, talaris vestimenti late diffusi limbis ita tecta est, ut barbarus chartam humi jacentem minime adverteret; hic trepidus sollicitusque Bathoreus quonam astu schedam tolleret, quae se haud dubie in propinquum adductura fuerat discrimen, si a barbaro comperta animadversaque fuisset, nil cunctatus, sudarium data opera sibi manibus excidi passus est, cujus praetextu derepente chartam simul sustulit tanta dexteritate, ut a Passa fucus non deprehenderetur.

Hocmodo Bathoreus, cum nihil praetermisisset, quo pene condamatam Gyulaiensium rem, ipsiusque Kerecsenii animum ad meliorem statum revocaret, ubi videt, se nihil salutare in medium consulare atque efficere posse, a Pertaffo e vestigio redire ad Regem est jussus. Haec ex ore ipsius Christophori Bathorei, postquam creatus fuisset Princeps Transsylvaniae, scribit Brutus, non semel esse andita.